

Delgadillo
de Incarnat
adoratio

DVO
TRACTATVS;
ALTER DE INCARNATIONE;
DE ADORATIONE ALTER.

IN QVIBVS LEGITIMA SVBTILIS DOCTORIS P. F. IOANNIS DVNS SCOTI MENS ET APERITVR, ET PROPVGNATVR.

AVTHORE P. F. CHRISTOPHORO DELGADILLO

Matritensi Regularis Obseruantiæ Parentis N. Francisci Filio; ac in Obseruantissimo S. Didaci Complutensi Cœnobio (aliàs Sanctæ Mariæ à Iesu) Lectore Iubilato, & Guardiano.





Anno 1653.

CVM PRIVILEGIO.

COMPLVTI, Ex Officina Mariæ Fernandez Typographæ Vniversitatis.

Facultas Ordinis.

FRater Petrus Manero Minister Generalis, & servus totius Ordinis Fratrum Minorum Seraphici P. N. S. Francisci P. Fr. Christophoro Delgadillo Provinciæ nostræ Castellæ Lectori Iubilato salutem in Domino. Cum à te laudabili, & in Dei obsequium proficuo laboritio ex directione huius nostræ Provinciæ compositus sit, iuxta methodum Scholasticam, Tractatus de Incarnatione, & Adoratione, quem prælo ad communem studiosorum vtilitatem dare desideras; Nos generalibus Ordinis constitutionibus ex præscripto inhærentes, harum virtute, cum salutaris obedientiæ merito, eumdem tractatum à te elucubratum, cunctis Patribus Lectoribus Conventus nostri S. Mariæ de Iesu Compluti examinandum, atque (si ita eis expedire videbitur iuxta sacri Tridentini Concilij, nostrique Ordinis Sanctiones) approbandum remittimus. Postquam autem examinatus, & approbatus fuerit, concedimus tibi, vt ipsum in ordine ad impressionem Regio Senatui, ac Illustrissimo Ordinario præsentare valeas. Vale. Dat. Matriti die 30. Septembris, Anno 1652.

Fr. Petrus Manero Minister Generalis.

De Mandato Reverendissimi Patris.

F. Michael Angelus à Neapoli, Secretarius Ordinis.

*2 NOS

NOS' infrascripti Sacræ Theologiæ Lectores in hoc Complutensi Sancti Didaci Lycæo vidimus, & attentè perlegimus (de mandato R^mi P. N. Fr. Petri Manero Lectoris Iubilati, totiusque Seraphicæ Religionis Ministri Generalis) hosce Tractatus de admirabili Diuini Verbi Incarnatione, necnõ & de Adorationis venerando cultu, elaboratos à Sapientissimo pariter, ac Religiosissimo P. Fr. Christophoro Delgadillo Almæ Theosophiæ lauro iam dudũ insignito. Quos censemus, vt breui calamo multa perstringamus, tãto viro dignos. Opus sanè Scoticam acutiem suavissimè redolens; Sanctorum Patrum, & Conciliorum Doctrina abundè fluens; omnem eruditionis, & sapientiæ litteraturam attingens; in nullo à sanis moribus, & Sanctis legibus devians. Quare dignum iudicamus, quòd prælo cudãtur nõ solùm in publicam omnium vtilitatem, sed & in maximam studiosorum delectationem. Dat. & act. in supra dicto Minoritensi Cœnobio octavo Kalendas Novembris. Anno ab Orbe redempto 1652.

F. Michael Valles Lector Iubilatus, & Diffinitor Provinciæ.

F. Ioannes Vallis Formosensis Sacræ Theologiæ Iubilatus Lector.

F. Franciscus Pichon Lector Complutensis Iubilatus.

F. Michael de Villaverde Lector Complutensis Iubilatus.

F. Franciscus de Montealegre Theologiæ Lector Complutensis.

F. Iosephus à Cruce Theologiæ Lector Complutensis.

APRO-

APPROBATIO.

R. *ADMODVM ET DOCTORIS, ET PATRIS Fr. Chrysostomi Cabero Ordinis D. Bernardi in Complutensi Academia olim Philosophiæ Moralis, necnon & vespertinæ Cathedræ publici Moderatoris; nunc autem Scoticam communi plausu regentis.*

COmmissione perillustris Complutensis Vicarij hos Tractatus de Incarnatione, & Adoratione Subtilis Doctoris doctrinam explanantes, à R. P. Fr. Christophoro Delgadillo Seraphicæ Religionis S. Francisci Lectore Iubilato compositos, perlegi. In quibus nihil fidei ortodoxæ dissonum inveni; sed plura, immò omnia simul cum claritate, & facilitate subtilitatem Scoticam redolentia; tùm Sanctorum, tùm Philosophorum sententijs redundantia, veritate solida, styllo gravia, digna que tãto Authore; quem iam multis ab hinc annis nostra Complutensis Academia, Scoticam Doctrinam facilè defendentem, oppositasque sententias acritèr impugnantem, simul cum religionis laude mirabũda fuit experta. Compluti in Collegio D. Bernardi die 8. Nobembris Anno 1652.

Fr. Chrysostomus Cabero.

LI-

LICENCIA DEL ORDINARIO.

NOs el Dr. D. Iuan de Narbona Consultor de el Santo oficio de la Inquisicion de Toledo, Vicario General en todo el Arçobispado de Toledo residente en la Audiencia y Corte Arçobispal de esta Villa de Alcalà de Henares por el Eminentissimo Señor D. Balthasar de Moscoso, y Sandoval Cardenal de la Santa Iglesia de Roma, Arçobispo de Toledo, mi señor, &c. Por la presente damos licencia, en quanto nos toca, para q̃ se pueda imprimir, y imprima vn libro intitulado, Tractatus de Incarnatione, & Adoratione compuesto por el P. M. Fr. Christoval Delgadillo, Lector Iubilado, de el Convento de san Diego de esta Villa, del Serafico Padre san Francisco; atento a sido visto, y examinado por nuestra comission, y no ay cosa digna de enmendar, ni contra nuestra santa fee Catholica. Fecho en Alcalà en 1. de Diciembre año de 1652.

Dr. D. Ioan de Narbona.

Por su mandado.
Ioan Manuel de Mifa.

APRO-

APPROBATIO

R. ADMODVM P. F. DIDACI RAMIREZ Sanctæ Inquisitionis Qualificatoris, & Regalis Cōventus Dominæ Nostræ de Atocha Præsulis dignissimi.

SVpremi Castellæ Senatus iussu vidi, & attentè perlegi materias Theologicas ad tertiam partē pertinentes, dilucidè, perspicuèque elaboratas à R. admodùm P. Fr. Christophoro Delgadillo in Seraphico Sanctissimi Patris mei Francisci lucidissimo orbe sidere fulguranti. Ita Complutensis nostra Academia tanti Magistri splendoribus, voceque, & pereni calamo illustrata fatetur; ac quot quot in ea viximis, felicitèr attestamur. Vidi, (inquam) & nihil à veritate dissonum inveni; nihil à recta ratione difforme; nihil non studiosorum aviditati pervtile; nihil non à Scotica subtilitate eviscezatum; nihil non magnum. Sed quid de Minoribus non tale? Hoc certè quia màximum, & inter Scriptorū suorum maxima, iustissima dignum numerari comparatione. Prælo mandetur, vt, & communi voto satisfiat; & tātæ Religioni novum istud iubar superaccrescat. Sic mēte iudico; voluntate deposco. Matriti in hoc Regali Cōventu Sanctissimæ Mariæ de Atocha die trigessima mensis Decembris anni 1652.

F. Didacus Ramirez.

YO

YO D. Ioſeph de Arteaga, y Cañizares Secretario de Camara del Rey Nueſtro Señor de los que en ſu Conſejo reſiden, certifico que por los ſeñores de el ſe dio licencia, y priuilegio al P. Fr. Chriſtoval Delgadillo de la Ordem de ſan Franciſco, y Guardian del Convento de ſan Diego de la Villa de Alcalà de Henares para que pudiſſe imprimir vn libro intitulado, duo Tractatus; alter de Incarnatione, de Adoratione alter in Doctrina Scoti, que con licencia de los dichos ſeñores fue impreſo. Y ſe hizo preſentacion. Taſarõ cada pliego de los de el dicho libro à quatro maravedis, y parece tener ſetenta y dos pliegos ſin tablas, q̃ al dicho reſpecto mõta ducientos y ochenta y ocho maravedis Y à eſte precio y no mas mãdarõ ſe vẽda en papel, y q̃ eſta taſa ſe põga al principio de cada libro de los que ſe imprimierẽ. Y para que conſte doy eſta certificacion. En Madrid à veinte y quatro de Iulio de mil y ſeiſcientos y cinquenta y tres años.

D. Ioſeph Arteaga,
y Cañizeres.

ILLVS-

ILLVSTRISSIMO, AC REVERENDISSIMO D. D. F. PETRO

de Vrbina iam Episcopo Cauriensi; nunc Archiepiscopo Valentino; eiusdemque Regni Proregi Excellentissimo; atque apud Sanctissimum D. N. Innocentium X. in Romana Curia pro optatissimo Immaculatæ Cōceptionis Sacratissimæ Virginis articulo definiendo à Magno Philippo Quarto Hispaniarum Monarcha omnium plausu, & gratulatione legato oculatissimo.



TSI feliciores communi æstimatione habeantur in quocumque genere primitiæ; faustumque existimetur inquouis negotio fixisse principium: non tamen est constans apud omnes statutum, priorem semper posteriori antecedere felicitate: quin potiùs, oppositum aliquādo evenisse, sacræ etiam paginæ testantur. Vterque ille erga divinum amorem Primas (Petrus, & Ioannes) currebant simul ad Christi D. monumentum: & quamvis Evangelista præcucurrerit citiùs Petro, primitatisque felicitate superaverit socium; felicior tamen communi acclamatione Patrum prædicatur Petrus. Et meritò; quia etsi posterior venerit, in monumentum prior intravit. Idem ferè expenderim in Iacob, & Esau emphatico eventu: etenim quamvis maior egressu prævenerit minorem; ideòque ius primogenituræ sibi arripuerit; feliciùs tamen minor vtriusque parentis absorbuit affectum. Fallor, si hoc idē Philosophiæ Princeps presiùs non confirmet, qui haud obscurè sentit, sic evenire esse necessarium; dùm absolutè pronuntiat: (omnibus sibi annuentibus) *Quod est prius generatione, est posterius perfectione.*

Sed quorsum hæc? Non abs re sanè: Attendas amabò: (Præsul Illustrissime, Excellentissime Prorex, amantissime Parens) duo huius vestræ Provinciæ Filij, huiusque Conventus Conlectores, & Guardiani (P. F. Franciscus Felix, & ego) immensum totius Theologiæ, æquor Scoticè typis mandantes sumpsimus navigandum. Ille prior; ego posterior ventis vela dedimus. Arripuitque sibi magnam primitatis gloriam, seu rem istam incipiendi; (desiderante, & annuente Pro-

✠ 3 vincia)

vincia) secutus sum ego (iubente Prælato) tantum opus ob illius intem-pestivam mortem continuando: cui & vltimam manum me positurũ (Deo dãte) spero. Igitur Patris Felix felicitatẽ nõ æmulor, benè tamen quòd vestræ Dominationi elapso anno millesimo sexcentesimo quadragesimo quinto aliquod ex suis scriptis dedicaverit: in quo meũ prævenit affectum. Etenim mihi semper fuit in votis, vestram Illustrissimam Dominationem in mearum lucubrationũ patronũ compellare. Igitur currebamus simul P. Felix & ego, & scribendi Scoticè occupatione, & eiusdẽ Patroni innata aviditate. Prævenit Felix, arripuitque sibi primitiarum felicitatem. Posterior venio; sed fortè felicior ego. Tùm quia meum est, opus magnum Incarnationis, & Adorationis vestræ Dominationi dirigere: expediebat enim tantum mysterium, quod (teste Augustino) omnia alia opera divinæ omnipotentiæ excedit, nulli alij, quàm tanto viro dedicare. Nec fortè opus tantum minori æquaretur Patrono. Igitur, etsi posterior ego munusculo isto ad vestræ Dominationis genua provolutus accedo; nõ ideo infelicior, sed magnitudine mysterij, quod dico, felicior fortè. Item feliciorem reputo sortẽ, quòd ille iure primitatis debuit vestræ prosapiæ alta delineare principia, aut altè in eius advmbrare fulgorem; debuitque honorum culmina tùm à tanto Prælato, tùm ab illius clarissimis progenitoribus obtenta, haud summatim recensere. Quod, etsi longo dedicãtium more sit receptũ, religiosis tamen vestræ Dominationis auribus iudico molestissimum. Si enim ille iam hæc non prælibasset, incumbebat mihi alta Vrbinorum repetere principia, singula illorum facinora (ardua quidem provincia) propalare. Debebam item expendere, quanto plausu in hac Complutensi Academia per quindecim annorum spatium Sacræ Theologiæ Lectoris munus implevisti; quanta prudentia, & felici regimine Guardianus huius Conventus, Provincialis istius Provinciæ, atque totius Familiæ Comissarius Generalis gubernasti: quantaque omnium approbatione in Episcopum Cauriensem fuisti electus; quàm incredibili providentia, zelo, & magnificentia illi Ecclesiæ profuisti; (sicut & ad præsens Valentinæ) quãmque ingenti omnium, & admiratione, & acclamatione arduum Proregis munus in eadem vrbe, eodemque Regno ministrasti; & quàm oculata perspicacitate omnia providebas, Ecclesiasticam, & sæcularem gubernationem suavi nexu maritando.

Igitur meritò gratulor mihi, quòd P. F. Francisco Felix contigerint dedicationis primitiæ tot gravibus pensionibus onustæ: ego enim feliciorem me iudico à tàm ingenti obligatione expeditus; tàmque sublimis materiæ opus dedicando.

Vnum, fateor mihi in præsenti proclamare incumbebat, nempè ho-

honorem illum arduitate, negotijque pietate inter omnes maximum, quòd à supremo nostro Monarcha Philippo IIII. cunctorum approbatione, & plausu fueris delectus, vt coram Sanctissimo D.N. Innocentio X. solita fœlicitate, & solertia pro optatissima definitione articuli de Immaculata Conceptione sacratissimæ Virginis causas agas. Ex qua electione quãtũ honoris accreverit tibi, nostræ religioni, huic & provintiæ, & cõventui, quorũ Prælatus communi acclamatione extitisti, neminem latet. Immensa tamen huius provintiæ latitudo, viso iam evẽtu, quem faustissimum speramus, commodiùs peragrabitur. Vale.

Vestræ Dominationis Illustrissimæ, ac Excellentissimæ servus deditissimus, & obsequentissimus filius.

Fr. Christophorus Delgadillo.

MEN-

MENDA, QVÆ VEL SE IPSIS, VEL SALTEM EX VICINIS proprium manifestant errorem, emendare non curo: cùm nec Lectorem perturbent; nec correctivam paginam adire compellant. Igitur.

Insigniores mendas sic corriges.

Pagina	Columna	Linea	Erratum	Correctum
3.	1.	15.	veritatis	veritates
4.	2.	39.	tamen	tantùm
16.	2.	21.	&	&c.
18.	2.	10.	aiius	alius
27.	2.	1.	posit	posita
78.	1.	23.	aptitudinis	aptitudinalis
97.	2.	37.	detur	datur
117.	1.	23.	prædicto	pro prædicto
136.	2.	14.	subsistentia	substantia
172.	2.	14.	extensæ	extensa
180.	2.	32.	seu	
205.	1.	18.	effectum	affectum
214.	2.	24.	& offensiva	vt offensiva
215.	1.	11.	ex nullis	ex vllis
223.	1.	35.	agnoficens	agnoscens
223.	1.	36.	neriorîtatem	superioritatē
240.	2.	5.	naturalem	naturale
257.	2.	7.	si	quòd si
157.	2.	17.	aut	
257.	2.	29.	existentiam	existentia
258.	2.	14.	& etenim	etenim
286.	1.	16.	numerum	numero
186.	2.	39.	y	&
298.	1.	8.	tanta	tot
316.	1.	3.	fluit	fuit
389.	1.	2.	viso	visu
417.	2.	21.	exemptionis	exemptionem
467.	1.	14.	domiui	dominicus
470.	2.	26.	Theandrium	Theandricum
516.	2.	9.	illam	illud
512.	1.	15.	quvuxisti	quæ suxisti
538.	1.	15.	Caietano	Caietanus.

D. Franciscus Ignatius de Porres
Corrector Vniversitatis.

IN-

INDEX
CAPITVM, DIFFICVLTATVM, ET DVBIORVM HVIVS TRACTATVS.

Procemium. pag. 1.

PRIOR PARS HVIVS TRACTATUS. p. 8.

CAP. I.

Incar-

CA-

POSTERIOR PARS HVIVS tractatus, in qua agitur de perfectionibus Christi D. ex parte humanitatis. 176.

CAP. VII.

CAP. VIII.

dub.

Dub.

CAP. IX.

dub.

CAP.

CAP. IX.

du-

dub.

LAVS DEO, ET MARIAE
Matri eius.

IN-

INDEX
CAPITVM, ET DVBIORVM
Tractatus de Adoratione.

PROOEMIVM. pag.481.

CAPVT I.

CAPVT II.

CAPVT III.

De Adoratione exhibenda Christo D. quatenùs homo est. 506.

CAPVT IV.


De Adoratione Sanctis exhibenda. 519.

CAPVT V.

De Adoratione Imaginum. 531.

CAPVT VI.

De Adoratione reliquiarum. 564.



TRACTATVS DE INEFFABILI INCARNATIONIS MYSTERIO IVXTA DOCTRINAM SCOTI.



PROOEMIVM.

1 TRACTANT de Incarnationis mysterio Theologi: Distinctionistæ cum Magistro sententiarum *in 3. à dist. 1. vsque ad 23. vbi Scotus, & eius asseclæ Lichetus, Tartaretus, Fabro & alij. Thomistæ autem cum Angelico Doctore in 3. p. à quæst. 1. vsque ad 59.* Ex quibus omnibus, quæ magis vera, & Scoticæ doctrinæ conformia sint, selecta propugnabo.

2 Et quia antequam ad disputationes cum Catholicis, cum quibus præcipuè nunc concertamus, fiat descensus, aliqua, imò nonpauca, prælibare est necessarium, prooemium in diversos §§. dissecabo.

§. I.

Supponuntur aliqua certa circa hoc mysterium.

2 SVppono primò ex conuenientia Christianorum, & Iudæorum, à Deo fuisse promissum in Scripturis Sacris aduentum cuiusdam hominis Iudæi ge-

nere, & fanctitate insignis, qui salvaturus erat populum suum. Sufficiat nobis illud *Genes.* 49. *Non auferetur sceptrum de Iudà, nec Dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est; & ipse erit expectatio gentium.* Hunc hominem Scripturæ vocant *Messiam.* Quæ vox est Hebraica; & idem significat, ac Græcè *Christus*; & Latinè *vnctus*: vt latè Eugubinus *lib. 3. de Arcanis. cap. 2.*

3 Suppono secundò, has promissiones esse adimpletas, seu Messiam iam venisse: vt expressè testatus est Christus Dominus *Ioan.* 4. Cum enim dixisset Samaritana: *Scio, quia Messias venit, qui dicitur Christus, dixit ei Iesus: Ego sum, qui loquor tecum.* Quomodo autem convincendi sunt Iudæi negantes adventum Christi Domini per testimonia veteris testamenti, quod solùm ipsi admittunt, probat Suar. *disp.* 1.

4 Suppono tertiò, quòd *Christus* nomen est vnius personæ duas naturas habentis, divinam scilicet, & humanam: *Est enim fides recta, vt credamus, & confiteamur, quia Dominus noster Iesus Christus Dei filius Deus & homo est*: inquit Athanasius, & docet Catholica Ecclesia Spiritu Sancto edocta verbis illis *Ioan.* 1. *Verbum caro factum est.*

5 Suppono quartò, hoc Incarnationis mysterium, seu hanc duarum naturarum vnionem in persona Verbi Divini fuisse factam virtute Spiritus Sancti in Sacratissimo Virginis vtero sine interventu viri. Quod totum constat ex *Lucæ* 1. *Concipies in vtero, &c. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.*

6 Ex quibus suppositis constat, obiectum, subiectum, seu materiam huius tractatus esse Christum Dominum, eiusque finem perscrutari naturam, aut essentiam, & proprietates, omniaque alia, quæ in ipso Christo Domino reperiuntur. ¶ Dices: de singularibus contingentibus non est scientia: ergo neque Theologiæ aliqua pars potest occupari circa Christum Dominum, ut iam executum. Patet consequentia. Tùm; quia Theologia est scientia. Tùm, quia simpliciter contingens fuit, quòd poneretur in rerum natura Christus Dominus: est enim opus ad extra, & consequenter liberrimè à Deo factum. Respondetur concedendo antecedens de scientia rigorosa: qualis est, quæ evidenter demonstrat sua principia: de qua solùm loquuntur Philosophi, quando dicunt, de singularibus non dari scientiam. Et meritò: quia scientia debet esse de necessarijs; & non de contingentibus: aliàs scientia posset

set aliter se habere, seu id, quod scio, posset aliter evenire) & negando de Theologia: quæ eo dicitur scientia, quia ex principijs per fidem cognitis, per discursum deducit conclusiones. Et ideò sæpissimè occupatur circa singularia à Deo revelata per discursum deducendo illorum proprietates, & affectiones: verb. grat. circa Eucharistiam iam executam; circa visionem claram Dei; circa hominum, & Angelorum prædestinationem, &c.

7 Veritatis in his quatuor suppositis contentæ, sunt quasi generalia principia, ex quibus cœteræ huius tractatus veritates dependent. Et quamvis, si cum hæreticis nostra foret concertatio, in illorum examine, & propugnatione non parum esset immorandum. Tamen, cùm inter Catholicos disputemus; & aliàs Catholica Ecclesia præfatas veritates libenter amplectatur, doceat, & prædicet, ab exactiori circa illas indagine supersedemus.

8 Et quamvis ex dicendis per totum istum tractatum satis constabit, quot fuerint errores hæreticorum circa hoc abstrusissimum Incarnationis arcanum: placuit tamen principaliores in præsenti recensere. Vt sicut prælibamus præcipuas veritates, quas Ecclesia de Incarnatione docet; prælibemus etiam præcipuos errores, quibus Sanctissima Ecclesia circa veritates huius mysterij ab hæreticis fuerit impugnata.

§. II.

Recensentur præcipui errores hæreticorum circa Incarnationis mysterium.

9 Ebion, Cerinthus (Apostolis coævi) & multi alij hæreticè erraverunt dicentes, Christum Dominum purum hominem fuisse, ex vtroque sexu genitum; neque ante Mariam eius matrem extitisse. Ariani autem, etsi credant, Christum Dominum non fuisse natum ex vtroque sexu; tamen cum affirment, Filium Dei esse creaturam; (Idem dicebant de Spiritu Sancto.) dicunt consequenter, Christum Dominum esse puram creaturam. ¶ Sed contra hos errores militant omnia Scripturæ testimonia, quibus Christus Dominus dicitur filius Dei. Et contra illud, quod addabant Ebion, &c. (nempe Christum Dominum fuisse ex vtroque sexu natum; & non extitisse ante matrem) militat illud *Lucæ 1. Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus &c.*

10 Secunda hæresis negat, Christum Dominum habuisse naturam humanam; sed vnam tantum in eo ponit natu-

turam, nempe diuinam; ſicut vnam tantum habet perſonam. Hæc autem hæreſis in multas ſcinditur factiones: Eſt enim hæreticis ſolemne, ut numquam ſciant, tenere vnitatem. Cerdon (qui vixit tempore Hygini Papæ ad annum 154.) docuit, Chriſtum Dominum neque fuiſſe natum ex fœmina, neque habuiſſe carnem, neque verè mortuum, neque quidquam paſſum: ſed ſimulaſſe paſsionem. Longo autem tempore elapſo hunc errorem ſecuti ſunt Proclianitæ (quos eſſe Galatas docet Philaſter) dicentes, Chriſtum Dominum non veniſſe in carne.

11 Appelles verò docuit, Chriſtum Dominũ carnem ſuam non de matre ſumpſiſſe, ſed eam ex elementis coaptaſſe; quam reſurgens ex mortuis reddidit mundo; & ita ſine carne aſcendiſſe in cœlum.

12 Manichæi huic ſimillimum tutantur errorem dicentes, Chriſtum Dominum non fuiſſe verum hominem, ſed phantaſticum, & phantaſma quoddam; neque ex vtero Virginis prodijſſe. Hunc Manichæorum errorem amplexatus eſt Priſcillianus: qui neque natalem Domini, nec diem Reſurrectionis illius piè venerabatur: eoquòd Chriſtum Dominum eſſe verum hominem, non credebat.

13 Valentinus cum alijs dixit, Chriſtum Dominum verum fuiſſe hominem; non tamen eiuſdem naturæ nobiſcum: fingebat enim, quod Chriſtus Dominus à Patre miſſus corpus cæleſte ſecum traxit; nihilque à Virgine accepit; ſed per illam tamquam per rimam quamdam, aut per fiſtulam, ſine vlla carne de ea aſſumpta, tranſijt.

14 Apollinaris dixit, Chriſtum Dominum non aſſumpſiſſe carnem ex Virgine. Non tamen negabat ipſum habuiſſe carnem; ſed dicebat, in ipſo Incarnationis opere aliquid Verbi in carnem eſſe conuerſum.

15 Omnes hi errores, etſi diuerſis ſemitis incedant, in hunc ſcopum tendunt, vt negent, Chriſtum Dominum eſſe verum, & perfectum hominem; ſicut nos ſumus. Quapropter humanam naturam, quæ ſit eiuſdem ſpeciei cum noſtra, ab illo ſeparare contendunt. Tamen contra hanc hæreſim, quomodocumque intellectam, militant teſtimonia n. 4. allata.

16 Tertia hæreſis duas ponit in Chriſto perſonas; aliam diuinitatis, humanitatis aliam; neque unum Chriſtum in diuinitate, & humanitate ſentit; ſed ſeparatim, & ſeiunctim alterum docet eſſe filium Dei, & alterum filium hominis; quem dicit, etiam appellari Chriſtum. Quapropter Virginem Mariam, non Dei, ſed hominis tamen matrem vocat. Denique Chriſtum Dominum eſſe

esse tantum hominem dicit, non autem Deũ; sed in quo Deus quadam prærogatiua habitaret. Et ideo Christum nõ Deum, sed Deiferum appellabat. Huius hæresis auctorem fuisse Nestoriũ, (à quo dicitur hæresis Nestoriana) communiter circumfertur: quamvis noster Castro *lib. 4. aduersus hære-ses hæresi 3.* eruditè probat, ante Nestorium fuisse.

17 Nestorio autem iam defuncto (qui fuit Episcopus Constantinopolitanus tempore Theodosij Iunioris, atque in Concilio Ephesino damnatus) suscitavit eundem errorem Petrus Gnaphæus Antiochenus Episcopus; qui condemnatus fuit in 5. Synodo Constantinopolitana. Hunc tamen errorem destruunt auctoritates *num* 4. allatæ.

18 Quarta hæresis (secundæ affinis) sicut in Christo Domino vnicam personam, sic vnicam naturam (scilicet diuinam) admittebat. Quia tamen videbat, clara esse testimonia Scripturæ probantia, Christum Dominum assumpsisse veram carnem, in qua natus erat ex Virgine; pro nobis passus, & mortuus: fatebatur, filium Dei esse Incarnatum. Dicebat tamen, in ipso Incarnationis momento carnem fuisse conuersam in diuinitatem: & ita vnam esse carnis, diuinitatisque substantiam. Qua propter fatebatur, Christum Dominũ passum fuisse secundum naturam diuinam. Huius erroris auctor fuit Eutiches Abbas cuiusdam monasterij Constantinopolitani tempore Leonis primi, & Marciani imperatoris ad annum 450. Quam hæresim cum suo auctore cum damnasset Flauius Constantinopolitanus Episcopus, ortum est aliquod dissidium inter Christianos Orientales, aliquibus Eutichetem defendentibus; alijs autem eum damnantibus. Quare annuente Imperatore Theodosio Iuniori secunda synodus Ephesina indicitur; in qua, præsidente Dioscoro Episcopo Alexandrino tabe Eutychetis infecto, (ut postea patuit) Eutyches restituitur, & damnatur Flauius. Hanc secundam synodum Ephesinam Catholici omnes velut execrandam, & maledictam reijciunt: quoniam nec Summi Pontificis auctoritate congregata est: nec generalis Conventus ad eam factus est; sed solis hæreticis conuenientibus definitum est tam venenosum dogma.

19 Post dictos Eutychetem, & Dioscorum, paruo tempore elapso, surrexerunt alij hæretici dicti Acephali, (sic nominati, eo quod simul insurgentes, nullus repertus est, qui illorum esset caput, Princeps, & Magister) qui in Christo D. duas naturas negabant; dicebantque solum habuisse naturam diuinam: quàm dicebant fuisse crucifixam. Sed contra hunc errorem militant testimonia adducta *n. 4.*

20 Quinta hæresis asseruit, Christum Dominum solum habuisse corpus, nõ autem animam. Cuius erroris auctor communi-

ter dicitur Apollinaris; quamvis Arius Auctor illius dicatur à D. Augustin. *lib. de hæresibus cap.* 49. Seu contra errorem istum militant testimonia, in quibus Christus Dominus dicitur homo: homo enim constat corpore, & anima. Videantur testimonia adducta *num.* 3.

21 Sexta hæresis asserit, in Christo Domino vnicam esse voluntatem, scilicet diuinam. Huius auctor fuit Macharius Episcopus Anthiochenus; qui condemnatus est in sexta synodo Constantinopolitana. Cuius hæresis fautores dicti sunt Monotelitæ: (à *mono* dictione Græca, quæ Latinè significat *vnum*; & à *telita* dictione etiam Græca, quæ idem est, ac *voluntas*) eoquod vnam asserebant voluntatem. Quæ hæresis potest etiam militare contra Incarnationis mysterium; si ideo vnam tantum voluntatem admittat in Christo Domino, quia in eo vnicam naturam agnoscat. Tamen, si hoc intendat, refutatur testimonijs *num* 3. adductis; quibus constat, Christum Dominum esse verum Deum, & verum hominem: & consequenter habere duas voluntates, duabus naturis correspondentes.

22 Hos omnes errores refert, & eruditè refutat noster Alphonsus à Castro. *lib.* 4. *aduersus hæreses verbo Christus.* Nobis autem in eorum specialibus refutationibus non est immorandum; sed supponendum, contra omnes illos militare testimonia §. 1. adducta. Qui verò fusiores refutationes desideret, legat præcitatum Castro.

§. III.

De nominibus, quibus hoc mysteriū solet appellari.

23 HAnc ineffabilem naturarum diuinæ, & humanæ vnionem in secunda Sanctissimæ Trinitatis persona diversis nominibus nobilitarunt Scriptura, Patres, & Theologi. Vocatur enim diuina apparitio; diuina dispensatio; Dei descensus; missio filij; exinanitio Dei; assumptio humanitatis; Incarnatio; & vnio hypostatica. Quarum vocum facilis est intelligentia, supposita Catholica huius mysterij veritate. Tamen, quia tria postrema nomina sunt frequentiora in hac materia, noto, quòd hoc mysterium quasi in fieri dicitur Incarnatio: eoquòd persona Verbi vi, & efficacia huius Sacratissimæ actionis fuit Incarnata: iuxta illud *Ioan.* 1. *Verbum caro factum est.* Dicitur autem vnio hypostatica; quia humana Christi Domini natura vnita est personæ, seu hypostasi Verbi diuini. Vocatur item assumptio humanitatis; quia persona Verbi assumpsit humanam naturam ad hoc, vt subsisteret, seu personaretur suamet ipsius Verbi diuini personalitate.

24 Dices, quod interdum Ca-

Catholici formidabant vti voce *Incarnatio*, ne viderentur consentire cum Appollinare, vel Ario; qui dicebant, Verbum diuinum assumpsisse corpus sine anima: vt *num.* 20. notabamus. Resp. nos cum Catholicis disputare. Præterea iam Patrum, & Theologorum communissimo est consensu statutum, quòd vox *Incarnatio* Theologicè accipitur pro vnione personæ Verbi cum humanitate completa in esse naturæ sine propria tamen personalitate; quidquid sit de rigore Grammatico; in quo videtur significare carnem fieri: & quidquid sit de alijs acceptionibus Scripturæ, secundum quas accipitur caro pro natura constante non solum corpore, & anima rationali, sed etiam subsistentia, seu personalitate propria. Vt patet *Genes* 6. *Omnis quippe caro* (idest homo) *corruperat viam suam. Lucæ* 3. *Videbit omnis caro* (hoc est, homo) *salutare Dei*: & alibi.

§. IIII.

De dispositione, & ordine huius tractatus.

23 TRactatum istum in duas præcipuas partes diuidunt communiter Auctores. In prima agunt de substantia huius mysterij: in posteriori de perfectionibus Christi Domini ex parte humanitatis. Priorem partem in sex capita diuidam. In primo agam de Incarnatione ipsa, seu de actione Incarnatiua considerata quantum ad possibilitatem, & quidditatē, existentiam, conuenientiam, & necessitatem. In secundo de persona assumente. In tertio de humanitate assumpta. In quarto de Christo Domino, qui resultat ex persona assumente, & natura assumpta. In quinto de communicatione idiomatum. In sexto de causis Incarnationis.

26 Secundam autem partem huius tractatus diuidam in duodecim capita. Primum erit de gratia Christi D. Secundum de eius scientia. Tertium de illius merito, & satisfactione. Quartum de eius potentia. Quintum de nonnullis officijs seu titulis ad excellentiā Christi D. spectantibus. Sextum de defectibus naturæ assumptæ. Septimum de humana voluntate Christi D. Octauum de illius subiectione, & obedientia. Nonum de adoptione Christi D. Decimum de eius oratione. Vndecimū de modo loquendi circa prædestinationem Christi D. Duodecimū, & vltimū de formis loquendi, quæ circa hoc mysterium sunt obseruandæ, & præcauendæ. His decem, & octo capitibus quidquid ab antiquis vsque ad hæc nostra tempora de abditissimo Incarnationis mysterio dictum est scitu dignum, & Scoto consonum comprehendemus. Claritatis autem gratiâ capita in difficultates distribuam; difficultates vero (si id necessitas exposiulet) in varia dubia dissecabo.

PRIOR PARS HVIVS TRACTATVS: IN QVA AGITVR DE SVBSTANTIA MYSTERII INCARNATIONIS.

CAPVT I.

De ipsa met actione Incarnatiua, quantum ad possibilitatem, &c. considerata.

NE capita multiplicemus, in hoc agam de possibilitate Incarnationis; de eius existentia; de conuenientia illius; de eius necessitate; & demum de quidditate, & proprietatibus illius.

DIFFICVLTAS I.

De spectantibus ad possibilitatem Incarnationis.

DVBIVM I.

1. PEtes primò, an Deum Incarnari, aut fieri hominem, sit possibile? Respond. affirmatiuè. Quia sic factum est secundùm fidem iuxta illud *Ioan. 1. Verbum caro factum est*: ergo est possibile. Secundò, quia in hoc non est aliqua repugnantia. Hanc conclusionem defendunt Catholici omnes.

2. Dices, repugnare ex parte naturæ assumptæ. Probatur assumptum: quia personalitas est modus naturæ substantialis totalis inseparabilis ab illa. Respondetur negando assumptum. Ad probationem dico, inde concludi, personalitatem non posse conseruari sine natura, cuius est modus: non autem concluditur, naturam non posse conseruari sine illo modo.

3. Dices secundò, repugnare ex parte personæ assumentis. Probatur assumptum: quia impossibile est, Deum mutari: sed per Incarnationem mutaretur: ergo ex parte personæ assumentis impossibilis est Incarnatio. Minor constat: quia per Incarnationem Deus fit homo: quod esse ante non habebat. Respond. negando assumptum. Ad probationem dico, minorem esse falsam de mutatione intrinseca; veram autem de extrinseca. Itaque per Incarnationem nulla entitas intrinseca Dei aut deperditur, aut transit in aliam entitatem;

tatem, aut Deo denouo advenit aliquid intrinsecum, seu de substantia illius; imò neque aliquod accidens reale ei accrescit. Tamē verè mutatur extrinsecè: quia per Incarnationem verè gerit munus terminantis humanitatem assumptam; quod munus anteà non gerebat.

4 Contra: Deus est purus actus nullam potentialitatem admittens: ergo repugnat ei esse in potentia ad terminandum alienam naturam. Respōdetur, antecedens esse intelligendum de potentialitate, quæ reducenda sit ad actum per aliquam realem entitatē, quæ Deo de novo accrescat, & in ipso recipiatur. Non autem est verum, aut intelligendum de potentialitate reducenda ad actum solùm per extrinsecam terminationem, aut denominationem: vt contingit in præsenti. Itaque sicut Deus dicitur visibilis, amabilis, venerabilis, &c. sine eo, quòd ista potentialitas arguat in eo aliquam imperfectionem; eo quòd reducitur ad actum solùm per extrinsecam denominationem visi, amati, venerati, &c. Quæ denominatio accrescit Deo per hoc, quod terminat actum videndi, amandi, venerandi, &c. ita Verbum diuinum dicitur *vnibile* sine eo, quòd potētialitas significata per hoc nomen arguat in Deo aliquam imperfectionem; eo quòd reducitur ad actum solùm per extrinsecam denominationem vniti; quæ denominatio accrescit Verbo per hoc, quòd terminet actionem vniendi: quæ actio non est productiua extremorum; immo illa iam producta supponit.

5 Verum est, hanc esse differentiam inter potentiam, quam denotat ly *visibile, amabile, &c.* & quam importat ly *vnibile*, quòd illa ex natura sua petit reduci ad actum per extrinsecam denominationem ita, vt aliter euenire nō possit. Potentialitas autem, quam importat ly *vnibile*, ex natura sua petit reduci ad actum per realem entitatem receptam in extremo, quod alteri vnitur, & vnitum denominatur. (Hæc entitas est relatio extrinsecùs adueniens spectans ad prædicamentū passionis: vt ex dicendis in hoc capite diff. 5. à n. 20. satis cōstabit.) De per accidens tamen, & ratione incapacitatis subiecti, non admittentis in se aliquam realem entitatem sibi de nouo aduenientem, Verbum diuinum dicitur vnitum solū per extrinsecam denominationem. Sicut propter eamdem incapacitatem Deus dicitur causa creaturæ, & refertur ad ipsam non per realem relationem intrinsecùs aduenientem (qua ratione res creatæ dicuntur causæ) sed solum per extrinsecam denominationem resultantem in ipso ex eo, quòd terminet relationem alterius extremi.

6 Dices tertiò, repugnare Incarnationem ex parte vtriusque extremi scilicet Dei, & naturæ assumptæ. Probatur assumptum: quia hęc extre-

extrema infinitè distant: ergo nequeunt vniri. Respondetur negando assumptum. Ad probationem dico, prædicta extrema infinitè distare entitativè considerata, seu secundùm suas entitates: non autem secundùm proportionem requisitam ad vnionem. Proportio autem horum extremorum stat in hoc, quòd natura humana careat propria personalitate; & quòd persona Verbi possit supplere talem carentiam, vt sic ex vtroque extremo constituatur vnum compositum, nempe Christus D.

7 Instabis: plus distant Deus, & creatura, quā duo contraria, quæ sub eodem genere continentur: sed hæc non possunt vniri: ergo neque Deus, & humanitas. Respondetur concedendo minorem ratione oppositionis, quam habeant inter se, & negando ratione distantiæ. Quare negatur consequentia. Quod autem contraria talem habeant oppositionem, vt non possint esse simul, seu vniri in eodem subiecto, docet Scotus *in 3. d. 1. q. 1. §. Ad argumenta Versic. Ad tertium; & in 4. d. 49. q. 16. §. Ad primum argumentum, Versic. Ad argumentum.* Quod intelligo de contrarijs, quæ ex natura sua talia sunt, vt sunt amor, & odium, scientia, & error. Necnon & de contrarijs in summo, aut in gradibus intensis: non autem in gradibus remissis: hæc enim simul esse possunt, vt docet Scotus *in 1. dist. 17. quæst. 3.* (aut 5. secundum Cavellum) §. *& Vers. Contra istam opinionem arguo.* Itaque si prædictum argumentum procedat de contrarijs, quæ ex natura sua talia sunt; necnon & de contrarijs in summo, aut in gradibus intensis, absolutè est concedendum, quòd non possunt vniri in eodem subiecto, non quidem ratione distantiæ, sed formalis oppositionis, quā inter se habent. Et ideo neganda est cōsequentia seu paritas: quamvis enim Deus, & humanitas magis distent entitativè; non tamen proportionaliter: cum inter hæc extrema nulla sit formalis oppositio; imò est inter illa proportio personativi ad personabile: quod enim habet personalitatem est personativum alterius: & quod caret propria personalitate, est personabile ab illo, quod habet personalitatem.

8 Instabis adhuc: creatura non est capax personandi per personalitatem infinitam: ergo non est proportio requisita inter hæc extrema. Respondetur negando antecedens: sicut enim finitum (humanitas v.g.) recipit esse ab omnipotentia infinita Dei: sic potest personari à persona infinita. (adhuc admisso, quòd personalitas divina formaliter considerata, vt præscindit à perfectione essentiæ, & attributorum, esset formaliter perfecta, & infinita: quod Scotistæ non admittimus.)

9 Contra, quòd omnipotentia influit in genere causæ efficientis liberè applicantis suum concar-

cursum: & ideo etsi aliàs posset producere ad extra aliquod infinitum, posset producere quid finitū attemperando seu proportionando suum concursum iuxta exigētiam effectus producendi. Personalitas autem præstat effectum personandi in genere causæ formalis totam se ipsam communicando naturæ, quam reddit personatam: ac per consequens si personalitas est infinita, debet se infinitè communicare. Modò sic: humana natura, cum finita sit, nō est capax infinitæ personalitatis: ergo à persona diuina assumi non potest. Respondetur, quòd si insistamus in nostra Scotistarum sententia, quæ affirmat, relationes seu personalitates diuinas formaliter consideratas nullam formalem perfectionem includere, non multum vrget argumentū. Quia cum Verbum diuinum terminet naturam humanam, seu illam personalizet per suam personalitatē: si ista non est infinita, cessat incommodum illud, quòd natura finita subsistat seu personetur per aliquid formaliter infinitum.

10 Sed age, admittamus, quòd personalitates diuinæ formaliter consideratæ dicunt perfectionem, & etiam quòd ista personalitatum perfectio est formaliter infinita. Quibus adhuc suppositis, respond. ad præfatum argumentum negando, quòd personalitas infinita debeat necessariò se infinitè communicare in genere causæ formalis; etenim semper est attendenda capacitas naturæ, seu subiecti, cui aliqua forma, aut modus se communicat. Et ideo si non fuerit capax infinitæ communicationis, etsi aliàs forma, aut modus fuerit infinitus, solùm finito modo se communicabit. Quod duplex argumentum suadet. Primum est à paritate causæ efficientis infinitæ, (qualis est Deus) quæ ad extra non potest producere effectum infinitum; eo quòd creatura non est capax infinitatis. Secundum est instantia gratiæ sanctificantis v. g. quæ, si poneretur in lapide v.g. ipsi præstaret effectum, cuius est capax, non autem illum, cuius est incapax: & consequenter prædictum lapidem redderet qualificatum per effectum genericum gratiæ; non tamen redderet gratiosum, seu proximè acceptabilem, & dignum vitæ æternæ, seu videndi Deum, & ipso fruendi: quorum ratio est, quod lapis est capax prioris effectus, & incapax posterioris: Vnde ad nostrum propositum dico, quòd cum humanitas sit capax personādi finito modo, si personalitas diuina foret formaliter infinita, vnita cum ea illam personaret finito modo; non autem infinitè, quia est incapax personandi modo infinito. Quod præcipuè fateri tenentur quotquot affirmant, subsistentiam absolutam communem tribus diuinis personis posse immediatè assu-

assumere naturam humanam. Tunc enim forma, seu subsistentia esset simpliciter infinita; & tamen natura per illam terminata foret subsistens finito modo.

DVBIVM II.

11 PEtes secundò, an solo lumine naturali, & seclusa fide, & revelatione possit euidenter cognosci, hoc mysterium esse possibile? Respondetur negativè. Quia est omnino supernaturale, seu supra naturam: ergo in tota serie rerum naturalium non est aliquod, ex quo possit deduci euidenter cognitio possibilitatis illius. Immo si rationi naturali proponeretur, an Deum fieri hominem, sit possibile? Si nixa experientijs, & argumentis naturalibus responderet, potiùs persuaderet sibi impossibilitatem, quàm possibilitatem huius mysterij. Quia naturaliter non posset cognosci evidēter, naturam creatā posse separari à propria subsistentia. Item non posset naturaliter cognosci euidenter naturam creatam posse vniri subsistentiæ diuinæ; & per eam formaliter subsistere: vt ex dicendis magis constabit. Hanc conclusionem defendunt communiter.

12 Sed contra illam obijcies: Angelus solo lumine naturali cognoscit, naturam creatam realiter distingui à sua subsistentia: ergo evidēter cognoscit, posse ab illa separari: ergo cognoscit evidenter, posse vniri diuinæ. **Respondetur** negando primam cōsequentiam: quia ex reali distinctione non colligitur realis separabilitas: vt patet in linea, quæ realiter distinguitur à superficie, & profunditate; & tamen nequit realiter existere sine illis. Idem patet in toto, & partibus simul sumptis, & vnitis, quorum neutrum potest existere sine altero: & tamen realiter distinguū tur in probabili sententia Scoti in *3.d.2.q.2.* §. *& Vers. Quantum ad primum ostendo*, & alibi. De quo videatur noster Cavellus ibi. Resp. secundò, admissā prima consequē tia, negando secundam: quia naturaliter nequit cognosci, in hoc nullam implicantiam intervenire.

12 Sed contra hanc secundam solutionem dices primò: in re nō est aliqua implicatio: ergo Angelus naturaliter cognoscit non implicare: ergo & quòd possibilis est Incarnatio. Respondetur negando primam consequentiam: solū enim sequitur, quod evidēter cognoscit, sibi non apparere aliquam implicantiam; non autem quòd in re non sit. Et ideò evidenter non cognoscit positiuam possibilitatem; sed tantū negatiuā. (hoc est sibi repugnantiam non apparere) Quare manet metaphysicè incertus, aut dubius, an sibi occultetur aliqua implicatio. Sicut quando nos defendimus, aliquid non implicare (v.g. corpus quantum posse pluribi existere circumscriptiuè) non sumus omnino certi, in hoc nō latere aliquam implicātiā.

Inf-

14 Instabis: posibile, & impossibile sunt immediatè opposita: sed ratio naturalis non iudicat esse impossibilem Incarnationem; ergo evidenter iudicat, esse possibilem. Respondetur negando consequentiam: quia quamvis inter possibile, & impossibile non detur medium; (etenim sunt contradictoriè opposita) tamen datur inter iudicare, aliquid esse possibile, & iudicare esse impossibile: inter hæc enim duo iudicia datur hoc medium, scilicet suspendere iudicium circa illud, cuius possibilitas positiva (hoc est connexio extremorum) evidenter non apparet.

15 Dices secundò: (contra illam secundam solutionem) ratio naturalis potest solvere omnia sophismata suadentia, hoc mysterium esse impossibile: ergo etiam poterit cognoscere esse possibile. Respondetur negando consequentiam: quia antecedens solum est verum de evidenti argumentorum solutione negativa: & falsum de positiva. Vocant in præsenti evidentiam negativã, quando solum evidenter convincitur intellectus, quòd principium, ex quo procedit argumentum, aut modus colligendi, est falsus. Evidentiam vero positivam vocant, quando etiam positivè convincitur intellectus, eius oppositum esse evidenter verum. Igitur potest ratio naturalis evidenter probare primum; non verò secundum.

16 Contra: quòd ratio naturalis potest evidenter probare, hoc mysterium esse positivè credibile: ergo, & esse possibile. Respondetur negando consequentiam: quia ex diversis principijs sumitur credibilitas, ac possibilitas rei: ista enim sumitur ex natura rei, seu ex eius principijs intrinsecis; quorum vnum alteri non repugnat. Illa verò sumitur ex auctoritate dicentis. Quare, si quis aliàs fide dignus testificaret aliquod impossibile, (quandiu eius impossibilitas non appareret) crederetur vt possibile.

17 Dices tertiò: (contra illam secundam solutionem *num*. 2. allatam) Angelus comprehendit naturam humanam: ergo & potentiam obedentialem, quam habet, ut assumatur à Deo. Respondetur negando cõsequentiam: quia potentia obedentialis est habitudo ad Deum, vt agens supernaturale est. Quare, cùm non possit cognosci hoc extremum viribus naturæ, nequit cognosci potentia obedentialis.

18 Dices quartò: (contra prædictã solutionem) Angelus potest, evidenter cognoscere, resurrectionem esse possibilem: ergo & Incarnationem. Respondetur negando antecedens: quia resurrectio est supernaturalis: (saltem quantum ad fieri) & consequenter in nullo naturali continetur eius entitas, aut cognoscibilitas.

19 Dices quintò: (contra prædictam solutionem) Angelus evidenter cognoscit naturaliter, Deũ esse

esse personaliter subsistentem. Insuper, & quòd natura humana potest privari propria personalitate; vtpotè ab illa realiter distincta: ergo potest evidenter cognoscere, posse Deum terminare eius dependentiam ad personari. Respondetur (admisso antecedenti falsò quoad secundam partem: de quo *num.* 12.) negando consequentiam: nonenim cognosceret evidenter, posse Deum terminare talem dependentiam sine aliqua imperfectione compositionis, & informationis. Quare nullus intellectus creatus, aut creabilis suis viribus relictus vnquam habiturus est, aut habuit aliquando cognitionem de hoc mysterio, aut de possibilitate illius. Aut, si fingamus, eum in quæstionem de possibilitate illius incidisse, & velle eum suo ingenio illam resolvere: manebit quidem dubius; vel potiùs in errorem inclinabit: quia in rebus naturalibus plura argumenta inveniet, quæ illum in talem assensum inducant: vt benè vidit Suarez *disput.* 3. *sect.* 1. §. *Secundo principaliter.*



DIFFICVLTAS II.

De spectantibus ad Incarnationem iam executam, seu positam iam in rerum natura.

DVBIVM I.

1 PEtes primò, an Incarnatio sit facta? Respondetur affirmativè. Quia *Ioan.* 1. *Verbum caro factum est.* Estque conclusio ista *articulus fidei principalior inter illa, quæ respiciunt temporalia:* inquit Scotus *in* 3. *d.* 1. *quæst.* 1. §. *Circa primum. Vers. Supponendo.* Quomodo autem existentia huius mysterij probanda sit contra Iudæos, & infideles, declarat eruditè Suarez. *disp.* 1. & 2.

DVBIVM II.

2 PEtes secundò, an existentia Incarnationis possit evidenter cognosci solo lumine naturali? Respond. negativè. Quia nemo potest cognoscere, filium Dei factum fuisse hominem, quin cognoscat mysterium Trinitatis: quod naturaliter nequit cognosci. Secundò, quia nulla est causa, principium, aut effectus naturalis, in quo contineatur, aut ex quo colligatur Incarnatio. Sic communiter Auctores.

3 Dices primò, quòd Scotus *in* 4. *d.* 10. *q.* 8. §. *Respondeo Vers.* Se-

Secunda conclusio affirmat, Angelum, animam separatam, & intellectum hominis Beati posse naturaliter cognoscere existentiam corporis Christi Domini in Eucharistia. (quæ supernaturalis est) Imò in solutione ad tertium addit. *Quod, si absolutè permittatur, quicumque Angelus malus vti sua potentia cognoscitiva naturali, potest cognoscere quodcumque intelligibile causatum. Et per consequens posset intelligere cogitationes cordium, & mysteria, gratiæ, ex quo posita sunt in effectu*: sentit ergo Scotus, posse Angelum naturaliter cognoscere evidenter Incarnationem iam executam. Respondetur negando consequentiam. Scotus enim non loquitur de ente causato, quod involvit (saltem de connotato) ordinem ad Deum tamquam ad terminum, aut partem, aut quasi partem illius entis, aut mysterij: si enim talem ordinem involvat, viribus naturæ cognosci non potest. Quia, cùm Deus sit obiectum voluntarium; (vt probat Scotus *quodlib.* 14. §. *& Vers. De secundo principali*) tam ipsum, quàm mysterium, quod sine illo cognosci non potest; solum cognoscere quit ille, cui Deus se voluntariè manifestat.

4 Instabis, quòd quamvis hoc esset verum de cognitione intuitiva, necnon & de abstractiva habita per propriam speciem Dei: non tamen est verum de cognitione evidenti illativa. Quia eo ipso quòd Angelus videret, illam humanitatem non habere propriam subsistentiam, aut alienam creatam, evidenter inferret, sustentari ab aliqua persona divina. Respondetur negando assumptum. Ad probationem dico, quòd cùm naturaliter non cognoscatur, esse possibile, quòd natura creata terminetur personalitate divina; potius inferret Angelus, Deum sibi occultare propriam illius naturæ personalitatem; (sicut occultat secreta cordium. Recolantur dicta *in tract. de Angelis capit. 4. diff. 4. à num. 17.*) quàm subsistere personalitate divina.

5 Dices secundò, saltem supremus Angelus evidenter cognoscebat, miracula Christi Domini esse vera, & consequenter fieri divina virtute: ergo cognoscebat evidenter fieri virtute divinitatis inhabitantis in illa humanitate. Respondetur negando consequentiã: quia omnia alia vera miracula facta sunt virtute divina: & tamen malè inferretur substantialis vnio divinitatis cum illo, à quo fiunt. ¶ Dices: saltẽ hoc colligi posse ex miraculis coniunctis cum divina revelatione, qua Christus Dominus testificabat, se esse filium Dei; & suam divinitatem miraculis confirmabat; iuxta illud *Ioan. 5. num. 36. ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me, &c.* Respondetur ita esse, sed non contra nos: non enim negamus, vi revelationis posse cognosci.

6 Ex dictis in his duabus difficultatibus constat, nos non posse convincere Paganos (qui non admittunt Scripturas) de possibilitate, aut executione huius mysterij. Possumus tamen evidenter negative solvere omnia sophismata, quæ contra eius possibilitatem formantur.

DIFFICVLTAS III.

De spectantibus ad convenientiam Incarnationis.

DVBIVM I.

1 PEtes primò, an Incarnatio fuerit per se conueniens? Respondetur affirmativè. Quia fuit conveniens Deo, naturæ humanæ, & toti vniuerso. Claritatis tamen gratia singula ista sunt explicanda. Quare.

2 Dico primo: Incarnatio fuit conveniens, aut consona Deo, id est, Deum se creaturæ communicare per vnionem hypostaticam seu personalem fuit iuxta exigentiam, & inclinationem naturæ ipsius Dei. Quia Deus est bonus per essentiam: ergo consonum, & conveniens est suæ naturæ, vt se alijs communicet. Patet consequentia ex Dionysio *de divinis nominibus c. 1. & 4.* docente, bonum esse diffusivum, seu communicativum sui: ergo Incarnatio (quæ est summa communicatio possibilis creaturæ) conveniens, seu consentanea fuit Deo.

3 Dices: ergo Incarnatio, non liberè, sed necessario fuit decreta ab æterno, & in tempore executa. Patet: quia, quod pertinet ad naturam boni, necessario convenit Deo. Respondetur negando consequentiam; cuius probatio solum convincit, quòd inclinatio se cōmunicandi per Incarnationē convenit Deo necessariò. Contra: ergo quandiu Deus non se communicavit per Incarnationem, fuit violentus: sicut esset quodcumque detentum contra suam naturalem inclinationem. Respondetur negando: quia talis inclinatio subordinabatur voluntati divinæ. Sicut potentia risiva, ambulativa, & non patiuntur violentiam in cessatione suorum actuum: eo quòd prædictæ potentiæ, quoad exercitium actuum subordinantur voluntati.

4 Dices secundò: se communicare est de natura boni? Ergo defecit Deo ista perfectio, quandiu non fuit executa Incarnatio. Respond. negando suppositum consequentis, nempe quod actualis communicatio sit perfectio in Deo: solùm enim inclinatio, seu potentia ad se communicandum est perfectio illius. Aliàs ab æterno caruisset tali perfectione. Quòd & in alijs attributis potest declarari: quamvis enim attributum misericordiæ v. g. seu potentia, aut naturalis propensio ad miserendum sit infinata Dei perfectio;

ta-

tamen actualis commisseratio non spectat ad intrinsecam perfectionem Dei: aliàs ab æterno caruisset tali perfectione. Instabis contra hanc doctrinam: ex ea enim videtur inferri, actualem cõmunicationem ad intrà non esse de perfectione Dei; sed solùm virtutem communicativam, exigentiam, aut potentiam ad se communicandum spectare ad perfectionem illius. Respondetur negando consequentiam; & concedendo doctrinam consequentis.

5 Itaque nego, logicè inferri prædictam consequentiam: est enim diversa ratio de actuali cõmunicatione ad intrà; (seu qua Pater communicat Filio suam naturam; & Pater, & Filius Spiritui Sancto) ac de communicatione ad extrà. (seu qua omnes tres divinæ personæ se communicant creaturis tribuendo illis suas essentias, & naturales perfectiones) Etenim actualis communicatio, seu exercitium se communicandi ad intra est in Deo omninò necessarium: quia omninò necessarius est terminus huius exercitij, nempe persona, vel personæ divinæ: exercitium verò virtutis communicativæ ad extrà est omnino liberum: quia eius terminus (scilicet creatura) nõ necessariam, sed omnino liberam habet existentiam. Tamen quamvis consequẽtia prædicta logicè peccet; doctrina illius vera est. Si enim actualis communicatio ad intrà esset perfectio in Deo, aliqua perfectio deficeret alicui; imò & aliquibus personis divinis: cum Filio non cõpetat, sed solùm Patri communicare per intellectũ, naturam diuinam: neque Spiritui Sancto, sed solùm Patri, & Filio conveniat actualis communicatio prædictæ naturæ per volũtatem. Quare absolutè est dicendũ, quòd actualis cõmunicatio in Deo (sivè ad extra, sivè ad intrà) solùm præsuppositivè, sive arguitivè est perfectio, scilicet quia in actualiter communicante supponit, siuè arguit virtutem cõmunicativam. Huc spectant dicta à nostro Felix *in primo principio tract. de Trinit. c. 3. diff. 7. per totam, sed præcipuè n. 6. & 11.*

6 Contra id, quod non semel inculcatũ est (nempè Incarnationem esse summam communicationem, qua Deus potest se cõmunicare ad extra) dices primò. Si Deus cõmunicasset creaturæ non solùm subsistentiam, sed etiã suam naturã, esset maior cõmunicatio. Item, si plures personæ divinæ incarnassent. Et demũ, si vna persona assumeret plures naturas. Resp. quòd prima cõmunicatio est impossibilis: & si enim creatura possit personaliter esse Deus, aut subsistere personalitate divina; nequit tamen essentialiter esse Deus, aut habere essentiam illius: sequeretur enim, quòd simul esset, & non esset creatura: esset, in quã, vt supponitur; & simul non esset creatura: quia non haberet essentiam creaturæ, sed Dei. Secunda autem, & tertia communicatio esset eiusdẽ

rationis cum Incarnatione, quæ de facto est; & solùm extensivè esset maior illa.

7 Dices secundò: quòd maior communicatio est illa, qua Deus se communicat Beato per visionem claram, & fruitionem: ergo Incarnatio non est summa communicatio. Respondetur, nos in præsenti solùm loqui de communicatione, qua Deus substantialiter se comunicat creaturæ. Vtrū autem hæc sit maior quàm visio beata, & fruitio? Constabit ex dicendis.

8 Dico secundò; Incarnatio etiam est conveniens naturæ humanæ, hoc est maximopere illam nobilitat, eique bonum magnum, & perfectionem affert. Quia per eam homo factus est Deus. Vnde multæ excellentiæ homini accreverunt. Prima, quòd sit superior omnibus Angelis. Secunda, quod sit Caput totius vniversi. Tertia, quòd sit fons salutis, & omnium bonorum spiritualium. Quæ dignitates, & si videantur esse solius Christi D. tamen moraliter in totum genus humanum redundant.

9 Dico tertiò: Incarnatio etiā spectat ad perfectionem, & quasi complementum vniversi; fuitque adhoc convenientissimum hoc mysterium. Primò, quia per illud factum est, vt vniuersum omnes ordines in se comprehenderet, nempè ordinem naturæ, gratiæ, & vnionis hypostaticæ. Secundò, quia sicut in substantijs creatis est vna natura in vna persona; & in substantia increata est vna natura in pluribus personis: ita reliquum erat, vt etiam plures naturæ essent in vna persona; quod fit per Incarnationem. Simili argumento D. Leo *serm. de Nativitate* probat, conveniens fuisse, vt Christus D. nasceretur ex Virgine: quia invenitur homo productus sine viro, & fœmina; vt Adamus: item alius productus ex viro, & fœmina; vt Abel. Insuper est productio ex viro sine muliere: vt Eva: ergo debuit (infert D. Leo) etiam produci aliquis ex muliere sine viro: vt Christus D. Sic igitur nos philosophamur in præsenti, quod pro complemento perfectionis vniversi debuit (debito congruentiæ) poni Incarnatio in rerum natura.

10 Sed contra has duas extremas conclusiones obijcies: Incarnatio fuit bonum tàm naturæ humanæ, quàm vniuersi? Ergo fuit iuxta eorum exigentiam: ergo gratia (imò summa) exigitur à natura. Patet consequentia: quia vnaquæque res exigit, seu appetit id, quòd est sibi bonum. Respond. negando consequentias: quia Incarnatio solùm dicitur fuisse cōveniens naturæ humanæ, necnon & vniverso, quia fuit eius excellentia, & perfectio, non autem quia exigitur ab eis. Hac ratione subiectum habens potentiam neutram (aër v.g. respectu lucis, & tenebrarum) perficitur à forma, respectu cuius nullam exigentiam habet.

DV-

DVBIVM II.

11 PEtes secundò, an Incarnatio fuerit conveniens ad consequendum aliquem finem? Respondetur affirmativè propter nuper dicenda. Claritatis tamen gratia dico primò. Incarnatio fuit medium conveniens ad manifestandum divina attributa, præcipuè attributa liberalitatis, misericordiæ, sapiētiæ, & bonitatis. Omnia enim ista maximè resplendent in Incarnatione.

12 Dices: maior liberalitas est condonare debitum, quàm satisfactionem exigere: ergo Incarnatio non fuit medium conveniens ad manifestandum saltèm attributum liberalitatis. Respondetur, hoc argumentum supponere falsum in doctrina Scoti, nempe Incarnationem fuisse decretam ex motivo redimendi hominem, aut post prævisionem culpæ. Thereà hoc dato, non esset contra nos: quòd enim alio modo reluceret magis vnum, aut aliud attributū, non tollit, quòd etiam per Incarnationem reluceat illudmet; reluceantque magis alia attributa bonitatis, sapientiæ, &c. Imò addo, quòd per Incarnationem magis relucet ipsummet liberalitatis attributum: etenim absolutè loquendo, maior liberalitas fuit dare nobis proprium filium, vt pro nobis satisfaceret, quàm gratis condonare nobis debitum.

13 Dico secundò: Incarnatio fuit medium conveniens ad excitandum hominum amorem erga Deum. Quia si quodlibet beneficium conciliat amorem, potiori ratione hoc habebit præstantissimum hoc beneficium.

14 Dico tertiò: si ex natura rei consideretur Incarnatio, non fuit conueniens medium ad redimendum genus humanum. Quia est maius bonum: & ex natura rei maius bonum non ordinatur tamquam medium ad aliud quod est minus.

15 Dices: passio Christi Domini, & eius merita sunt maius bonum, quàm redemptio hominis; cum sint valoris infiniti. Sed ordinata sunt ad redimendum hominem: ergo maius bonum potest ordinari tamquam medium ad minus. Respondetur distinguē do minorem: ex natura rei, nego: ab operante, concedo. Contra: Deus est ordinatissimè volens: ergo non potest ordinare maius bonum ad cōsequutionem minoris: ergo supposito, quòd passio fuit ordinata ad redemptionem, signū est, quòd ex natura sua ad ia ordinabatur. Respondetur admittendo primam consequentiam, & negando secundam. Itaque passio non ordinabatur ex natura rei ad redemptionem hominum. Nec Deus inordinatè processit eam ad hunc finem ordinando: (quantumvis excedat in excellentia hominum salutem) quia ordi-

ordinatio ista fuit ex speciali, & secundaria intentione. Primariò enim, & quasi ex generali motivo Deus voluit, seu intendit suam gloriam, & manifestationem attributorum, quæ ex tali modo redemptionis erant promanaturæ; secundariò autem voluit hominum redemptionem.

16 Hinc semper mihi firmum, & statutum manet, nullum posse excogitari opus Dei, respectu cuius Deus ordinatissimè non processerit: cùm respectu cuiuscumque primò, & tamquam principalissimum finem voluerit gloriam suam, & ostensionem aliquorum attributorum, iuxta illud *Proverb. 16. n. 4. Vniversa propter semetipsum operatus est Dominus.* Vnde etiam constat, quòd, quoties de aliquo speciali opere Dei investigamus eius finem, sermo est de fine speciali, & secundario: (sic vocari potest: quoniam semper supponit intentionem Dei circa propriam gloriam, & manifestationẽ attributorum) generalis enim finis, seu quod à Deo generaliter intenditur in omnibus, & singulis suis operibus est ipsemet Deus, seu eius gloria, suorumque attributorum manifestatio.



DIFFICVLTAS IIII.

De spectantibus ad necessitatem Incarnationis.

DVBIVM I.

1 PEtes primò, quid dixerint Auctores de necessitate Incarnationis? Respondetur, quod communiter imponitur Raymundo Lullio (nostri Tertij Ordinis; & quem multi vocant Doctorem illuminatum) asseruisse, quòd supposita creatione mundi, necessarium fuit, Deum Incarnari. Quia de ratione optimi artificis est eligere optimum in eo genere. Sed hæc rerum vniuersitas optima non esset fine Incarnatione: ergo supposita creatione mundi, Deus debuit incarnari. (Hoc placitum chimericũ censet Lorca *disp. 2. n. 2.*) Sed facilè reijcitur ex eo, quòd Deus ad extra liberrimè operatur: & cõsequenter nõ tenetur eligere melius, adhuc supposito, quòd velit operari, aut aliquẽ finẽ cõsequi.

2 D. Anselmus *lib. de Incarnatione, & adventu Verbi* videtur expresse docere, necessariam fuisse Incarnationem, supposito peccato. Idem videtur docere Cyrillus Alexandrinus *lib. 5. Thesauri c. 7.* Imò D. Anselmus solùm ad id probandum *videtur fecisse totũ (vtrumq;) librum, Cur Deus homo?* inquit Scot. *in 3. d. 20. §. & Vers. Ad istam*

istam quæstionem. Quod etiam videtur sensisse Richardū de Sancto Victore *lib de Incarnatione Verbi cap*, 8. teste Vazquez *disp*. 1. *cap*. 2. *num*. 14. immò *num* 16. citat D. Amb. August. Fulgentium, Crysost. & alios: ex quorum testimonijs colligi videtur, alio modo, non potuisse Deum ad pristinum gratiæ statum revocare hominem lapsum nisi per Incarnationem: quamvis hi Patres non dicant, aut insinuent, necessarium fuisse Deo hominem reparare.

DVBIVM II.

3 PEtes secundò, an Incarnatio possit aliquo modo dici necessaria? Respondetur affirmativè. Quia, supposito decreto efficaci de illius existentia, necessario fuit ponenda in executione. Cùm enim Deus sit immutabilis in suis decretis, & simul sit omnipotens, seu inimpedibilis in executione illarum rerum, quas ab æterno dispoluit in tempore eventuras; fit planè, quod supposito efficaci decreto incarnandi, Incarnatio aliquo modo fuit necessario in tempore exequenda.

DVBIVM III.

4 PEtes tertiò, an ex suppositione, quòd Deus voluerit manifestare sua attributa, & hominem redimere, fuerit necessaria Incarnatio? Respondetur negativè. Quia ad istos fines consequendos suppetebant alia media, scilicet creatio, gubernatio, gratuita condonatio offensæ, collatio gratiæ, & gloriæ, &c.

5 Sed contra secundam partem conclusionis obijcies, quòd iniustum est non punire malos: ergo Deus non poterat gratis remittere pœnam debitam. Resp. negando consequentiam: quia antecedens solùm est verum de iudice inferiori; qui tenetur obedire legibus: & consequenter tenetur damnare criminosum ad pœnam per legem taxatam; vel à se arbitratam, quando à lege hoc relinquitur suo arbitrio. Falsum autem est antecedens de iudice supremo: iste enim habet vices totius reipublicæ: (cùm sit Caput illius) & consequenter licitè potest ex rationabili causa remittere pœnam debitam: vt latè probabimus (Deo dante) *in tract. de legibus*.

7 Dices secundò, quòd Deus in omnibus, & singulis suis operibus debet servare iustitiam: ergo non potest gratis remittere offensam: ergo ex hoc capite necessaria fuit Incarnatio. Antecedens constat ex *Ps*. 24. *Vniversæ viæ Domini misericordia, & veritas* hoc est, iustitia. Respondetur negando antecedens de iustitia strictè sumpta: (Quam enim iustitiam strictam servat Deus creando Angelos, hominem, formicam, lapidem, &c.) & concedendo de iustitia latè sumpta; quàm servat Deus concedendo rebus passio-

nes, & accidentia, ad quas naturaliter inclinantur. De qua iustitia intelligendum est ly *veritas* iuxta expositionem, dicentium sumi pro iustitia. Respondetur secundo, Deum in singulis operibus suis servare iustitiam non positivè, sed negativè; idest, quòd in nullo lædit iustitiam. Fusiores expositiones vide apud Incognitum, Iansenium, &c.

DVBIVM IIII.

8 PEtes quartò, an saltèm fore necessaria Incarnatio in hypothesi, quòd Deus non posset, gratis remittere iniuriam sibi factam, & totam pœnam iniuriæ, sed necessariò foret facienda condigna satisfactio? Respondetur negativè. Quia posset Angelo, vel puro homini concepto sine peccato conferri summa gratia, vt satisfaceret pro peccatis totius generis humani. Hanc conclusionem defendit Scotus. *in 3. d. 20. §. Contra illud Vers. Præterea, vnus:* & Scotistæ, præsertim videatur Cavellus in Scholio illius loci.

9 Dices, quòd gratia solùm dignificat subiectum, vt sibi mereatur de condigno: est enim semen gloriæ: & consequenter solùm fructificat subiecto, cui inest: ergo Angelus, vel purus homo non poterat satisfacere pro alijs. Respondetur negando consequentiam: quia antecedens solùm est verum de potentia ordinaria; & falsum de absoluta.

10 Dices secundò, quòd peccatum habet infinitam malitiam: ergo solùm à persona infinita potest deleri per condignam satisfactionem. Respondetur negando antecedens cum Scoto *in 4. d. 50. q. 6. § Ad argumentum primum Ver. sic. Et quando dicis*, *cum. Vazquez, Suarez, Lorca, & Hurt.* quos citat noster Felix *tract. de Peccatis c. 1. diff. 6. n. 2.* Itaque *peccatum non dicitur infinitum, nisi quia separat ab infinito, non quod formaliter malitia sit infinita* (inquit Scotus citatus).

11 Addo, quòd admisso gratis, Angelos, vel homines iustos, seu in iustitia creatos, quibus summa gratia conferretur, non posse pro peccatis aliorum condignè satisfacere; adhuc non fuisset necessaria Incarnatio. Quia poterat Deus peccatori conferre habitualem gratiam, vt postea per opera ex gratia elicita satisfaceret pro iniuria, & pro pœna debita. Itaque Deus tunc conferendo gratiam peccatori remitteret ei culpã, iniuriam, seu offensam, necnon & totam pœnam culpæ correspondentem, nõ quidem absolutè, sed sub conditione, quòd per opera elicita in statu iustificationis adæquatè satisfaceret. Hac ratione miles satisfacit pro equo, & armis à Rege acceptis sub cõditione, quòd per opera facta cum illis solvat valorem illorum. Item posset Rex dare illa sub conditione, quòd etiã solvat valorem anterioritatis beneficij collationis equi, & armorum.



rum. Immo, & sub conditione, quòd satisfaceret pro offensa, quā Rex remittebat de præsenti propter opera futura. In hoc sensu accipio Scotum *in 3. d. 20. §. Contra illud vers. Præterea videtur* verbis illis: *Igitur potuit etiam mereri deletionem culpæ.*

DVBIVM V.

12 PEtes quintò, quid ex prædicta doctrina colligatur? Resp. duo mihi colligi, nempè, & intelligentiam Patrum, qui videntur astruere necessitatem Incarnationis; necnon & abstinere à disputatione insufficientiæ puri hominis ad satisfaciendum pro suo peccato mortali, aut pro alieno. Sed pro clariori intelligentia compedemus dicta in hac difficultate.

13 Igitur habemus, Deum incarnari non fuisse medium simpliciter necessariū ad manifestandū divina attributa; neque ad redimē dum hominem, adhuc in suppositione quòd Incarnatio fuisset decreta ante prævisionē culpæ. Item etiā in hypothesi, quòd Deus vellet redimere hominem per condignam satisfactionem.

14 Vnde mihi colligo primò, abstinendum nobis esse in præsenti ab illa molesta disputatione, quā multi hic annectunt; scilicet de insufficientia puri hominis ad satisfaciendum pro proprio, vel alieno peccato. Ex dictis enim constat, vtrumque potuisse Deum disponere. Quare in præsenti in hac disputatione non immoror Pecanū inter alios imitatus. Aliqua fortasse huc spectantia attingemus, dum de satisfactione Christi Domini, & eius merito in secunda parte huius tractatus *cap. 9.* disputemus.

15 Colligo secundò in quo sensu sint explicandi Patres *num. 13 & 2.* relati, qui videntur affirmare Incarnationem fuisse necessariam. Igitur sumunt ly *necessariam* pro vtili, seu loquuntur de necessario ad meliùs manifestandum divina attributa, seu ad convenientius redimendum hominem. Incarnatio quippè fuit conuenientissimum medium ad hos fines.

16 Dices; Incarnatio in nostra sententia fuit decreta ante præuisionē culpæ: ergo Patres nequeunt explicari de medio vtili ad redimendum hominem: Patet consequentia. Si enim Incarnatio erat decreta independenter à culpa, nequivit assumi, aut decerni, adhuc vt magis vtilis ad illum finem consequendum. Resp. prædictos Patres fore explicandos de Incarnatione in carne passibili. Itaque quamvis priùs fuerit decreta Incarnatio quoad substantiam, (hoc est, quòd Deus fieret homo) quàm redemptio hominis; imò, & antequam cognosceretur futurum peccatum: tamen, præviso iam peccato futuro, decrevit Deus Incarnationem in carne passibili, seu suam mortem, & passionem propter redemptionem hominis. Intendunt ergo Patres, quòd

quòd quamvis ad redimendum hominem non fuerit simpliciter necessarium, Deum fieri hominē, aut moriturum; fuit tamen vtilissimum.

17 Possunt etiam dicti Patres exponi de necessitate inevitabilitatis, qua necessarium erat, Deum fieri hominem, supposito efficaci decreto Incarnandi, iuxta dicta *num.* 3.

18 Instabis, has solutiones saltem non posse adaptari D. Anselmo. Respondetur, fortè posse etiā illi accommodari, præsertim, quia *lib. 2. Cur Deus homo cap.* 19 dicit: *non indigebat Deus de cœlo descendere, vt vinceret diabolum, & nos liberaret.* Et fortassè propter hoc dixit Scotus *in 3, d. 20. §. Tunc ad quæstionem Vers. Si autem*, quòd *si volumus salvare Anselmum, dicamus, quòd omnes rationes suæ procedunt, supposita ordinatione divina, quæ sic ordinavit, hominem redimi, &c.*

19. Tamen quia Scotus ibidē *à §. In istis dictis* multa dicta ab Anselmo impugnat, videturque satis clarè tenere, eius mentem fuisse, quòd omnino erat necessaria Incarnatio, supposito peccato. Quod & alij sentiunt de mente Anselmi, & Hugonis Victorini, præsertim Vazq. *disp.* 1. *cap.* 4. *nu.* 30. Ideò doctrina Anselmi sex subiectis propositionibus contenta est nobis examinanda.

20 Prima propositio Anselmi est: *Necessarium fuit, numerum Angelorum restaurari.* Tamen oppositum huius continetur *Sap.* 12 *Quis tibi increpabit, si perierint nationes, quas fecisti?*

21 Secunda propositio est; *impossibile fuit, numerum Angelorum restaurari ex Angelis.* Tamen hoc ita non est: quia potuit Deus eos ad pœnitentiam revocare; vel illis gratis remittere culpam; & gratiam infundere; vel illum numerum restaurare ex Angelis de novo creatis.

22 Tertia propositio est: *Ex hominis specie potuit, & decuit hic Angelorum numerus restaurari.* Quæ propositio vera est, sed non contra nos.

23. Quarta propositio est. *Vt numerus Angelorum restauraretur, debuit homo in pristinum statum gratiæ restitui.* Hoc etiam est verum, (saltem de potentia ordinata) sed non contra nos.

24. Quinta propositio est: *Homo non potuit in pristinum statum restitui, nisi per condignam satisfactionem.* Tamen, quòd hoc ita non sit, constat ex eo, quòd potuit Deus gratis remittere culpam, & pœnam: vt dicebamus *num.* 4. Item cùm per hanc propositionem intendat Anselmus, quòd prædicta satisfactio debeat fieri ab alio: hoc etiam reijcitur ex eo quòd potuit homo pro se satisfacere, si ei conferretur gratia, vt satisfaceret per modum anticipatæ solutionis: vt diximus *num.* 11.

25 Sexta propositio est, *condignam satisfactionem non potuisse præstare purum hominem, ac per conse-*

sequens fuisse necessarium, quòd Deus assumeret humanitatem. Tamen, quòd hoc ita non sit, constat ex eo quòd *num.* 8 dicebamus cum Scoto, potuisse purum Angelum, vel hominem summa gratia ornatum satisfacere ad æqualitatem pro culpa, & pœna.

DVBIVM VI.

26. **P**Etes sextò, an in hypothesi, quòd ad redimendum hominem Incarnatio fuisset necessaria, fuisset quoque necessarium, Christum D. mori? Respondetur negativè: Quia quodlibet Christi D. opus habet valorem saltem summum: ergo plus est amabile Deo, quàm odibilis malitia peccatorum omnium, quantumcumque gravissima excogitetur. Sic Scotus *in* 3. *d.* 20. §. *&* *Vers. Tunc ad quæstionem, &* *Vers. Ad secundum:* estque communis sententia.

DVBIVM VII.

27. **P**Etes obiter, an, si homines cognovissent Christum D. esse Deum per vnionem, potuerint illum occidere? Scotus citatus sic loquitur: *Anselmus dicit cap.* 5. *secundi* (libri) *Cur Deus homo? quod non potuerunt eum scienter occidisse. Hoc tamen non credo, sed credo, quòd licet scivissent, eum Deum per vnionem, adhuc potuissent eum occidisse.* Etsi obijciatur illud *prima ad Chorint.* 2. *quod si cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Respondet Scotus ibi, quòd loquitur, non de Iudæis, sed de Principibus mundi, scilicet de dæmonibus: *quia si scivissent, eum esse verum Deum, non instigassent homines ad eius mortem. Et hoc propter bonum secutum ex morte, scilicet redemptionem hominis: quod bonum nolebant accidere.*

DIFFICVLTAS V.

De spectantibus ad actionem Incarnativam quantum ad eius essentiam, & proprietates.

1. **S**Vppono, quòd actio illa, qua humanitas Christi D. vnita fuit personæ Verbi, dicitur vnio hypostatica: eoquòd per illam humanitas mansit vnita hypostasi, seu personæ Verbi. Dicitur etiam Incarnatio: eoquòd per illam persona Verbi fuit incarnata, seu secum traxit humanam carnem, id est, totam humanitatem. Dicitur etiam assumptio humanitatis; eoquòd per illam humana natura assumpta est ad subsistendum per subsistentiam, seu personalitatem Verbi.

2. Suppono Secundò, quòd quamvis actio communissimè dicatur vnio; in rigore tamen vnio non est, sed vnitio: vnio quippè est terminus talis actionis; quā efficienter opera est tota Trinitas:

(est

(est enim actio ad extra) & per quam humanitas illa substantialiter fuit coniuncta, seu vnita personæ verbi divini. Consistit autem hæc vnio substantialis in hoc, quòd personalitas Verbi substituatur loco propriæ personalitatis, quæ aliàs ex prædicta humanitate pullularet, & per quam personaretur illa natura, si non impediretur ab aliena personalitate Verbi.

3 Suppono tertiò, quòd etsi omnes tres divinæ personæ efficienter vnierint humanitatem, cum secunda Trinitatis persona: ista tamen solùm dicitur incarnasse: eoquòd ipsa sola supplet propriam personalitatem, seu est terminus illius naturæ. Neque in tali terminatione reperitur aliqua imperfectio: etenim *terminare* ex proprio conceptu non dicit informationem. Et ideò Verbum terminat illam naturam sine informatione.

4 His suppositis, antequam ad propria dubia huius difficultatis descendamus, ab vno, vel altero, quod de Beatissima Virgine incidenter hic disputant, me expediam.

DVBIVM I.

5 Petes primò, (incidenter) an B. Virgo non minori veritate, & proprietate, ac cœteræ mulieres dicuntur matres, dicatur mater Christi D. imò & Dei? Respond. affirmatiuè. Quia non minus ac cœteræ aliæ matres ministravit materiam, ex qua resultauit humanitas, cum qua in eodem temporis momento vnita est secunda persona Trinitatis, ex qua vnione resultavit Christus Dominus.

6 Dices: Beata Virgo non attigit aliqua actione propria vnionem hypostaticam: (hæc enim à Trinitate solum fuit operata) ergo non potest dici mater Dei: & consequenter neque Christi Domini, qui resultavit ex tali vnione. Respondetur negando consequentiam: quia quælibet alia mulier verè, & propriè dicitur mater hominis per hoc, quòd ministrat materiam ad formationem corporis necessariam, & per hoc, quòd talem materiam disponit vltimò ad introductionem animæ rationalis; quamvis alias creationem prædictæ animæ, & illius inductionem non attingat. Ita B. Virgo verè, & propriè dicitur, & est mater Dei, & consequenter Christi Domini per hoc, quòd ministravit, & disposuit materiam ad formationem corporis, seu ad generationem humanitatis necessariam, cum qua humanitate Deus substantialiter fuit vnitus in eodem instanti, in quo materia illa à B. Virgine fuit disposita.

DVBIVM II.

7 Petes secundò: (etiam incidenter) an, si vnio Verbi cum dicta humanitate non fuit-

fuisset facta in eodem temporis instanti, in quo à B. Virgine fuit vltimo disposita materia, adhuc vocaretur vera, & propria mater Dei? Respondetur affirmativè. Quia ista simultas videtur de per accidens: & solùm videtur ad hoc necessariũ administrare, & disponere vltimò materiã requisitã ad formationem corporis, seu ad generationem humanitatis, cũ qua vniretur verbum. Sicut etiã videtur quid accidentale, vt aliæ mulieres dicantur verè, & propriè matres, quòd in eodem temporis instanti, in quo administrant, & vltimò disponunt materiã, introducatur anima rationalis. Quare in definitione generationis de tali simultate non fit mentio: sic enim definitur: *est origo viventis à vivente ex principio coniuncto in similitudinem naturæ.*

8 Quod & mihi non mediocriter suadet instantia ipsiusmet Virginis, quæ etiam post Resurrectionem Christi Domini dicitur, & est verè, & propriè mater ipsius; (sicut & aliæ matres post Resurrectionẽ filiorum) quamvis actio resurrectiva tanto tempore fuerit posita postquam Virgo B. administravit materiam ad generationem humanitatis necessariam, vltimòque disposuerit prædictã materiam. Itaque B. Virgo est verè, & propriè mater Christi Domini non solùm geniti, sed etiam resuscitati, quamvis administratio materiæ, & dispositio illius ab eadem Virgine facta non fuerit posita in eodem temporis momẽto, in quo fuit posita actio resurrectiva.

9 Ab his ergo, quæ de B. Virgine in præsenti obiter disputant, iam expediti, ad propria huius difficultatis dubia descendo.

DVBIVM III.

10 PEtes tertiò, an actio Incarnativa sit merè vnitiva? Respondetur negativè. Claritatis tamen gratia dico primò, per actionem Incarnativam non fuit producta humanitas Christi Domini. Quia ista supponitur producta per actionem generatiuam; aliàs non esset locus defendendi, B. Virginem esse matrem Dei, & Christi Domini. Vnde reijcitur opposita sententia, quam esse aliquorum recentiorum Thomistarum, testatur inter alios Becanus *cap. 2. quæst 1. num. 1.* Solùm noto, quod prioritas illa, qua humanitas supponitur producta ante vnionem hypostaticam, tantùm est naturæ: etenim in eodem temporis instanti fuit vltimò disposita materia, seu inducta forma corporeitatis; (hæc enim est vltima dispositio in viventibus ad introductionem formæ specificæ in nostra Scotistarum sententia) creata anima rationalis Christi Domini; inducta anima in materiam; qua inductione posita resultauit tota humanitas; & demum posita fuit actio Incarnatiua, seu vnitiua prædictæ humanitatis cũ persona Verbi Diuini.

11 Dico secundò; per actionem Incarnativam producta est vnio, per quam extrema (scilicet Verbum diuinum, & humanitas) dicuntur permanenter esse vnita. Quia cùm illa extrema ex vi suarum entitatum vnita non sint; nō possunt accipere esse vnita, nisi alterum illorum saltem aliter se habeat recipiendo vnionem, nexum, seu vinculum, per quod cum altero copuletur; & sic vtrumque maneat permanenter vnitum.

12 Sed contra id, quod diximus in prima conclusione (nempè humanitatem Christi D. supponi productam ante vnionem hypostaticam) obijcies Leonem *Epistola 11. ad Iulianum* dicentem, quod *natura nostra non sic assumpta est, vt priùs creata posteà assumeretur; sed vt ipsa assumptione crearetur.* Respondetur cum præcitatis Suarez & Eccano, solùm excludere prioritatem temporis, non naturæ. Loquebatur enim contra sentientes, quòd *anima, quam Saluator assumpsit, priùs in cælo sit commorata, quàm de Virgine nasceretur; camque sibi Verbum in vtero copularet. Sed hoc Catholicæ mentes, aurésque non tolerant.* Verba sunt ipsius Leonis ibidem. Quæ solutio aptanda est D. Fulgentio *lib. de Incarnat. & gratia cap. 3.* Quamvis enim simili modo, ac Leo, loquatur; tamen ex contextu patet eius mens: dixerat enim ibidem: *Non est igitur aliquod interuallum temporis existimandum inter conceptæ carnis initium, & conceptæ maiestatis aduentum.*

13 Obijcies secundò, quòd humanitas Christi D. existit existentia Verbi: ergo non potest supponi producta (adhuc prioritate naturæ) ante vnionem. Respondetur negando antecedens: etenim Verbum solùm suppleuit subsistentiam humanitatis.

14 Sed Incarnationem esse actionem merè unitiuam sentiunt *Durandus, Gabriel, & Ochamus*, quos citat Suar. *disp. 8. sect. 1.* additque sumi hanc sententiam ex D. Thoma *3. p. q. 4 art. 2.* Pro qua citat etiam Scotum. Doctor tamen Subtilis Incarnationem solùm potest vocare actionem merè vnitivam, quatenus per ipsam non producitur humanitas.

15 In eamdem sententiam ferè coincidunt *Gregorius Ariminensis, Caiet. Valentia, Aluarez,* & alij, quos partim citat Lorca *disp. 15.* & copiosiùs nostri *Castillo disput. 5. quæst 4. n. 2. & Felix cap. & diff. 5* Igitur dicant prædicti Auctores, ipsas naturas se ipsis vniri sine aliquo de nouo producto. Discriminantur tamen: nam *Caietanus, Valencia, & Aluarez* dicunt, ad actionem Incarnativam sequi relationem vnionis; quæ in humanitate est realis, & in Verbo rationis. Gregorius verò negat quamcumque relationem.

16 Sed, quidquid sit de discrimine horum Auctorum, omnes nostræ secundæ conclusioni opponuntur; & obijciunt, quòd inter naturam, & suam propriam per-

personalitatem non datur vnio: ergo neque in præsenti. Respondetur negãdo antecedes Sicut enim Scotus *in 4. d. 12. q. 1: §. & vers. Ad quartum* dicit, quòd inhærentia actualis accidentis (saltem absoluti) ad subiectum est respectus quidam extrinsecùs adveniens: ita dico de personalitate propria comparata ad naturam. Quod & expressè videtur fateri Scotus ibi: subdit enim: *Omnis autem vnio absoluti ad absolutum est respectus extrinsecùs adveniens.* Quam propositionem ex professo ibi probat. Vnde reijcio nostrum Felix in hac parte minùs æquo adhærentem Scoto.

17 Obijciunt secundò, quòd partes continui vniuntur indivisibilibus sine vnione: ergo & humanitas, & personalitas Verbi. Respondetur negando antecedens: sicut ad præcedens.

18 Obijciunt tertiò, quòd in humanitate est potentia obedentialis ad vnionem; & in Verbo est virtus reducendi ad actum illam potentiam, seu reddendi subsistentē humanitatē: ergo sufficit, quòd hæc extrema applicentur; & non requiritur vnio. Respondetur negando consequentiam: aliàs eodē argumento probaretur, ignem seu calorem applicatum passo ipsum reddere calidum. Si enim applicatio, seu approximatio est vnio: & calor vnitus non potest non reddere calidum: etenim calidum nihil aliud est, quàm calor vnitus subiecto, sive subiectum affectum calore; profectò calor applicatus necessario reddet subiectum calidum. Huiùs autem oppositum contigit in furno Babylonis. Igitur præter applicationem; seu approximationem extremorum requiritur vnio.

19 Obijciunt quartò, quod hæc vnio esset extensa ex parte humanitatis, & spiritualis, atque inextensa ex parte Verbi. Respondetur ita esse quoad denominationem: quoad realitatem autem *vnio* abstrahit ab extensione, & spiritualitate: (sive sit relatio, sive modus) quia neutrum habet à se sed à fundamēto, seu à re, quam modificat, habet extensionem, aut inextensionem. ¶ Dices, non facilè percipi, quòd eadēmet numero vnio (sive sit modus, siuè relatio) habeat simul extensionem ab humanitate, & inextensionem à Verbo: etsi alia vnio in suo conceptu abstrahat ab vtroque possitque in rerū natura conservari cum extensione; aut cum inextensione. Respōdetur ita esse: sed non contra nos: non enim affirmamus, eadem numero vnione esse, & denominari vnita duo extrema; (nempe humanitatem, & Verbum) sed in vnoquodque suam vnionem admittimus: vnam in humanitate; quæ est realis, & per quam humanitas est verè, & dicitur vnita esse Verbo: quæ habet hactualem extensionē desumptam, & sibi communicatā ab ipsa humanitate. Alteram autē vnionem admittimus in Verbo; per quam Verbum refertur ad huma-

manitatem. Quæ vnio propter incapacitatem, quam habet Verbum ad recipiendum aliquam novam entitatem, est quid rationis; esset autem realis, si Verbum esset capax.

DVBIVM IV.

20 PEtes quartò, quid sit vnio, quæ producitur per actionem Incarnativam? Respondetur quòd est relatio. Quia humanitas Christi Domini post vnionem habet dependentiam terminatam ad Verbum: sed dependentia est relatio: ergo vno est relatio. Confirmatur, & declaratur. Posita vnione in humanitate, nequit concipi sine ordine ad aliud, cum quo remanet vnita: ergo vnio est relatio. Patet consequentia; quia hic est effectus formalis relationis, nempè quòd posita in subiecto, aut fundamento ita illud referat ad aliud, vt non possit esse, aut concipi sine illo.

21 Hanc conclusionem defendit Scotus *in 3. dist. 1. q. 1. §. & vers. Primò, & alibi*, quem sequuntur *Fada, Fabro, Pitygianus*, & alij Scotistæ, quos citant, & sequuntur *Castillo disp. 5. quæst. 4. num. 8. & Felix cap. 5. dist. 5.* Qui notant, etiam D. Thomam fateri, vnionē esse relationem; idemque asseruisse *Aureolum, Ochamum, & Argentinam.*

22 Notat autem Scotus *ibi § Ad illud versic. Tunc*, & cum eo omnes Scotistæ, vnionem per actionem Incarnatiuam productum non esse relationem intrinsecùs, sed extrinsecùs advenientem. Quia non resultat ex positione extremorum; sed positis iam in rerum natura Verbo diuino, & humanitate, necessaria fuit noua actio, (scilicet extremorum vnitio) vt poneretur vnio.

23 Sed Gabriel *in 3. d. 1. q. 1. art. 1.* docet id, quod per actionem Incarnativam fuit productum, esse qualitatem absolutam supernaturalem, quam vocat gratiam vnionis. *Suar. autem, Vazquez, Ragusa*, & communiter Recentiores Thomistæ (quos citat, & sequitur Gaspar Hurtado, *disp. 2. dif. 6*) affirmant, per actionem Incarnatiuam produci modum quemdam substantialem distinctum ex natura rei ab humanitate. Inter quos Auctores est differentia: nam Suarez dicit, talem modum esse fundamentum relationis realiter ab illo distinctæ. Vazquez verò cum alijs dicit, talem modum includere relationem *secundum dici*; quæ pertinet ad prædicamentum substantiæ, & identificatur cum tali modo.

24 Igitur omnes hi Auctores conspirant contra nostram conclusionem: & obijciunt, (præcipuè Gab.) quòd ad relationem non datur per se motus; *ex. 5. Physicorum*: Ergo ponenda est qualitas, aut alia entitas absoluta terminans actionem, qua Trinitas vnivit humanitatem cum Ver-

Verbo. Respondetur ex Scoto *in 3. dist. 1. quæst. 1. §. Ad illud, versic. Tunc* Philosophum solùm loqui de relationibus intrinsecùs advenientibus: quæ cùm necessariò resultent ex positione extremorum, non possunt terminare per se actionem agentis. Extrinsecùs autem advenientes possunt terminare novam actionem: cùm extrema illarum dentur à parte rei, quin resultet relatio.

25. Obijciunt secundò (Suarez, &c.) vnio est relatio extrinsecùs adveniens: ergo actio Incarnativa est accidēs, seu accidentalis. Resp. ita esse. Cautè tamen est loquendum, ne videamur aduersari Patribus disputantibus cum Nestorio: qui ponebat in Christo Domino duas personas vnitas solùm accidentaliter, seu per affectum. Vnde patet, Patres disputantes cum illo solùm intendere, in Christo Domino solùm ponendam esse vnam personalitatem, & duas naturas in illa personalitate substantialiter vnitas, vt in vinculo *in quo*. Nullatenus autem intendunt, vinculum quo, seu id, quod producitur per vnitionem, seu per actionem, qua Trinitas vnivit humanitatem cum persona Verbi, & per quod extrema dicuntur formaliter vnita, esse substantiam. Hoc enim erat extra suum institutum: cum Nestoriani de hac metaphysica quæstione non disputarent.

26 Nota, quòd absolutè loquendo extrema dicenda sunt vnita à vinculo *in quo*; non autem à vinculo *quo*. Et ideò Petrus, & Paulus v. g. dicuntur esse idem, vel vnum substantialiter: quia vniuntur in substantia; etsi vinculum, *quo* mutuò se ad invicem referunt, sit accidēs, nempè relatio identitatis. Vnde constat, Verbum diuinū, & naturam humanā absolutè esse dicenda substantialiter vnita.

DVBIVM V.

27 Petes quintò, ad quod prædicamentum spectet relatio vnionis? Castillo *disp. 5. q. 4. à num. 27.* duo dicit multis Scotistis difficilia. Primum est, relationem vnionis pertinere ad prædicamentum habitus. Pro quo citat Maironem, & Nicolaum Bonet. Alterum est, probabile sibi esse, prædictam relationem esse accidens: non tamen existimo (subdit) improbabile, neque expressè contra mentem Scoti, quod sit substantia.

28 Dico primò: prædicta relatio spectat ad prædicamentum passionis. Quia correspondet reali actioni, qua Trinitas vnivit naturam humanam cum persona Verbi; & per vnionem à prædicta actione productam Verbi personalitas transmutavit humanitatem de non esse personæ ad esse personæ. Transmutavit (inquam) in genere causæ formalis: (extrinsecæ) in genere tamen causæ efficientis tota

Tri-

enim vniversalissimè verũ, quòd fieri rei est priùs re, quę per ipsum habet esse.

33 Igitur. Respondetur, in forma distinguendo maiorem dicto modo, concedendo minorem, & negando consequentiam. Solùm enim infertur, quòd vnio sumpta pro suo fieri, seu pro actione vnitiva concipitur, & est prior se ipsa in facto esse. Non autem infertur, quòd in eodem *nunc*, in quo ponitur vnio pasiva, qua humanitas terminatur à Verbo, seu ab illo transmutatur in genere causæ formalis extrinsecæ; non ponatur vnio activa, qua Verbum terminat humanitatem, seu illam transmutat in genere causæ formalis. Et ratio est, quòd quando producitur ab agente, seu efficiente vnio activa, (quæ est actio prædicamentalis seu de prædicamento actionis) simul producitur propter inevitabilem connexionem repertam inter actionem, & passionem prędicamentales vnio passiva: (quæ est passio prædicamentalis) aut si vna illarum tãtum ab agente producitur alia simul resultat: sicut in relationibus intrinsecùs advenientibus dicimus, quòd ad positionem istius albi v,g. resultet relatio non solùm in illo, sed etiam in alij albis,

34 Ad probandum autẽ, quòd vnio hypostatica spectat ad prædicamentum *habitus* objicit Castillo illud *ad Ephes. 2. & habitu inventus vt homo*: quasi diceret Apostolus; (inquit Castillo) sicut homo induit vestes: sic Verbum induit humanitatem: ergo sicut relatio, qua homo dicitur vestitus, vel Loricatus spectat ad prædicamẽtum *habitus*; ita vnio hypostatica. Respondetur, negando consequẽtiam, & explicationem antecedẽtis. Apostolus enim solùm intendit; Christum Dominum ita occultasse suam diuinitatẽ, vt visus fuerit purus homo. Legatur Glossa super illum locum.

35 Ad probandum, quòd vnio hypostatica sit, aut esse possit substantia, objicit Castillo: relationes divinę sunt substantiales: ergo ex eo, quòd vnio hypostatica sit relatio, non probatur, quòd sit accidens. Item neque probatur ex eo quòd sit extrinsecùs adveniens: nam relatio divina extrinsecùs advenit naturæ humanæ; & tamen est substantia. Secundò, quia diuina filiatio, & spiratio passiva sunt substantiæ, & tamen videntur extrinsecùs advenientes: cùm terminent per se motum, seu quasi motum, scilicet generationem, & spirationem. Respondetur vnionem hypostaticam esse accidens probari ex eo quòd est relatio creata non identificata cum suo fundamento. Ex hoc quippe capite probant omnes, relationes intrinsecùs advenientes esse accidentia.

36 Objicit ad idem probandum, quòd Patres disputantes contra Nestorium videntur adstruere substantialitatem vnio-

nis. Respond. Patres solùm velle, naturas divinam, & humanam esse vnitas hypostaticè, scilicet in persona Verbi; & non esse in Christo D. duas personalitates vnitas per affectum; vt hæreticè dicebat Nestorius.

37. Ad probandum, probabile esse secũdum Scotum, quòd vnio hypostatica sit substantia, expendit Castillo *ibi num. 32* quòd nullibi expressè reperitur apud Scotũ, neque ex eius verbis potest deduci, quòd sit accidens. Respondetur, satis apertè deduci ex eo quòd affirmat, esse relationem (extrinsecùs advenientem) creatam realiter distinctam à suo fundamento.

38. Item expendit, quòd *quodl. 19. §. De secundo potest versic. Respondeo*, & alibi affirmat priùs convenire naturæ substantiali singulari rationẽ, qua constituitur in esse personæ, quàm recipere aliquod accidens: ergo sentit, non posse intelligi naturam humanam Christi Domini affectam vnione, quæ sit accidens, nisi postquam fuit constituta in esse personæ: ergo vnio hypostatica, quæ est prior, & quasi adducens personalitatem Verbi, illamque coniungẽs cum natura humana singulari, nequit esse accidens. Et confirmatur; quia Scotus *in 3. dist. 1. quæst. 1. §. Sed oppositum* (§ istum in Scoto non invenio) expressè tenet, quòd nullum accidens est propria ratio personalitatis Verbi, neq; istius vnionis. Vnde infert Castillo, esse magis conforme Scoto dicere, quod vnio hypostatica est relatio extrinsecùs adveniens substantialis. Respondetur, negando cõsequentias: Scotus enim non loquitur de accidenti; quod necessario præcedit ad personari: vt patet in relatione transmutantis ad transmutatum, & transmutati ad transmutans, quibus medijs vniuntur materia, & forma. Idem patet de relatione producti ad producens, quæ præcedit ad personari: sicut etiam præcedunt relationes identitatis, diversitatis, *vbi, quando, &c.* Quare Scotus loqui non potest de accidentibus relativis, quæ immediatè fundantur in natura; sed vel de absolutis, vel de relativis, quæ fundantur in natura personata. Ad confirmationem dico, solùm posse velle (si hoc in Scoto inveniatur) nullũ accidens præcessisse, tamquam rationem, aut dispositionẽ ad vnionem hypostaticam.

DVBIVM VI.

39. PEtes sextò, (incidẽter) an sit necessariũ in doctrina Scoti affirmare, quòd motus, qui datur ad relationem extrinsecùs advenientem, immediatè terminetur ad ipsam? Respondetur negativè. Quia Scotus nusquam hoc expressit. Quare inter Scotistas de hoc potest esse nõ leve dissidium. Dupliciter quippe possumus philosophari. Primò dicendo, actionem seu motum, qui ne:

necessariò requiritur ad relationē extrinsecùs advenientem, per se, & immediatè terminari ad ipsam relationem. Secundo dicere possumus, prædictam actionem, seu motum immediatè, & per se non terminari ad relationem, sed ad ponendum in rerum natura quandam conditionem, qua posita resultat duplex relatio in ligno v.g. transmutati à calore; & in calore transmutantis lignum.

40 Prior modus communior videtur inter Scotistas. Sed haud facilè assignat ad quam ex duabus relationibus (quibus materia v.g. refertur ad formam transmutantem; & forma ad materiam transmutatam) terminetur per se nova illa actio, seu motus. Præterea, etsi in aliquibus relationibus extrinsecùs advenientibus possit assignari terminus per se, & immediatè productus per novam actionem, seu motum: vt patet in vnione hypostatica producta per vnitionem; & in *vbi* seu præsentia locali producta per lationem, seu motum localem. Tamen in aliquibus alijs relationibus extrinsecùs advenientibus difficilè assignatur nova actio, aut motus immediatè, & per se terminatus ad ipsam relationem: vt patet in prædicamento *habitus*; *quando*, &c. Præter actiones enim, aut motus quibus in rerum natura ponuntur corpus, & vestimentum, & præter actionem, aut motum localē, quo vestes corpori applicantur, seu approximantur, non reperitur nova actio, aut motus immediatè, & per se terminatus ad relationem habitus.

41 Posterior autem modus facilius declarat quo modo posita approximatione, seu vnione extremorum (ad quā per se, & immediatè terminatur actio, seu ille novus motus) statim in vtroque extremo resultet sua specialis relatio extrinsecùs adveniens, per quam refertur ad aliud extremum. Et quæ dicitur extrinsecùs adveniens eo quòd nō resultavit, ex præcisa positione extremorū, sed expectata fuit illa nova actio, seu motus. Quòd in relationibus intrinsecus advenientibus non contingit.

42 Igitur statutum mihi est, nos Scotistas debere admittere relationes extrinsecùs advenientes distinctas ab intrinsecùs advenientibus: inter quas est discrimen, quòd istæ necessariò resultant ex positione extremorum. Et ideò, vt ponantur in rerum natura, nō requiritur aliqua actio, seu motus distinctus ab actionibus, seu motibus, quibus producuntur extrema: aliæ autē non resultant ex positione extremorum, & ideò requiritur nova actio, aut motus, vt in rerum natura ponatur talis relatio. Quòd autē ista nova actio, seu motus mediatè, vel immediatè terminetur ad ipsam relationem, non est à Scoto statutum.

43 Duo autem adverto. Alterum est, quod si defendatur secūdus modus philosophādi, (qui mihi magis arridet) faciliùs adhuc res-

pondebitur ad omnia illa, quæ supra obijciebat Castillo. Alterum est, quòd in secundo modo adhuc potest esse dissidium. Etenim potest quis affirmare, nullam esse relationem extrinsecùs advenientē, quæ immediatè terminet actionem agentis, sed quòd semper actio, aut motus agentis per se, & immediatè terminatur ad aliquid prævie requisitum, quo posito statim in vtroque extremo resultant relationes, per quas extrema se mutuò referunt: v.g. quando quis acquirit *vbi*, seu præsentiam localē, motus localis immediatè terminatur ad approximandum, seu vniendum corpus cum loco: qua approximatione, seu vnione posita, resultat duplex relatio, altera in corpore, per quam formaliter est, & dicitur circumscriptum à loco, & ad ipsum refertur formaliter, tãquam ad terminū, seu extremum huius circumscriptionis. Altera verò in ipso loco, per quam formaliter est & dicitur circumscribens prædictum corpus; & per quā formaliter refertur ad ipsum; tãquam ad terminum, seu extremum prædictæ circumscriptionis activæ.

44 Potest etiā quis affirmare, aliquas esse relationes extrinsec⁹ advenientes, ad quas per se, & immediatè terminatur illa nova actio, seu motus requisitus ad has relationes: quòd præcipuè potest exēplificari in præsentia locali, seu in *vbi*. Alias autem esse, ad quas non terminatur per se, & immediatè illa nova actio, seu motus; sed solū ad aliquid prærequisitū; quo posito, in extremis resultant relationes, quibus formaliter mutuò se referunt. Quòd præcipuè potest exemplificari in prędicamento *habitus, & quando*: non enim est facile explicatu, quænam alia nova actio, seu motus reperiatur distinctus ab applicatione, approximatione, seu vnione vestis cum corpore; qui motus, seu actio per se, & immediatè terminetur ad relationem, qua corpus dicitur vestitum esse; aut ad relationē, qua vestis dicitur vestire corpus. Idē exēplificari potest in prædicamento *quando*, seu in tempore, & re temporanea.

45 Dices, frequens in Scoto, & Scotistis reperiri, quòd ad relationes extrinsecùs advenientes datur per se motus: qui modus loquendi ægrè saluatur, si dicamus aliquas esse relationes extrinsecus advenientes, quæ resultant. Respondetur, illo modo loquendi solùm significari illam novam actionem, aut motum esse per se requisitum ad positionē prædictarum relationū, & ad illarum consistentiam. Non verò significatur, illum motū, aut actionem per se, & immediatè terminari ad ipsammet relationem; Itaque ille modus loquendi similis est ei, quo frequenter dicimus, cognitionem per se requiri ad volitionē; quo tamen non significamus, cognitionem producere per se, & immediatè ipsam volitionem; sed quòd ad illam sim-

pli-

pliciter necessariò requiritur, tam quam quid prævium (vt communissima fert sententia) Efficacior fortè est instantia existentiæ in causa efficiente: quam esse solum conditionem ad efficiendum dictitant: & tamen frequentissimè dicimus per se requiri ad efficiendū.

DVBIVM VII.

46 Petes septimò: (etiam incidenter) quomodo vniantur naturæ diuina, & humana? seu an naturæ divina, & humana maneant, & dicantur formaliter vnitæ eadem formali vnione, qua sunt, & dicuntur formaliter vnita Verbum, & humanitas? Respondetur affirmativè cum Felix *c. 5. dif. 5* Itaque humanitas mediatè vnitur diuinæ naturæ eadē vnione, qua immediatè vnitur personalitati. Quia eadē numero relatione, qua filius v.g. refertur ad patrē, referuntur partes filij: & eadem numero visione, qua video parietem v.g. video eius partes: ergo eadem relatione, seu vnione, qua humanitas refertur ad Verbum, refertur ad essentiā; quæ est quasi pars illius.

47 Sed aliqui Scotistæ in manuscriptis, præsertim Illustrissimus Merinero *disp. 4. q. 5.* dicunt, humanitatem dici formaliter vnitam essentiæ divinæ per relationem intrinsecùs advenientē spectantem ad tertium prædicamentum, & fundatam in vnitate personæ, quam natura humana, & diuina participāt. Et probant instantia duorum corporū, quæ existerent penetrata: non enim referuntur inter se se relatione vbicationis, quam dicunt ad locum, sed relatione simultatis fundata in vnitate loci. Respondetur, disparitatem esse notā: cùm enim corpus per relationem vbicationis nullo modo referatur ad aliud corpus coexistens in eodem loco, necessario ponenda est distincta relatio simultatis. In præsenti autem cum humanitas per vnionē hypostaticam referatur, seu vniatur non solùm cum persona Verbi, sed etiam cùm eius quasi partibus, seu cùm omnibus, cùm quibus identificatur, non eget noua relatione vnionis. Nec refert, quòd naturæ diuina, & humana habeant convenientiam in supposito: deficit enim realis distinctio inter suppositum, & naturam divinam, vt suppositum sit fundamentum novæ relationis.

DVBIVM VIII.

48 Petes octavò, modum loquendi de vnione hypostatica, seu petes, quę prędicata possint concedi, aut debeant relegari ab vnione hypostatica? Respondetur, nonulla esse prædicata, de quibus inter auctores est controversia, an debeāt attribui; an debeant relegari ab vnione hypostatica: vt ex dicendis constabit.

49 Dico primo: etsi vnio hypo-

postatica sit accidens; vt constat ex dictis *à num.* 20. absolutè tamen dicenda est substantialis, sumpta denominatione à personalitate Verbi, quæ est vinculum *in quo* facta fuit vnio naturarum divinæ, & humanæ; & quæ per se, & immediatè terminavit dependentiam naturæ humanæ ad personari. Quod ex dictis satis constat. ¶ Dices: si hæc vnio in re est accidens, cur non vocabitur accidentalis? Respondetur ne videamur favere errori Nestorij, qui dicebat extrema (scilicet Verbum, & naturam humanam) fuisse accidentaliter vnita. Quamvis enim longè distent eius error, & nostra assertio: etenim ille loquebatur de vinculo *in quo*; nos autem de ipsa forma, à qua ipsa extrema dicuntur formaliter vnita: tamen incauti, & minus docti fortè poterunt existimare, nos favere illius errori. Contra: ergo cessante suspicione erroris, absolutè poterit affirmari vnionem hypostaticam esse accidentalem. Respondetur, ita esse.

50 Dico secundò, quòd etiam in alio sensu potest vnio hypostatica dici accidentalis, seu humanitas potest dici accidentaliter vnita Verbo; quatenus scilicet advenit enti in actu completo. Item quatenus tàm Verbo, quàm humanitati accidit vniri. Quia verè accidit humanitati vniri Verbo, & ècontra. Item communiter vocatur accidens id, quod aduenit enti completo, quamvis aliàs sit substantia. Ita Durandus *in 3. d. 6. q. 4.* (vt illi communiter imponitur) Vnde patet, nos non loqui de accidenti prædicamentali, (hoc enim spectat ad vnum ex nouem prædicamentis) sed de prædicabili: quod latius patet: comprehendit enim omne id, sine quo essentia subiecti prædicationis salvari potest. In quo sensu sumpto accidenti fatentur omnes, hanc prædicationem (*vas est aureum*) esse quinti prædicabilis, quòd solùm comprehendit prædicationes de accidenti. Constat etiam immeritò ab aliquibus notari sententiam Durandi: ipse enim, & nos Catholicè fatemur, humanitatis vnionem factam fuisse in persona Verbi: & consequenter esse substantialem ex parte vinculi *in quo*; quòd negabat Nestorius, & contra quem frequentissimè clamant Patres. Hac tamen substantialitate statuta, liberum est Theologis vnionem hypostaticam in alijs sensibus vocare accidentalem, cessante suspicionis periculo; quod inter Catholicos doctos, & pios leuiter timeretur.

51 Dico tertiò: vnio hypostatica non est appellanda essentialis, vel naturalis; aut (quòd idem est) non est dicenda facta secundum essentiam, aut secundum naturam. Quia tales propositiones reddunt sensum falsum: nam de rigore sermonis significant, vnionem factam esse in natura, seu essentia, & nō in persona. Ita Lorca *disp.* 14.

Vaz-

52 Vazquez tamen *disput.* 17. *cap.* 3. oppositum defendit: & obijcit, quòd *in* 6. *Synodo act.* 11. dicitur: *Deus Verbum est, & non caro, quamquam carnem rationalem animatam assumpserit; hancque sibi unione naturali, & secundum subsistentiã aduniuit* expendatur ly *vnione naturali.* Præterea Petrus Diaconus *lib. de Incarnat. & gratia cap.* 3 affirmat, Verbum essentialiter, siue naturaliter fuisse carni vnitum. Quòd, & in alijs Patribus reperitur. Respondetur cum Lorca *disp.* 14. *num.* 3. Patres minùs propriè protulisse dictas propositiones; nec in hoc esse imitandos. Sicut nec propriè loquuntur, neque imitandi sunt multi Patres, qui dicunt, Verbum sumpsisse hominem. Aut alij, qui dicunt (hi sunt Cyrillus, & Athanasius) vnam esse naturam in Christo Domino sumentes naturam pro hypostasi. Igitur Patres vocant vnionem istam naturalem, hoc est veram, & non phantasticam: agebant enim contra Manichæum, qui dicebat, fuisse apparentem, & phantasticam. Vocant autem illam essentialem, vel secundùm essentiam: quia naturæ diuina, & humana verè secundum suas entitates sunt coniunctæ, & non solùm secundum aliquem affectum gratiæ: vt dicebat Nestorius: qui dixit, hypostaticam vnionem fuisse solùm accidentalem per gratiam, & affectum.

53 Dico quartò, vnio hypostatica non est, aut dici potest naturalis Christo Domino sumpto naturali pro eo, quod conuenit à natura sumpta pro essentia, & principio intrinseco. Quia vnio causatur quidem à Deitate, seu Trinitate, sed non prout coniuncta cum natura humana (qua ratione solùm est pars, & quid intrinsecũ Christo Domino) sed vt supponitur ad vnionem: antequam non consistit Christus Dominus. Ita *Caiet. & Vazq.* quos citat, & sequitur *G. Hurtado disp.* 2. *diff.* 17. ¶ Sed *Cabrera, & Aluarez* citati à Hurtado ibi oppositum affirmant. Et obijciunt: vnio hypostatica Christo D. prouenit à Deitate, seu Trinitate, tamquam à principio efficiente: sed Deitas est intrinseca Christo D. ergo vnio causatur ab aliquo sibi intrinseco: & consequenter illi est naturalis. Respondetur distinguendo maiorem: est enim verum, quòd vnio hypostatica prouenit aut causatur à Deo seu Trinitate; (cum sit aliquid ad extra) sed non vt coniuncta cum natura humana sed prout supponitur ad vnionem. Deus autem, aut Trinitas, vt supponitur ad vnionem, non est quid intrinsecum Christo Domino, cũ ante vnionem nec sit, nec possit concipi Christus: & consequenter nihil potest esse illi naturale.

DIFFICVLTAS VI.

De spectantibus ad vnionem hypostaticam, quantum ad eius excellentiam, & perfectionem.

DVBIVM I.

1 Petes primò, an vnio hypostatica in ratione vnionis sit omnium maxima? Respondetur negativè. Quia vnio materiæ, & formæ est maior, & perfectior in ratione vnionis: cùm ex ista resultet vnum in natura, seu essentia: ex vnione autem hypostatica resultat vnum in persona; duplex autem in natura. Ita Scotus *in 3. dist. 6. q. 1. §. Ad argumenta versic. Ad aliud Bernardi*, & communiter Scotistæ, quibus subscribunt *Durandus in 3. dist. 5. q. 3. & Vazq. disp. 20. cap. 2. & 3.*

2 Sed *Caiet. Medina, Suar. & Becanus*, quos citat & sequitur G. Hurtado *disp. 2. diffi. 11.* oppositũ defendunt: & obijciunt D. Bern. *lib. 5. de Considerat. ad Eugenium c. 8.* dicẽtem: *Inter omnia, quæ vnũ rectè dicuntur, arcẽ tenet vnio Trinitatis. Secundo loco illa præcedit, qua è cõuerso tres substantiæ vna persona in Christo sunt.* Resp. ex Scoto *num: præcedenti* citato, Bernardũ loqui, non de perfectione vnitatis formaliter acceptæ; (qua ratione eius, perfectio sumitur ex maiori vnitate illi⁹, quod resultat) sed de perfectione vnitorũ, seu extremorũ vnionis: quorũ alterũ est infinitũ, (saltẽ identicè) & alterũ est substantia perfecta in se: quod extremum ex vnione cùm alio redditur perfectissimũ per cõmunicationẽ idiomatũ: quia hac ratione homo est Deus. Contra; si assumpta fuisset natura Angelica, vnio illa esset perfectior ex parte vnitorũ: ergo malè explicatur Bernardus de perfectione vnitorum. Resp. negando consequentiã: loquitur enim de vnione, quæ de facto datur; non autẽ de quacũq; possibili.

3. Obijciunt secũdò: per vnionem hypostaticam vniũtur extrema maximè distãtia: ergo est maxima vnio. Respond. negando cõsequentiam: hoc enim non arguit maiorem vnionem, sed maiorem virtutem in cõiungente extrema.

4. Obijciunt tertiò: per mortem soluta fuit in Christo D. vnio materiæ, & formæ, nõ tamẽ vnio hypostatica: ergo hæc est maior illa. Respond. negando consequentiam: solùm enim infertur, mortem opponi cum illa, & non cum ista. Posset etiã negari antecedens quoad secũdã partẽ. Vt enim observat G. Hurtado *disp. 2. dif. 11. in fine*, in Christo D. soluta fuit etiã vnio hypostatica, quã toto humanitas habebat immediatè cũ Verbo; & pro diuina volũtate positæ sunt duæ immediatæ vniones Verbi, alia cũ corpore mortuo; & alia cũ anima separata. Post triduũ autẽ cessarũt hæ, & posita est noua alia terminata immediatè ad humanitatẽ.

5. Obijciunt quartò: ex vnione hypostatica resultat aliquid ma-

magis vnum, quàm ex materia, & forma: ergo est maior vnio. Antecedens constat, quia simplicitas componentis iuvat ad maioritatem vnitatis compositi. Sed Verbum est quid simplicissimum: ergo ex hac parte id, quod resultat, est magis vnum: & consequenter vnio est maior. Respondetur negando antecedens. Ad probationem dico, simplicitatem extremi componentis conducere, quidem ad perfectionem vnionis, seu compositionis: tamen vltra hoc requiritur ad perfectissimam vnionem, quòd extrema simplicia possint intrare ad faciendum vnum in natura, seu essentia: (quæ vnitas est perfectissima, seu maxima, quæ inter creatas reperitur) quod non habet Verbum: cùm solum possit intrare cum alio extremo ad faciendum vnum in persona: Benè tamen hoc habent materia, & forma. Et ideò dicimus, istarum vnionem esse maiorem, quàm hypostaticam.

DVBIVM II.

6 Petes secundò, an vnio hypostatica in ratione doni, & beneficij sit omnium maxima? Respondetur negativè. Quia Beatitudo est maius donum aut beneficium: etenim est finis vnionis hypostaticæ: finis autem excellentior est medijs. Hanc conclusionem defendit Marsilius *in 3. q. 3. art. 2.* & communiter tribuitur Durando *in 3. d. 2. quæst. 1, & Ricardo in 3. d. 2. art. 1. quæst. 4.* dicenti, esse probabile, meliorē esse gratiam, & gloriam vnione hypostatica. Quare non mihi placet Petrus Hurtado *tomo de Incarnat. disput. 21.* qui postquam §. 121. excusarat Durandum ab hac opinione (quod & de Richardo facit §. 153.) §. 133. dicit. *Nec vna hirundo facit ver, nec Marsilius in hac parte opinionem.* Displicet ergo Hurtado, quia dato, quod Durandus, & Richardus non docuissent dictam sententiam; imò neque Marsilius; (quem nemo dubitat eam docuisse) sufficiebat, vt esset probabilis, habere rationem, quā iam attulimus; eamque saltem probabiliter docuisse Scotum; vt ex statim dicendis satis constabit.

7 De Scoti autem mente circa hanc nostram conclusionem non levis est dubitandi ratio: varijs enim in locis varia docuit. *In 3.* quippè *sentent. d. 2. q. 1. §. Ad argumenta vers. Vel magis* sic loquitur. *Propriè loquendo potest dici, quòd neutra est maior alia, quia sunt alterius rationis.* (Comparabat beatitudinem cum vnione hypostatica) *In 4. autem sentent. d. 49. q. 2. §. Ad istam vers. Istarum* apertè fatetur, vnionem hypostaticam esse maius donum, quàm beatitudinem. Demum *in Report. in 3. d. 2. quæst. 2. §. In ista quæstione vers. Ad aliud* sic prosequitur, *dico, quòd minus est, quòd aliquis habeat gratiam quantum ad actum primum, quam vnionem ad Verbum: tamen simpliciter maius est habere* gra-

gratiam cum operatione, quàm habere personam diuinam tantum. Mallem enim, si daretur mihi optio, habere gratiam Beatæ Virginis, & fruitionem, quàm esse subsistens in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto sine frui, hoc est, nisi haberem operationem, vt visionem, & fruitionem.

8 Igitur in re, de qua Scotus varijs in locis variè loquitur, standum mihi est his, quæ docet in Reportatis, vti postremo scriptis. Insuper & his, quæ eius principijs cõsonant: vt consonat nostra conclusio: quæ valdè consentanea est illi Scoti familiari principio; *Ordinatè volens priùs vult finem, quàm ea, quæ sunt ad finem: & inter ea, quæ sunt ad finem prius vult illud, quod magis appropinquat fini.* Quod vt magis innotescat, sic argumentor. Deus priùs voluit summã gloriã Christo, quàm eius vnionẽ hypostaticam: ergo quia gloria summa est quid excellentius vnione. Patet consequentia ex prædicto principio, *Ordinatè volens priùs vult finem, &c.* Antecedens autem expressè tradit Scotus *in 3. d. 7. q. 3. §. Sed hic sunt vers. secundum dubium.*

9 Sed *Vazq. Suarez, Lorca, Fabro, Rada, & alij, quos communiter citant, & sequuntur, præsertim G. Hurtado disp. 2. difficult. 12. & Felix c. 5. diff. 6.* oppositũ defendunt: & obijciunt *Aug. de Prædestinat. Sanctorum c. 15.* dicentem; *Hanc vnionem esse excellentissimam, tantaque natura nostræ subiectionem erectã fuisse per ipsam, vt quo altiùs eveheretur, non haberet:* ergo vnio hypostatica excellẽtior est ipsa gloria seu beatitudine. Respondetur negando consequentiam: Augustinus enim loquitur de vnione non præcisè sumpta, sed quatenus se cum traxit, seu inuoluit omnia dona, quæ ei erant debita debito cõgruentiæ; inter quæ enumerantur summa gratia, summaq; beatitudo. Quæ solutio aptanda est etiam D. August. 13. *de Trinit. cap. 19.* dicenti: *In rebus per tempus ortis illa summa gratia est, qua homo in vnitate personæ iunctus est Deo.* Si enim August. de vnione præcisè loqueretur, seu ipsam præcisè sumptam cõpararet cum beatitudine, (quæ in perfecta charitate consistit) videretur sibi contrarius: cùm 15. *de Trinit c. 19.* dixerit: *In donis Dei nullum est maius donum charitate; neque æquale.*

10 Obijciunt secundò: per vnionem hypostaticam Deus substantialiter communicatur, & vnitur homini vnum per se cum illo personaliter constituens: ratione cuius vnionis homo dicitur Deus, eique debetur adoratio latria: ergo est supremum beneficium. Respond. negando consequentiam: etenim habere omnia illa enumerata per communicationem idiomatum minus est, quàm intrinsecè, & formaliter esse beatũ. Quare dicebat Scotus *num 7.* citatus; *mallem, si mihi daretur optio, &c.*

DIF-

DIFFICVLTAS VII.

De spectantibus ad vnionem hypostaticam quantum ad illius terminos.

DVBIVM I.

1 Petes primò, an terminus *ad quem* adæquatus vnionis hypostaticæ fuerit vnica natura? Respondetur negativè. Quia in Christo D. permanent duæ naturæ (scilicet divina, & humana) inconfusæ, & impermixtæ: est enim verus Deus, & verus homo. Ita definitur in Concilio Calcedonensi, & in multis alijs videndis apud Recentiores infra citandis, Quæ veritas continetur in Scriptura: Dicitur enim *Ioan. 10. n. 30. Ego & Pater vnum sumus*: suntque multa alia testimonia, quibus divinitas Christi D. apertè prædicatur. Sunt item multa alia, quæ palā eius humanitatem declarant: vt *Ioan. 14. tristis est anima mea vsque ad mortem*: & *ad Philip. 2.* dicitur, quod Christus D. fuit *obediens vsq; ad mortem*: & alibi sæpe.

2 Vnde constat, non solùm, quòd divina, & humana natura præcesserunt ad vnionem hypostaticam inconfusæ, & impermixtæ; (in quo conveniebant Catholici, & Eutiches) sed etiam, quòd sic permanserunt semper post vnionem. Quòd hæreticè negavit Eutiches: dicebat enim, post vnionem vnam tantum mansisse naturam. Vtrùm autem hæc fuerit divina, in quam conversa fuerit humana? Aut è contra: vel potius alia tertia resultans? Aut demum vna per mixtionem duarum, quarum neutra formaliter manebat, sed vtraque transibat in tertiam? Non constat apud Recentiores. Etenim Suarez *disput. 7. sect. 2.* affirmat Eutichetem sensisse primum. Lorca autem *disp. 12.* dicit affirmasse secundum. Vazq. *disput. 14.* dicit sensisse tertium. Alij dicunt asseruisse vltimum. Immo G. Hurt. *disp. 12. diff. 1. & Felix cap. 5. diffic. 1.* cum aliquibus alijs existimant, Eutichetem fuisse varium, modò vnum, modò aliud affirmantem.

3 Sed pro errore Eutichetis obijcitur: personalitas non distinguitur realiter à natura: sed in Christo Domino est vnica personalitas: ergo & vnica natura. Respondetur negando maiorem in creatis. Obijcitur secundò illud symboli Athanasij: *Sicut anima rationalis, & caro vnus est homo. Ita Deus, & homo vnus est Christus.* Sed ex anima rationali, & ex carne resultat vna natura: ergo similiter ex Deo, & homine. Respondetur negando consequentiam: quia hoc exemplum attulit Athanasius ad suadendum, quòd sicut anima, & caro subsistunt vnica subsistentia, sic naturadivina, & humana.

Ob-

4 Objicitur tertiò, quòd illis verbis *Ioan.* 1. *Verbum caro factum est*, videtur significari, Verbum mutatum fuisse in carnem: sicut *Ioan.* 2 dicitur, *aquam vinum factã*, hoc est, mutatam fuisse in vinum. Respondetur, ly *fieri* aliquando significare alicuius assumptionem de novo, non amisso priori esse, quod habebat assumens: qua ratione dicimus, aquam fieri calidã; & quòd homo fit Rex. Hoc ergo modo dicitur *Verbum caro factum*. Vnde D. Greg. *lib.* 14. *Epist.* 61. dicit, *Verbum carnem factam esse dicimus non immutando, quod erat, sed assumendo, quod non erat.*

5 Objicitur quartò, Concilium Lateranense *sub Martino* 1. *consultat.* 5. *can.* 5. dicens: *Si quis secundũ Sanctos Patres non confiteatur vnã naturam Verbi Incarnatam, anathema sit* Respondetur, sumi naturam pro subsistentia. Eodem modo exponendus est Cyrillus Alexandrinus *lib.* 1. *de Recta fide ad Reginas*. Quæ impropria loquutio non est imitanda: vt monet Lorca *disp.* 14 *n.* 3.

6 Nota, non solùm esse concedendam hanc propositionem, *Verbum caro factum est*, sed etiam istam, *Natura Verbi est Incarnata*: quia non solùm est verum, Verbũ factum fuisse hominem, sed etiam quòd Deus factus est homo. Et licet ly *Deus* absolutè sumptum se extendat ad omnes tres divinas personas; tamen per prædicatum *homo* restringitur ad supponẽdum pro illa persona, quæ carnem assumpsit. Propter camdem rationem concedenda est ista, *Natura divina est incarnata*. Nec obstat, quòd eam neget Damasc. 3. *de Fide cap.* 11. tamquam vsque tunc inauditam. Iam enim ea communiter vtuntur Scholastici imitantes D. Bernardum, D. Thom. & Patres Concilij Remensis: vt notat Vazq. *disp.* 14. *cap* 4. *à num.* 62.

DVBIVM II.

7 PEtes secundò, Vtrùm terminus totalis ad *quem* vnionis hypostaticæ fuerit vnica persona? Respondetur affirmativè. Quia sic definitur in Concilio Ephesino 1. *c.* 1. 2. 3. & 4. & in multis alijs videndis apud Recentiores. Itaque per vnionem hypostaticã natura humana Christi D. (quæ in aliqua prioritate naturæ supponebatur producta) vnita fuit substantialiter personalitati Verbi divini: cumque in vna natura creata vnica tantum personalitas sit admittenda, (saltem de facto) personalitas Verbi personavit illam naturam humanam præstando illi effectum, quem præstaret propria personalitas, quæ aliàs dimanaret ab illa natura, si in primo instanti sui esse non fuisset impedita à prædicta Verbi personalitate.

8 Vnde fit, quòd Christus D. sit vnica persona subsistens, & cõposita ex duabus naturis, scilicet divina, & humana; non tamen ex duabus personis: & consequenter

non tantum est homo, sed etiam Deus; & gloriosa Virgo est mater verè, & propriè non tantum hominis, sed etiam Dei. Quod totum collegerunt concilia, & Patres ex illis Scripturæ locis in quibus Christus D. dicitur Deus & homo. (quorum aliquot adduximus *n.* 1.) Non enim potest verificari, eumdem Christum esse Deum, & hominem nisi per vnionem naturæ divinæ, & humanæ in eadem personalitate. Immo hinc sumpsit rationem D. Thom. ad hoc probandum: quæ talis est. Duo concreta naturarum non possunt ad invicem prædicari, nisi illæ naturæ habeant aliquam vnionem. Sed hanc vnionem solùm possunt habere naturæ accidentales in subiecto, (vt habent dulcedo, & albedo in lacte, & ideò est verum dicere, in lacte dulce est album) & substantiales integræ in personalitate: ergo naturæ divina, & humana, quæ ad invicem in Christo D. prædicantur, gaudent eadem personalitate.

9 Nota, quòd eadem certitudine, qua constat Christum D. esse vnam personam, constat esse vnum suppositum, vnum subsistens, & habere vnam hypostasim. Quia in natura creata hypostasis, subsistentia, suppositalitas, & personalitas formaliter non differũt, sed solùm materialiter seu ex parte naturarum, in quibus reperiuntur. Subsistentia enim seu hypostasis convenit cuicumque naturæ substantiali completæ: (secundùm communiorem sentẽtiam) suppositalitas autem solùm dicitur de viventibus vitam sensitivam, aut rationalem: personalitas demum tantùm competit viventibus vitam rationalem, seu intellectivam. Vnde constat, non valere has illationes: est subsistens? Ergo suppositum: ergo persona. Benè tamen èçontra: est persona? Ergo suppositum: ergo subsistens. Constat etiam, quòd in natura intellectuali creata eadem indivisibilis entitas, quæ est personalitas, est suppositalitas, & subsistentia, seu hypostasis. Et consequenter, quòd eadem certitudine, qua cõstat, in Christo D. tantùm esse vnam personam, seu personalitatẽ, constat, esse vnicam suppositalitatem, subsistentiam seu hypostasim.

10 Ex quibus constat, quòd eademet personalitas Verbi personalizat, & suppositalizat vtramque naturam scilicet divinam, & humanam, seu illam facit subsistentem, seu ei præstat effectum hypostasis.

11 Constat etiam terminum totalem *ad quem* vnionis hypostaticæ esse personam Christi D. coalescentem ex natura humana, & personalitate Verbi; à qua (vtpotè loco propriæ subrogata) proximè terminatur, seu personatur illa humanitas. Et consequenter, quòd eademmet personalitas Verbi, quæ ante Incarnationem tantùm terminabat naturam divinã,

post Incarnationem etiam terminat humanam. Atque adeo constat, Christum Dominum esse vnam personam constantem natura divina, & humana.

12 Sed contra prædictam Catholicam veritatem obijcitur pro errore Nestorij (qui ponebat in Christo D. duas personas: vt manet explicatum in proœmio à n. 16.) illud *Ioan.* 1. *habitavit in nobis*, (id est in Christo: vt interpretantur *Hilarius, Chrysostomus, Cyrillus*, & alij) Item *Ioan. 2. num. 19. Soluite templum hoc*: ergo divinitas habitavit in Christo, tamquam in templo: ergo sicut templum habet subsistentiam distinctam à subsistentia illius, qui habitat in templo; ita in Christo Domino ponenda est alia, & alia subsistentia, seu personalitas. Respondetur, negando cõsequentias: quia ly *habitavit* non strictè sed metaphoricè est intelligendum: solùmque ibi denotatur, quòd sicut qui alicubi habitat, est præsens realiter illi loco; ita diuinitas speciali modo præsentiæ erat præsens humanitati illi: non tamen intenditur, quod sicut qui est præsens loco alicui, ei solùm accidentaliter vnitur; ita divinitas solum accidentaliter, & per affectum vniebatur illi humanitati. Neque quòd sicut locus habet distinctam subsistentiam (sermo est de loco vulgariter sumpto, scilicet de domo, foro, templo, &c.) ab illo, qui est in loco; ita divinitas habeat distinctam subsistentiam, seu personalitatem ab humanitatis personalitate. Secundum autem testimoniũ non est ad rem: ibi enim Christus D. corpus suum vocat templum, respectu animæ, non autem respectu divinitatis.

13 Obijcitur secundò, Leo *epistol.* 10. *ad Flavianum* de Christo D. dicens: *aliud coruscat miraculis; aliud succumbit iniurijs*: ergo sentit in Christo D. esse aliud, & aliud suppositum. Respondetur negándo consequentiã: quia ly *alius a. m.* masculinè sumptum supponit pro supposito; neutraliter vero pro natura. Et ideò solùm infertur, esse in Christo D. aliam, & aliam naturam.

14 Obijcitur tertiò, quòd Scriptura iustos vocat Deos; & hoc solum est per participationem: ergo similiter etiam si Christus D. vocetur Deus, erit per participationem. Respondetur negando consequentiam: quia Scriptura Christum D. non solum vocat Deum, sed etiam imaginem invisibilem Dei, splendorem gloriæ eius, &c. quæ sunt propria Dei.

15 Obijcitur quartò, quòd in Christo D. est persona divina, & persona humana: ergo sunt duæ personæ. Resp. ex D. Thom. 4. *contra gentes c.* 49. *in sol. ad* 7. negando consequentiã: quia vnica est personalitas; quæ quatenus personalizat naturam divinam, dicitur persona divina; & quatenus personalizat humanã, dicitur humana. Quoad modũ autẽ loquẽdi Christus D. absolutè est dicendus persona divina.

DV-

DVBIVM III.

16 PEtes tertiò, quomodo sit loquendum iuxta dicta in duplici dubio præcedenti? Respõdetur in modo loquendi semper esse attendendum, vt propositio, significet id, quod in re fuit factum. Quia *ab eo, quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa*. Quarè cùm in re Incarnatio facta fuerit immediatè in persona Verbi diuini; & non in natura divina; (vt constat ex dictis in duobus dubijs præcedentibus) vt propositio sit vera, id debet affirmare; falsa autem erit, quæ id negabit.

17 Vnde infertur, hanc propositionem (*natura divina assumpsit humanam*) absolutè non esse cõcedendam. Quia ly *assumere* in præsenti materia accipitur pro proxima, & immediata assumptione. (quamvis ex vi vocis solùm significet ad se ipsum, seu in se ipso aliquid sumere) natura autem divina non assumpsit proximè, & immediatè humanitatem: ergo, &c. Si tamen dictæ propositioni aliquid adderetur, ratione cuius significetur, sermonem esse de assumptione, aut vnione mediata, aut indirecta, vera erit prædicta propositio. Dices, quod *num. 6.* diximus, hanc propositionem (*natura divina est Incarnata*) posse concedi absolutè: ergo idem erit de ista *natura divina assumpsit humanam*. Respondetur negando consequentiam: quia illa reperitur apud Patres; estque in Theologorum vsu; non autem ista. Insuper ly *Incarnata* solùm denotat, naturam divinam fuisse vnitam carni, seu humanitati abstrahendo ab vnione mediata, vel immediata: (sicut si diceremus: natura divina fuit vnita humanitati) ly autem *assumpsit* (saltem ex Patrum, & Theologorum vsu in hac materia) dicit immediatam assumptionem: quæ non convenit naturæ divinæ, sed supposito Verbi.

18 Infertur secundò, hanc propositionem (*vnus de Trinitate crucifixus est*) esse veram. Quia aptè significat, quod fuit in re: etenim ly *vnus a. m.* masculinè sumptum supponit pro supposito. Quarè sicut absolutè concedimus quod vna persona Trinitatis fuit Incarnata, crucifixa, & c. ita debemus concedere absolutè, quòd *vnus de Trinitate fuit crucifixus* Et sic cõceditur *in 5. Synodo collat. 8. can. 4. & 10.* Nec obstat, quod aliquando Papa noluerit talem propositionem definire. Hoc enim fecit propter scandalũ, quod tunc temporis ex tali modo loquendi inter aliquos parvos nascebatur.

19 Infertur tertiò, quòd sicut est vera propositio ista, *Christus Dominus est Deus*; ita est ista: *Maria est mater Dei.* Ita definitur in Concilio Ephesino *can. 1. & 2.* Et ratio est, quòd aptè significatur id, quod est in re: Maria enim Sanctissima vere

verè genuit hominē, qui est Deus per communicationem idiomatum: ergo est verè mater Dei per communicationem idiomatum. Dices: ergo potest concedi, quòd *B. Virgo sit mater totius Trinitatis.* Respondetur negando: quia sicut solus filius est Incarnatus, seu terminavit humanitatem genitam à Virgine: ita solum est mater Dei filij. Dices secundò, quòd in Scriptura non reperitur hæc propositio; *Maria est mater Dei*: ergo non est de fide. Respondetur negando consequentiam: multa enim definita sunt à Concilijs, quæ non reperiuntur in Scriptura. Respondetur secundò, distinguendo antecedens: reperitur enim implicitè, quamvis non explicitè: & ideò negatur consequentia. Itaque *Matth. 1. dicitur*, Mariam Virginem genuisse, & peperisse Christum D. hunc autem esse Deū, constat ex toto Evangelio: in quibus duabus veritatibus implicitè continetur; & sic ex illis benè infertur quòd *B. Virgo est mater Dei.* Et consequenter, dato, quòd concilia solùm possent definire id, quòd continetur in Scriptura, esset dicendum, potuisse optimè definire, quòd *B. Virgo est mater Dei verè, & propriè.* Et sic definitum fuit contra Nestorium *in Concilio Ephesino can. 1. & 2.*

DVBIVM IV.

20 PEtes quartò, an persona Christi D. sit verè, & propriè composita? Respondetur, affirmativè. Quia sic strictiùs salvantur concilia, & Patres passim dicentes absolutè, & sine addito, personam Christi D. esse compositam. Secundò, quia stricta compositio est distinctorū vnio, quorum vnum se habet, vt actus, & aliud vt potentia. Sed natura humana se habet vt potentia; & persona Verbi actuat talem potentiam: (non quidem per informationem, sed per terminationem) ergo ex humanitate, & personalitate Verbi consurgit stricta cōpositio: sicut consurgit ex humana natura, & ex propria personalitate. Sic Suarez, & Vazquez, quos citat, & sequitur G. Hurt. *disp. 2. diff. 3.* dicens esse communem sententiam Recentiorum.

21 Sed oppositum defendunt *D. Bonav. Richardus, Durandus, Fabro, Rada, & Pitygianus*, quos citat, & sequitur Felix *cap. 5 diff. 3.* Et obijciunt Scotum *in 3. d. 6. q. 3. vers. Secunda ergo* expressè nobis cōtrarium: sic enim loquitur: *Sed illa opinio in hoc, quòd dicit, personam Christi esse compositam, non tenetur communiter propriè loquendo de compositione ex actu, & potentia, &c.* Respondetur non loqui de compositione, quam faciunt natura humana Christi D. & personalitas Verbi, sed de compositione, quam in Christo D. faciunt natura divina, & humana: hæc enim non potest esse propria compositio: cùm divina natura, non terminet, aut actuet naturam huma-

manam. Sic intellexerunt Scotum Castillo *disput. 5. quæst. 2. num 7. & 8.* & aliqui alij gravissimi Scotistæ in manuscriptis, præcipuè Merinero *disp. 4. quæst. 3. conclus. 2.* Et meritò sic Scotum intelligunt: etenim ex contextu constat prædicta intelligentia: paucis enim interiectis sic loquitur. *Auctoritates ergo Damasceni, quæ sonant, illam personam esse compositam, debent exponi, quòd ita verè est ibi ista natura, tàm divina, quàm humana* (ecce partes compositionis, de qua ibi loquitur Scotus) *ac si componerent personam; sed non componunt, nec aliquod tertium fit ex eis; sed distinctè, & inconfuse manent.* Et Paulo post concludit. *Debet ergo exponi, & dici personam compositam propter vnionem duarum naturarum in quibus subsistit. Sed veriùs negari potest compositio: quia vna non perficit aliam, neque ex eis est aliqua natura tertia.* Constat ergo Scotum non loqui de compositione reperta inter naturam humanam, & personalitatem Verbi, de qua nos in præsenti agimus.

22 Obijciunt secundò, esse imperfectionem, quòd personalitas Verbi actuet naturam humanam. Respondetur negando: non enim actuat informando, sed terminando: sicut terminando naturam divinam illam personalizat. Et solùm est differentia, quòd cum divina realiter identificatur, ab humana autem realiter distinguitur.

23 Obijciunt tertiò: rigorosa compositio debet fieri ex partibus: sed personalitas divina nequit esse pars: ergo non potest componere. Probatur minor: quia pars dicit imperfectionem, scilicet carentiam continentiæ perfectionis alterius compartis. Insuper dicit imperfectionem dependentiæ, & incompletionis. Respondetur negando minorem: quia Damasc. 3. *de fide cap.* 4 & alij Patres videndi præcipuè apud Vazquez *disp. 16. cap. 4. à num. 23.* subsistentiam divinam, & naturam divinam vocant partem.

24 Ad primam probationem prædictæ minoris dico cum Becano *cap. 6. quæst. 3. num. 5.* quòd solùm quando partes alicuius cōpositi sunt finitæ, & limitatæ, debent esse minus perfectæ, quàm totum; & vna non imbibit perfectionem alterius: secùs autem quando sunt infinitæ perfectionis: infinitum enim identificat secum omnem perfectionem secum cōposibilem. Cum ergo persona Verbi sit infinita: (saltem ratione essentiæ divinæ, quam includit) fit, posse esse partem huius compositi Christi; quin ex hoc possit argui in ipsa aliqua imperfectio: etenim eminenter continet omnem perfectionem naturæ humanæ; quæ est altera pars; & quam vi omnipotentiæ produxit, & conservat.

25 Ad secundam probationē prædictæ minoris dico, solùm partem creatam, & ex qua resul-

tat vnum in natura, debere pendere ab alia, & esse incompletam. (tales sunt materia, & forma) Quando autem ex partibus non resultat vnum in natura, hoc non requiritur; vt patet in toto accidentali; in Petro albo v. g. Petrus enim neque est incompletus, neque dependet ad sui perfectionem substantialem ab albedine.

¶ Praetereà addo, argumentum istud (si vim habet) militare in omni sententia. Cum enim ex Concilijs, & Patribus constet (vt *num.* 20. & 21. libauimus) personam Christi Domini esse compositam, certum debet esse, necessariò includere aliud, & aliud tamquam partes, saltem latas, seu largè loquendo. Igitur si de istis partibus latis conficiamus idem argumentum, (nempè esse imperfectionem concedere in Christo Domino tales partes ipsum latè componentes: cum vna pars non includat perfectionem alterius compartis, aut totius: insuper & cum pars dicat imperfectionem dependentiae, & incompletionis) necessariò est recurrendum ad praedictam solutionem.

26 Obijciunt quartò: compositio nequit fieri nisi ex his, quae ad invicem habent naturalem inclinationem ad vnionem. Sed hanc non habent personalitas Verbi, & natura humana: ergo ex eis non potest fieri compositio. Respondetur concedendo maiorem de compositione naturali, & negando de supernaturali. Compositio autem, ex qua resultat Christus D. non est naturalis, sed supernaturalis; aut obedentialis. (vt alij loquuntur)

27 Obijciunt quintò: quidquid dicitur de Christo Domino dicitur de Deo: vel propriè; si tale praedicatum dicatur de Christo D. ratione Deitatis: vel saltem per communicationem idiomatum, si dicatur de Christo Domino ratione humanitatis. Sed de Christo D. dicitur, quòd sit compositus: ergo saltem per communicationem idiomatum potest dici de Deo, quòd est compositus. Respondetur ita esse: non enim in hoc maior apparet repugnantia, quàm in hoc, quod est praedicare de Deo, quod est mortuus, passus, &c. Est tamen cautè loquendum, & inter doctos, ne videamur concedere, Deum secundum se esse compositum.

28. Nota; Patres, & concilia aliquando vocare Christum Dominum compositum ex duabus naturis, vel ex natura diuina, & humana. Tunc tamen non negant, partes seu extrema immediatè cōponentia Christum D. esse personalitatem Verbi, & humanam naturam: sed loquuntur de compositione mediata. In Christo enim D. non solum concedenda est stricta compositio resultans ex humanitate, & ex personalitate Verbi; (de qua vsque modo loquuti sumus), sed etiam admitten-

ten-

tenda est alia mediata, & lata cõpositio: cuius extrema sunt natura divina, & humana: quæ extrema non faciunt strictam compositionem: quia non se habent vt actus, & potentia.

DVBIVM V.

29 PEtes quintò, quid sit formalis terminus *ad quem* Incarnationis? Respondetur, Incarnationem secundum diversas considerationes habere diversos terminos formales *ad quos*: vt ex dicẽdis constabit. Sic Suar. *disput.* 8. *sect.* 2. *Lorca disp.* 16. *Merin.* & *Castillo*, quos sequitur Felix *cap.* 5. *diff.* 4. Pro clariori autem intelligentia.

30 Dico primò: si actio Incarnativa consideretur, quatenus est vnitio extremorum, eius formalis terminus *ad quem* est vnio. Quia iuxta antiquorum acceptionem, & vsum terminus formalis *ad quẽ* est illud, quod in termino totali habet rationẽ formæ: sed in Christo D. (qui est terminus totalis *ad quem* Incarnationis) vnio est forma, qua extrema vniuntur: ergo si Incarnatio consideretur, vt est actio vnitiva, eius terminus formalis *ad quem* est vnio extremorum.

31 Dico secundò; si actio Incarnativa consideretur secundum id, quod significat formaliter apud Theologos, eius terminus formalis *ad quem* est humanitas. Quia in hac consideratione significat actionem, qua factum est, vt Verbum fieret homo, seu fit homo. Sed forma, à qua Christus D. (qui est terminus totalis) habet, quòd sit homo, est humanitas: ergo hæc est terminus formalis actionis Incarnativæ in dicta consideratione. Dices, quòd humanitas non producitur ipsa actione Incarnativa, vt talis est: (ex *diff.* 5. *à num.* 10.) ergo non potest esse terminus formalis. Respondetur negando consequentiam, non enim requiritur, vt terminus formalis producatur illa actione, sed solum est necessarium, quòd in termino totali sit forma, vt patet in natura divina, quæ est terminus formalis productionum ad intra: & tamen non producitur, sed communicatur. Insuper patet in creaturis: anima enim rationalis est terminus formalis generationis hominis; & tamen supponitur in priori naturæ habere esse per distinctam actionem, scilicet per creationẽ. Vrgentior adhuc est instantia resurrectionis hominis: cuius terminus formalis *ad quem* est anima rationalis, quæ tot sæculis iam supponitur producta.

32 Dico tertiò: si actio Incarnativa consideretur, vt est cõmunicatio divini esse, eius terminus formalis *ad quẽ* est divinũ esse, seu divina subsistentia Verbi cõmunicata. Quia hæc est forma, à qua Christus D. qui est terminus totalis, habet esse divinum.

33 Quòd autem actio Incarnativa, quamvis sit vnica, & indivisibilis actio realis, possit

habere omnes præfatas considerationes, non est tam probandum, quàm supponendum ex eo quod in Christo D. (qui est terminus totalis prædictæ actionis) reperitur esse divinum communicatum, & humanitas, cui communicatur, necnon & vnio seu vinculum talium extremorum, seu quo medio esse divinum seu persona Verbi se communicat humanitati; & humanitas subsistit, seu personalizatur per hypostasim seu personam Verbi.

34 Ex dictis non solùm manet probata, & firma nostra conclusio *num.* 29. posita; sed etiam constare poterit, in quo sensu accipiendi sint diversi auctores diversimodè de hac re philosophantes. Etenim noster Rada 3. *p. controu.* 3. *art* 4 *dubit.* 2 §. *His constitutis* affirmat, terminum formalem esse vnionem. Et idem docent Suarez. *disp.* 8. *sect.* 2. *&* *Ragusa disput.* 40. Hi tamen Auctores trahendi sunt in sensum *num.* 30. explicatum. Noto verò ad propositum parum referre, quod Rada (vti Scotista) affirmet, talem vnionem esse relationem extrinsecus advenientem: Suarez verò, & Ragusa dicant, esse modum substantialem. Gaspar Hurtado *disput.* 1. *diffic.* 9. cum Alvarez affirmat, terminum formalem *ad quem* esse personalitatem Verbi. Quod verum est in sensu *num.* 32. explicato. Vazquez *disp.* 19. *cap.* 2. Cabrera, & Montesinos dicunt humanitatem, vt vnitā Verbo taliter tamen, vt vnio sit conditio; esse terminum formalem *ad quem*. Quod verum est in sensu *num.* 31 declarato. Itaque omnes præfati Auctores in prædictos sensus sunt trahendi: & consequenter erunt pro nostra conclusione *num.* 29. adducta: aut si in alio sensu loquantur, illorum placita non sunt audienda.

DVBIVM VI.

35 PEtes sextò, quid sit terminus formalis *à quo* actionis Incarnativæ? Respondetur actionem Incarnativam secundum diversas considerationes habere diversos terminos formales *à quibus*. Ita Suarez *disput.* 8. *sect.* 2. §. *Tertia ergo*. *Lorca disp.* 16. *num.* 7. *Merinero Castillo*, & alij; quos sequitur Felix *cap.* 5. *diff* 4. Pro clariori autem intelligentia.

36. Sit vnica conclusio: quomodocumque consideretur Incarnatio pro termino *à quo* illius, debet assignari carentia termini *ad quem*. Quia secundum Philosophos motus seu actio est à non esse ad esse rei: v.g. generatio hominis à non esse hominis ad esse hominis; calefactio à non esse calidi ad esse calidi; ædificatio à non esse ædificij ad esse ædificij: ergo actio Incarnativa necessariò est à non esse ad esse illius, quod per Incarnationem habet esse. Et ideò sicut terminus *à quo* Christi Domini est carentia illius: sic

dis-

sic distinguendo, aut secando actionem Incarnativam in diversas formalitates assignanda est pro termino *à quo* cuiuscumque formalitatis carentia termini *ad quem* illius.

37 Vnde constat, quòd si loquamur de Incarnatione, quatenus est actio, qua factum est, vt Verbum sit homo, terminus *à quo* illius erit carentia humanitatis in Verbo. Si autem loquamur de ea quatenùs est communicatio divini esse, terminus *à quo* erit carentia divini esse in humanitate: carentia (inquam) non quæ præcessit tempore in humanitate: hæc enim non fuit producta priùs tempore (benè tamen natura) quam acciperet communicationem divini esse. Quarè carentia illa absolutè præcessit extra subiectum ante Incarnationem. Si demum loquamur de Incarnatione, quatenus est vnitio, terminus *à quo* erit carentia vnionis divini Verbi ad humanitatem. Ex quibus constat, in quo sensu intelligendi sunt diversi Auctores de termino formali *à quo* actionis Incarnativæ diversimodè Philosophantes. Non enim minus divisi sunt loquendo de termino *à quo*, ac dum de termino *ad quem* loquebantur.

(.:.)

DVBIVM VII.

38 PEtes, (obiter) an hæc carentia divini esse in humanitate dicenda sit privatio? vel negatio? Respondetur inter Scotistas Recentiores esse dissidium. Castillo enim *disp. 5 quæst. 3. num.* 17. dicit, abstrahere ab vtraque; Felix vero *cap. 5. diff. 4.* & communiter Scotistæ in manuscriptis dicunt esse negationem. Quià humanitas assumpta non dicit aptitudinem ad habendum tale esse.

39 Ego autem si in re parvi momenti ad Theologum immorari liceret, dicerem esse aliud mēbrum distinctum à privatione, & negatione. Existimo enim divisionem carentiæ in privationem, & negationem esse inadæquatam. Quia sicut quandò carentia est formæ, ad quam subiectum dicit innatam inclinationem, est privatio: & quando carentia est formæ, ad quam subiectum dicit inaptitudinem, seu repugnantiam, est negatio. Ita carentia formæ, ad quā subiectum nec dicit inclinationē, nec repugnantiam, est quoddam distinctum membrum carentiæ. Confirmatur; quia non alio fundamento Scotistæ cum Doctore *q. 1. prologi §. & vers. Ad quæstionem igitur* dicimus, divisionem potētiæ passivæ in naturalem, & violentam esse inadæquatam, nisi quia datur aliqua forma, ad quam subiectum nec dicit inclinatio-

 nem;

nem, nec repugnantiam: & consequenter dicimus, respectu talis formæ subjectum dicere potentiam neutram: ergo à simili si carentia sit formæ, ad quam subjectum nec dicit inclinationem, nec repugnantiam, debet esse distincta à privatione, & negatione: & consequenter debet constituere distinctum membrum carentiæ. Et fortè hoc voluit Castillo *num*, 38. citatus.

DUBIUM VIII.

40 PEtes octavò, convenientiã, & differentiam unionis hypostaticæ, Incarnationis, & assumptionis? Respondetur satis constare ex dictis toto hoc capite, & præcipuè à difficultate quinta convenientiam, & differentiã prædictarum vocum. Tamen claritatis gratia dico, quòd per prædictas tres voces idem omnino significatur. Quæcumque enim trium prædictarum vocum significat illam excellentissimam actionem, qua omnes tres divinæ personæ indivisibiliter humanam naturam univerunt divino Verbo, filio, aut secundæ Trinitatis personæ.

41 Tamen quantum ad modum significandi hanc actionem differunt prædicta nomina. Assumptio quippe significat actionem Incarnativam quatenus connotat respectum ad personam terminantem naturam, quæ unitur: Deo: est enim assumptio idem, ac ad se sumptio: ad se (inquam) in præsenti materia tamquam ad terminum, seu tamquam ad personam, quæ supplet personalitatem naturæ assumptæ, seu secum unitæ. Unio vero hypostatica significat eamdem actionem Incarnativam sub respectu, quem dicit ad terminum productum per talem actionem; qui terminus est unio; seu potius significat unionem, prout est terminus actionis Incarnativæ. Et ideò cõnotat necessariò extrema talis unionis: quæ sunt persona Verbi, & natura humana. Demum Incarnatio significat eamdem actionem prout est unitiva humanitatis cum divino Verbo.

CAPUT II.

De persona assumente.

EXplicata iam unione, succedit, eius extrema declarare. Disputamus autem priùs de persona assumente: quia est extremum nobilius, quàm humana natura, quæ est aliud extremum huius unionis.

DIFFICVLTAS I.

De ſpectantibus ad perſonam, quæ de facto fuit incarnata.

1 SVppono, de facto Filium Dei, aut ſecundam Trinitatis perſonam, aut diuinum Verbum fuiſſe Incarnatum: iuxta illud *Ioan. 1. Verbum caro factum eſt.*

DVBIVM I.

2 PEtes primò, vtrùm ſola perſona Filij fuerit Incarnata? Reſpondetur affirmativè. Quia ſic definitur in multis Conciliis, præcipuè in Lateranenſi ſub Martino 1. Item in Lateranenſi ſub Innocentio 3. Quorum definitiones adducunt communiſſimè præſertim Recentiores. Idem conſtat ex perpetua Eccleſiæ traditione fundata in Scriptura dicente, Filium fuiſſe incarnatum: (vt conſtat ex illo *Ioan. 1. Verbum caro factum eſt*) quod de perſonis Patris, & Spiritus Sancti nuſquam dicit. Ratio autem à priori eſt voluntas Dei per Scripturam reuelata. Ratio vero congruentiæ fuit, quòd incarnata perſona filij, congruentiùs facta eſt idiomatum communicatio: ſic enim idem ſuppoſitum dicitur filius Dei, & filius hominis. Alias congruentias aſsignant Auctores, quæ fortè, non currunt in ſententia Scoti affirmantis, Incarnationem fuiſſe decretam ante præviſionem culpæ.

3 Sed contra hanc fidei veritatem obijcies: Ideo perſona filij dicitur incarnaſſe, quia eius perſonalitas ſupplevit perſonalitatem naturæ humanæ, ſeu terminavit naturam aſſumptam: ſed eſſentia divina identificatur cum perſonalitate filij; & aliæ perſonæ cum eſſentia: ergo etiam eſſentia, & aliæ perſonæ dicuntur incarnaſſe. Reſpondetur negando conſequentiam: ſufficit enim diſtinctio formalis ex natura rei, (quam Scotiſtæ concedimus eſſe inter eſſentiam, & perſonalitatem.) vt in rei veritate filiatio, ſeu perſonalitas Verbi terminet, & non eſſentia: & conſequenter neque aliæ perſonæ. Sicut idem diſtinctionis genus ſufficit, vt generet Pater, & non eſſentia, neque aliæ perſonæ.

4 Contra: perſonalitas filij v. g. nequit clarè, & intuitivè videri, aut terminare viſionem, non viſa eſſentia, & alijs perſonis ſolum propter identitatem repertam inter ipſas: ergo neque terminare naturam, quin etiam terminent eſſentia, & aliæ perſonæ. Reſpondetur negando antecedens, (de quo videatur Felix *tract. de Viſione cap. 10. diffic. 3.*) quòd concedunt Thomiſtæ, & ideò difficulter negant conſequentiam.

5 Inſtabis: ergo male *cap. 1. difficult. 7. numero. 6.* conceſsimus hanc propoſitionem,

Natura Verbi est incarnata: immo & istam, *Natura divina est incarnata*: Respondetur negando consequentiam. Ibi enim non loquebamur de termino Incarnationis per se, & immediato; sed de termino, qui per connexionem, aut concommitantiam dicitur incarnasse. In præsenti autem loquimur de Incarnationis termino immediato, & per se. Quod, & amplius patebit ex decisione dubij sequentis.

DVBIVM II.

6 PEtes secundò, an Pater, & Spiritus Sanctus fuerint in humanitate speciali modo? Respondetur affirmativè. Itaque dicimus fuisse in humanitate personas Patris, & Spiritus Sancti per connexionem, & concomitantiam necessariam. Quià eadem numero Deitas est in omnibus tribus divinis personis: ergo impossibile est, Filium habere specialem modum essendi in humanitate, scilicet per terminationem, quin eumdem modum per concomitantiam habeant reliquæ personæ. Sic Suar. Vazquez, & Ragusa, quos citant, & sequuntur *G. Hurtado disp. 3. diff. 2. & Felix cap. 6. diff 1.* Sicque sentiunt *August. Basilius, Chrysost.* & alij Patres videndi præsertim apud Vazquez *disp. 28. cap. 2.* Sufficiat nobis Augustinus *in sermonibus de tempore sermone Dominicæ 3. adventus non longè à principio* dicens: *Cum ergo vna sit Deitas, vna sit divinitas, implevit quidem carnem Christi, & Pater & Spiritus Sanctus, sed maiestate, non susceptione.*

7 Sed oppositum defendunt *Hugo Cardinalis, Alvarez, & Rada*, quos sequitur Castillo *disp. 6. quæst. 1. num. 21.* Et obijciunt, quòd Pater, & Spiritus Sanctus, non fuerunt specialiter in vtero Virginis: ergo nec fuerunt specialiter in humanitate. Probatur antecedens ab inconveniente: ex opposito enim sequeretur, Patrem, & Spiritum Sanctum fuisse genitum, & natum. Respondetur negando antecedens. Ad probationem dico, quòd absolutè loquendo concipi, & nasci solùm dicitur de persona filij: quià primò, per se, & immediatè, & ex vi vnionis terminat naturam humanam, seu supplet eius personalitatem. Tamen cum addito isto (*per connexionem, & concomitantiam*) potest concedi, Patrem, & Spiritum Sanctum fuisse conceptum, & natum. Nec in hoc est aliquod inconveniens: cum in re sit affirmare solùm, quòd Pater, & Spiritus Sanctus connectuntur cum filio, qui suppositalizat humanitatem primò, per se, immediatè, & ex vi vnionis: & consequenter absolutè dicitur incarnatus, genitus, & natus. Vnde patet ad id, quod *ex Scoto in 3. dist. 2. quæst. 1. §. Contra istam* expendit Rada; & ad omnia alia, quæ obijciunt prædicti Auctores.

Ex

8 Ex quibus infero (obiter) contra *citatum Radam ibi conclus.* Patrem, & Spiritum Sanctum. de in sacramento altaris non solum per essentiam, præsentiam, & potentiam, (sicut in alijs rebus) sed etiam sacramentaliter per concomitantiam mediatam: vt eruditè notat noster Villalobos 1. *tom. tra.* *diffic. 23. num. 3.* Et ratio est sæpè assignata, nempè quòd cum tres divinæ personæ habeant realem connexionem, est impossibile, esse aliquam alicubi vel cum aliquo speciali modo, quin ibidem, & cum illo modo sint aliæ per cōnexionem, seu concomitantiam.

9 Pro pleniori autem dictorū intelligentia nota, Deum esse in omnibus, & singulis rebus per essentiam, præsentiam, & potentiā; in iustis per gratiam, & in beatis per gloriam; Dicitur Deus, seu tres divinæ personæ esse in omnibus, & singulis rebus per essentiam; eo quòd per attributum immensitatis verè, & realiter est in illis quasi inclusus. Per præsentiam autem; quia illis est realiter præsens. Per potentiam verò; quia per suam omnipotentiam illas sicut produxit, conservat. Per gratiā autem in iustis; quia illis infudit gratiā sanctificantē, per quam effecit illos dignos sua dilectione, participes divinæ naturæ, filios adoptivos, & hæredes gloriæ. In beatis demum per gloriam esse dicitur; quia illis infundit lumem gloriæ, seque illis clarè manifestat: vnde provenit quòd eliciant visionem, & dilectionem beatam. Igitur certum est, Deum, seu tres diuinas personas esse in humanitate Christi D. omnibus his modis.

10 Addimus autem pro nostra conclusione, Deum seu tres diuinas personas esse etiam in illa sacratissima humanitate alio modo scilicet illam personando: quamvis in hoc sit differentia sæpè assignata, nempe quòd ibi est persona filij primò, per se, immediatè, seu ex vi vnionis: essentia autem, & reliquæ personæ per concomitantiam, immediatam, (si loquamur de essentia) mediatam verò loquendo de Patre, & Spiritu Sancto.

DVBIVM III.

11 Petes tertiò, an filius terminaverit humanitatē ratione alicuius absoluti communis tribus personis? An ratione propriæ personalitatis? Respondetur, quòd proprietas personalis in filio est formalis ratio terminandi naturam assumptam. Quià in Concilijs Toletanis 6. & 11. dicitur: *Solus filius suscepit humanitatem in singularitatem personæ, non in vnitatē diuinæ naturæ, id est, in eo, quòd est proprium filij; non in eo, quòd est cōmune Trinitati.* Et in 6. *Synodo act.* 8. dicitur: *In Incarnatione Patrem, & Spiritum Sanctum sola voluntate, & effectione communicasse.* Et ratio est, quòd si filius ratione essentiæ, vel alicuius communis tribus personis terminasset humanitatē, etiam

etiam essentia, & aliæ personæ absolutè dicerentur incarnatæ. Ita Scotus *in 3. disp. 1. q. 5. §. In ista q. versic. Dico ergo. Vazquez, Suarez Ragusa, & Gasp. Hurt.* quos citat, & sequitur Felix *cap. 6. diff. 1.* dicentes esse communem sententiam.

12 Sed Durandus *in 3. d. 1. q. 2. Capreolus, & Alvarez* citati à Recentioribus dicunt, personam filij terminasse humanitatem, & ratione subsistentiæ absolutæ, seu existentiæ perse, & ratione propriæ personalitatis. Et obijciunt, quòd persona Verbi terminavit humanitatē supplendo in illa propriam subsistentiam absolutam, seu existentiam per se propriam illius naturæ: insuper supplevit pro priam personalitatem dictę naturæ: ergo per subsistentiam supplevit subsistentiam, & per personalitatem supplevit personalitatem. Respondetur, omisso illo de existentia humanitatis, quam Verbum non supplevit, cum enim actualis essentia ab actuali existentia realiter non differat secundum Scotum *in 2. dist. 1. q. 2 §. & vers. Quantum ad istum articulū.* & multis alijs in locis citatis à nostro Fabro *theoremate 32. c. 1.* impossibile est, quòd suppleatur existentia alicuius rei. Igitur hoc omisso dicimus vtrūque supplevisse filium per propriam personalitatem: quia eadem entitas indivisibilis, per quā creatū individuum substantiale (cōpletū saltē) ponitur in vltima actualitate, dicitur, & est subsistentia, suppositalitas, & personalitas: vt notabamus *cap. 1. diff. 7. n. 9. & 1.*

13 Sed contra primò, quòd persona creata est quid absolutū: ergo non potest suppleri per divinam, quæ est relativa. Secundò quòd persona creata dicit perfectionem: sed divina formaliter cōsiderata nō dicit perfectionem in sententia Scoti: (præcipuè legatur Felix *tra. de Trinit. c. 3. diff. 7.*) ergo nequit suppleri per istā, sed per subsistentiam absolutam; quæ est perfectio infinita: ac per cōsequēs continet eminēter perfectionem cuiuscumque creatæ subsistentiæ.

14 Ad primùm istorum. Respond. negando consequentiam: quāvis enim filiatio divina sit quædā indivisibilis entitas relativa, habet tamen virtutē conferendi diversos effectus formales, quorum aliquis nō est relativus. Quod cōstat in paternitate diuina: quæ coiuncta cū essentia præstat diversos effectus formales cum subordinatione vnius ad alium. Etenim primò cōstituit personā. (Quæ vt sic abstrahit ab absoluto, & respectivo: & cōsistit in hoc, quòd est esse quoddā incōmunicabiliter subsistens) secundò: ipsam reddit potētem generare, & spirare. Tertiò facit illā actu generare, & postremò illā refert ad filium. Ita similiter filiatio divina, quāvis sit relatio quædam, atque indiuisibilis entitas, tamen habet virtutem personalizandi; licet persona inde resul-

sultans non sit relativa.

15. Ad secundũ dicimus personalitatem creatam nullã dicere perfectionẽ in sententia, quæ affirmat, personam super naturã creatam solùm addere negationẽ. In qua sententia nullum est argumẽtum. In sentẽtia autem, quę dicit, addere quemdã modum positivũ dicimus quòd quamvis prædictus modus sit perfectio; tamen formalis effectus illius nulla est perfectio distincta ab illo. Quare cũ filiatio divina prçitet illũ effectũ, & aliàs ipsa formaliter cõsiderata abstrahat à perfectione, fit, vt persona consurgens ex natura humana, & prædicta relatione nõ includat perfectionẽ distinctã à perfectione naturæ, quã includit pro materiali.

16. Instabis: ergo minoris perfectionis est humanitas terminata per personalitatem Verbi, quàm si terminaretur per propriã. Resp. negando: quia etsi ex ea parte præcisè, qua includit filiationem, hoc sit verũ, tamen cum personalitas divina idẽtificatur cũ essentia, saltẽ identicè includit infinitam perfectionem. Quæ identitas sufficit, vt absolutè dicatur, humanitatem terminatam à personalitate Verbi gaudere maiori perfectione, quàm si à propria personalitate terminaretur. Sicut sufficit, vt opera talis humanitatis habeant excellentissimum valorem, quem non haberent opera illius humanitatis, si terminata fuisset propria eius personalitate.

17 *Marsilius, Sotus, & Victoria,* relati à Medina etiam opponuntur nostræ conclusioni, sed ex alio principio: dicunt enim personã filij terminasse humanitatem ratione subsistentiæ, quamvis non absolutè, & secundũ se; sed vt modificatæ, & determinatæ per personalitatem. Admodum, quo essentia divina, vt modificata per paternitatem dicitur esse potentia generativa. Et obijciunt, quòd essentia divina modificata per paternitatem est potentia generativa: ergo à simili subsistentia absoluta, vt modificata per filiationem erit ratio supplendi propriam personalitatẽ. Resp. omittendo antecedens: quòd negant D. Bonav. *in 1. d. 7. art. 1. Durandus, & Carthusianus* dicentes solam relationem formalẽ esse potentiam. Item illud negant *Magister. D. Thom. Ocham, & Gabriel* dicentes potentiam productivã in Deo esse solam essentiam absque connotatione ad relationẽ. Imò qui talem cõnotationem petunt, adhuc diversimodè hoc explicãt. Nã Vazq. & Caiet. requirunt hanc connotationem ex parte principij *quo*, seu vt in essentia compleatur ratio agendi. Scotus autem & alij solùm petunt talẽ connotationẽ ex parte principij *quod*, nempè, vt essentia cõstituatur in esse suppositi realiter distincti à persona producta. De his autem legatur præcipuè noster Felix *tract. de Trinit. cap. 1. diff. 7.*

18 Igi-

18 Igitur omisso antecedenti, negatur consequentia, seu paritas: disparitas autem stat in hoc, quod essentia divina sola non potest esse completa ratio potētiæ: aliàs hoc, quòd est posse producere ad intra, competeret omnibus tribus divinis personis. Item completa ratio potentiæ nequit competere personalitati, saltē ex hoc capite, quòd personalitates divinę formaliter consideratæ abstrahunt à quantitativa perfectione. (De quo Legatur Felix *tract. de Trinit. cap. 3. dif. 7.*) Et consequenter conpleta ratio potentiæ productivæ ad intra debet conflari ex essentia, & relatione. In præsenti autem nullum est inconveniens in hoc, quòd sola filiatio terminet humanitatem: cū respectu naturæ creatę individuæ substantialis (saltem completæ) non differant formaliter subsistentia, hypostasis, suppositalitas, & personalitas: vt *num.* 12. diximus.

19 Etiam opponuntur nostræ conclusioni Ocham *in 3. q. 1. art. 2. & Gab. d. 1. notab. 5* dicentes personam filij secundum se terminasse humanitatem non ratione proprietatis personalis, nec ratione essentiæ, seu existentiæ substantialis: existimant enim personas divinas se ipsis constitui, & distingui, & nō aliquibus proprietatibus personalibus: etenim in personis divinis idem sunt essentia, & proprietas. Tamen istorum sententia, & eius fundamentum communiter reijcitur in tractatu de Trinitate, vbi à reliquis Auctoribus statuitur, divinas personas constitui, & distingui proprietatib⁹ ab essentia distinctis formaliter, vel ex natura rei; vt dicimus Scotistæ; vel virtualiter, aut ratione ratiocinatæ: vt Thomistæ philosophatur. De quo videatur Felix *tract. de Trinit. cap. 4. diffi. 8.*

20 Denique nota cum Hugone Cavello in Scholio ad illum §. Scoti citati *num.* 11. quòd quātum ad constitutivū personæ diuinæ Scotus refert se ad 1 *dist.* 26. vbi defendit communem opinionem, scilicet, esse relationem, quamvis putet, non esse improbabile, constitui aliquo; absoluto. Quare in præsenti abstrahendum est ab vtraque sententia, & solùm statuēdum, filium non terminasse naturam ratione alicuius cōmunis omnib⁹ tribus personis, sed ratione alicuius proprij ipsi⁹ filij, sivè hoc sit absolutū, sivè respectivum. ¶ Dices: secundum Scotum, & communem sententiam personæ divinæ constituūtur per relationes: ergo secundū hanc sententiam filiatio est ratio terminādi humanitatem: ergo humanitas denominabitur filia Patris. Respondetur, negando vltimam consequentia, seu potiùs eius suppositum, nempè quod filiatio denominet subiectum: solùm enim denominat cōpositum ex natura, & personalitate resultans. Sicut personalitas solùm denominat naturam indiuiduā substantialē cōpletā. (Secūdū communiorem sententiam)

DIF-

DIFFICVLTAS II.

De spectantibus ad id, quod potuit terminare naturam assumptam.

Difficultate præcedenti egimus de termino, quē de facto habuit humanitas Christi Domini, seu per quem suppleta est eius personalitas. Agimus in præsenti de termino, quem de possibili potuit habere.

DVBIVM I.

1 Petes primò, an hic Deus prout abstrahit à tribus diuinis personis, & est illis cōmunis, possit de potentia absoluta terminare humanitatem? Respondetur affirmativè. Quia admissa subsistētia absoluta nulla est ratio, quare concretum *Deus*, seu indiuiduum Deitatis resultans ex essentia diuina, & subsistentia absoluta, (quā immediatè connotat hoc concretum *Deus*) non possit terminare dependentiam, quam natura humana dicit ad subsistendum: & cōsequenter potest Deus humanitatem sibi vnire in prædicta subsistētia. Prędictam verò subsistentiam absolutam defendit Scotus *in. 1. dist. 7. q. 1.* & alibi sæpè, cui subscribunt *Durandus, Paludan. Capreolus Caiet. Molina, & Suar.* Idēque defendit D. Thom. diversis in locis, sed præcipuè *in 3. dist. 6. q. 2. art. 2.* & *de potentia q. 9. art. 5.* De quo legatur Felix *tract. de Trinit. cap. 4. diff. 5.* Præsentem autem conclusionem defendunt Scotus *in 3. d. 1. q. 2. §. Ad quæstionem versic. Si verò, Sua. disp. 13. sect. 1. Dur. Valentia, & Ragusa* quos citant, & sequūtur Scotistæ Recentiores, pręcipuè Felix *cap. 6. diff. 2.*

2 Hinc reijcio dicentes, quòd quamvis non admittatur subsistētia absoluta, potest Deus sibi vnire creatam naturam ratione existētiæ communis tribus personis. Falluntur tamen, quia existentia diuina non est vltimus terminus naturæ diuinæ. ¶ Sed obijciunt: existentia naturæ diuinæ virtute continet omnem vim cuiuscumque rei creatæ: ergo supplere potest subsistentiam creatam. Respondetur. (dato antecedenti) distinguendo cōsequens: ipsam producendo, omitto: terminando, nego. Cum enim existentia diuina non sit vltimus terminus diuinæ naturę non potest supplere in genere causę formalis (quamvis extrinsecæ) subsistentiam, seu personalitatem naturæ creatæ: quę est vltimus terminus illius.

3 Dices: ergo saltem poterit supplere existentiam humanitatis: & consequenter hac ratione assumere. Patet: quia sicut supplet propriam subsistentiam applicando suam subsistentiam, seu personalitatem, poterit supplere propriā existentiam applicando suam existentiam. Respondetur, negando. Ad probationem dico, non posse se-

separari existentiā naturæ ab illa: quia cum ea identificatur: atque adeò nequit assumi supplendo ei⁹ existentiam.

4 Reijcio etiam *D. Bonav. Vaz quez, Lorcam, & Becanum*, quos citat, & sequitur G. Hurtado *disp. 3. diff. 4.* qui dicunt, Deum ratione subsistentiæ absolutę non posse terminare naturam creatam. Et obijciunt, quòd hæc vnio non fieret in vnitatem naturæ: cum maneret humanitas etsi sine propria subsistentia, inconfusa; & impermixta; Item non fieret in vnitatem personæ: (vt supponitur) ergo est impossibilis talis assumptio. Respondetur ex Scoto *in 3. dist. 1. q. 2. §. Sed contra vers. Respondetur*, quòd hęc vnio esset quasi personalis: natura enim humana personaretur à tali subsistentia, non quia ipsa sit formaliter personalitas; sed quia in natura creata subsistentia, hypostasis, suppositalitas, & personalitas non differunt formaliter, sed solū materialiter: vt notabamus *cap. 1. diff. 7. num. 9 & 10.*

5 Obijciunt secundò: natura humana terminata per illam subsistentiam, adhuc maneret capax simul recipiendi propriam personalitatem: ergo in casu, quod pullularet propria personalitas, esset in se illa humanitas; & nō esset in se, sed in alio. Patet consequentia; quia per propriam personalitatem esset in se, & per subsistentiam cōmunem esset in alio. Respond. negando antecedens: tunc enim illa natura redderetur personata: vt *num. precedenti* dicebam⁹. Imò omissa hac doctrina, adhuc negatur antecedens: quia subsistentia communis impediendo primum effectum formalem creatæ personalitatis. (qui est ponere naturam in vltima actualitate) Consequenter impediret secūdarium; qui est talem naturam reddere incommunicabilem. Qualiter corpus rotundū positum in angulo triangulari, quamvis non adæquatè illū repleat, impedit tamen, ne aliud corpus triangulare illum repleat adæquatè.

6 Resp. secundò, distinguendo antecedens: quoad vtrūque effectum propriæ personalitatis, nego: quoad illū, quem non habet, concedo. Nec est incōveniens, quòd respectu diversorum illa natura esset in se, & in alio. Quare à propria personalitate haberet incommunicabilitatem, & a subsistentia cōmuni haberet independentiam à subsistēte. ¶ Dices demus casum, quòd in assumpta natura creata ad subsistentiā cōmunē nō resultaret propria personalitas: ergo tūc daretur a parte rei homo subsistens, qui nō esset persona. Resp. negando cōsequētiā. Tunc enim homo ille esset tres divinæ personæ mediāte subsistētia cōmuni. Sicut *hic Deus*, seu individuum Deitatis est tres personæ divinæ, mediante subsistētia absoluta, quam *hic Deus* immediatè connotat.

7 Obijciūt tertiò Patres, & cōcilia: etenim dū arguunt cōtra Nestorium duo tantū genera vnionis agnos-

agnoſcunt, ſcilicet ad naturā, & ad perſonam. Vnde efficaciter argue bant ſic: humanitas non eſt aſsūp ta in vnitatem naturæ? Ergo in vnitatem perſonæ. Modo ſic. Prædictum Patrum argumentum eſſet inefficax conſtituendo, poſſe humanitatem aſſumi ad ſubſiſtendum ſubſiſtentia abſoluta, & cōmuni: ergo non eſt poſsibilis talis aſſumptio. Probatur minor: poſſet enim Neſtorius reſpondere, hu manitatem fuiſſe aſſumptā ad ſub ſiſtendum ſubſiſtentia abſoluta. Reſp. vnionem iſtā quantū ad intentū Neſtorij cōprehendere Patres ſub vnione perſonali, vel ſubſiſtētiæ; vt ipſi ſæpè loquūtur. Et ratio eſt, quod cùm Neſtorius ſolū fateretur vnionē per affectū, nega bat quācumque vnionem ſubſtantialem: & conſequenter negabat vnionem tam in ſubſiſtentia abſoluta, quam in relativa, ſeu in perſonalitate.

DVBIVM II.

8 Petes ſecundò, an tres divinæ perſonę ſimul, & immediatè poſsint aſſumere eamdē numero naturā? Reſ. negatiuè. Quia ſic apertè ſentit D. Anſelmus *lib. de Incarn. c. 4.* vt fatetur Lorca *diſp. 25. num. 6.* ſed videamus Anſelmi verba. *Impoſsibile eſt, Deum incarnatum ſecundū vnamquamlibet perſonam ſecundum aliam quoque incarnari.* Et *lib. 2. cur Deus homo cap. 9.* ſic loquitur: *Plures enim perſonæ ne queunt vnum, & eundem hominem aſſumere in vnitatem perſonæ. Quare in vna tantum perſona hoc fieri neceſſariò eſt.*

9 Et ratio eſt efficax: in omni enim dependentia eſſentiali depēdens ſolùm poteſt dependere ab vno, quòd totaliter ſatiet eius dependentiam. Aliàs ſi dependeret à multis, ſimul dependeret, & non depēderet à quocumque illorum. Patet, quia dependeret; (vt ſupponimus) & aliàs non dependeret: nihil enim dependere dicitur ab illo, quo ablato, ipſum omninò invariatū perſeverat: etenim fundamentum relationis dependentiæ, quam dependens dicit ad illud, à quo dependet, eſt indigētia, illius quam habet ad ſuum eſſe: ſed per vnū illorū, quòd totaliter ſatiat ei depēdētiā, aufertur tota indigētia ergo & poſsibilitas ad hoc, vt dependeat ab alio. Modo ſic: per vnā perſonalitatem adæquatè ſatiatur dependentia, quam natura humana dicit ad perſonari: ergo impoſsibile eſt, quòd à pluribus ſimul ſatiatur iſta dependentia.

10 Inſuper probatur cōcluſio: natura enim terminata per propriā perſonalitatem, nequit ſimul terminari aliena: ergo à ſimili ſemel terminata per alienam nequi bit per aliā aliena in terminari. Patet conſequentia, ſeu paritas: etenim eundem effectum præſtat aliena, ac propria. Et demum probatur concluſio à ſimili: ſiquidem idem effectus nequit in genere cauſæ efficientis ſimul produci à pluribus cauſis totalibus

bus: ergo neque vna natura terminari potest a pluribus personalitatibus.

11 Multa congerunt adversarij, vt solvant tam auctoritates Anselmi, quā prædictas rationes. Tamen illas omnes apud Recentiores Scotistas videndas remitto. Tum quià satis molestum foret singula referre. Tum, & præcipuè, quia parvi roboris sunt, & vim dictarum rationum non enervant. Annotare tamen non desinā, quid de auctoritatibus Anselmi *num.* 8. relatis dicat Lorca *disp.* 25 *num* 6. quamvis aliàs nobis contrarius, *Mihi* (inquit) *videtur, nullam admittere explicationem.* Et iterum paulò inferius. *Neque opportet laborare quærendo explicationem testimonij D. Anselmi: quoniam sententia eius, & Scoti satis probabilis est; & optimè defendi potest.* Sic Lorca: cuius Laudo ingenuam veritatis confessio nem: miror tamē, quòd oppositam sententiam defendat sine alicuius alterius Patris expresso testimonio. Scio enim, quòd quādo Patres in alicuius quæstionis decisione dividuntur, liberum est Auctoribus huius, vel illius adhærere sententiæ. Quando tamen Patres inter se nō diuiduntur, aut quando Auctores contrà aliquem Patrem non conspirant, cuiuscumque Patris auctoritas debet explicari.

12 Igitur nostram conclusionem defendunt D. Anselmus *nu.* 8. *citatus, Scotus in* 3. *dist.* 1. *q.* 2 §. *Ad quæstionem,* Cui sententiæ subscribunt *Pitigianus; Rada, Fabro, & omnes Scotistæ.* Eamque docuerant nostri *D. Bonav.* (probabiliter) *Alensis, & Ricardus*; quos citant, & sequuntur Scotistæ Recentiores, præsertim Felix, *cap.* 6 *diff.* 3.

13 Sed D. Thom. *q.* 3. *art.* 6. *Caiet. Medina, Aluarez, Vazquez & Suarez,* quos citat, & sequitur Gasp. Hurt. *disp* 3. *diff.* 5. oppositum defendunt. Et objiciunt primò, in hoc non apparere aliquam repugnantiam. Respondetur, negando: illa enim natura dependeret, & non dependeret à quocūque illorum: vt *num.* 9. expendebamus.

14 Obijciunt secundò, quòd natura divina personatur tribus personalitatibus: ergo idem potest contingere naturæ creaturę. Respondetur, negando consequentiā: natura enim divina præcisa à personalitatibus est perfectissimè subsistens: & ideò personalitates divinæ solùm per identitatē sunt in natura divina, & nō ex eo quòd terminant aliquam depēdentiam, seu indigentiam subsistendi, quam habeat natura divina; sicut habet humana. Quæ exigentia, dependētia, aut indigentia cum satietur per vnam personalitatem; non relinquitur locus in illa natura, vt simul sit sub alia: aliàs daretur relatio sine fundamento. Tamē cum fundamentum identitatis naturæ divinæ cum personalitatibus sit infinitas; & ista non auferatur, posita identificatione cum vna personalitate

litate, remanet locus, vt identificetur cum alijs. Vnde (obiter) intelligitur, merito intulisse Scotū, quod si vna natura esset sub tribus personis esset infinita: quia cum probasset; non posse esse in illis, eo quod terminassent eius dependentiam solùm restabat, quòd in illis esset per identitatem: quæ cum non sit in aliquo tertio, debebat fundari in infinitate.

15 Obijciunt tertiò: idem corpus potest esse in pluribus locis circumscriptivè: ergo & eadem natura potest terminari pluribus personalitatibus. Patet consequentia: quia locus est terminus locati: sicut personalitas est terminus naturæ. Respondetur, negando consequentiam. Ad probationem dico, quòd locus est termin. locati omnino accidentalis: personalitas autem spectat ad coplementū substantiale naturæ singularis, etsi nō in esse essētię aut existentiæ, tamē in esse subsistentiæ, aut personali. Vndè duo mihi depromo. Primū est, quòd subsistentia, aut complementū istud naturæ substātialis sapit naturā illius cui⁹ est còplementum. Et ideo sicut prædicta natura nequit habere plura esse essentiæ, aut existentiæ; (quod est commune omnibus rebus) ita neque subsistentiæ accessorium quippe sapit naturam sui principalis. (vt dictitant) Alterum est, quòd sicut natura singularis in suo esse essentiæ, aut existentiæ nequit pendere à pluribus causis totalibus nō subordinatis; (quòd etiam est commune omnibus rebus) ita neque in suo esse subsistentiæ.

16 Hinc fit, quòd tres divinæ personæ nequeant terminare eandem numero naturam: quia vel terminarent per eandem met terminationem. Et tunc illa terminatio penderet à pluribus causis totalibus: & consequenter penderet, & non penderet ab vnaquaque illarum: vt *num.* 9. expendebamus. Vel terminarent per diversas terminationes positas à singulis personis. Quòd fieri non potest: quia natura illa singularis est incapax recipiendi simul plures subsistētias: sicut enim non potest habere plura esse essentiæ, & existentiæ, ita nequit habere plura esse subsistentiæ: hoc enim est complementum esse essentiæ, & existentiæ: sapitque naturam illiùs.

17 Igitur natura singularis substantialis potest esse simul in pluribus locis: & consequenter potest simul habere plures vbiquationes, aut alia accidentia relativa: vt de facto patet in vno albo, quod per diversas relationes similitudinis refertur ad plura alba. Nec non, & in patre habēte plures filios, qui per diversas relationes refertur ad illos. Imo etsi de facto eadem natura singularis substantialis simul non habeat plura accidentia absoluta quia vnum illorum superfluè admitteretur: cùm vna albedo, aut quantitas v. g. præstet idem omnino, ac alia. De possibili tamen posset habere simul plu-

ra accidentia absoluta. (albedines, aut quantitates v. g.) Nequit verò eademmet natura singularis substantialis simul recipere plures subsistentias. Quia ad talium receptionem est incapax. Cuius incapacitatis ratio desumitur ex eo quòd subsistentia est complementum substantiale naturæ singularis: sapitque naturam illius: & ideò sicut illa natura est omnino incapax recipiendi plura esse essentię, aut existentiæ; ita est incapax recipiendi plures subsistentias. Prædicta verò natura non est incapax recipiendi simul plura accidentia tam absoluta, quàm respectiva: eoquòd accidens (quodcumque illud sit) est omnino extra essentiam subiecti: & ideò nulla est repugnantia quòd conservetur cùm illo, aut sine illo, aut cùm multis accidentibus simul.

18. Obijciunt quartò: duæ causæ instrumentales possunt simul producere eumdem numerò effectum: ergo & plures personæ poterant terminare eandem numerò naturam. Antecedens constat, quādo duo Sacerdotes simul consecrant. Respondetur negando antecedens de instrumentis physicis; & cōcedēdo de moralibus: de quibus procedit probatio antecedentis: & de quibus idem antecedens videtur negare Scotus *in 4. disp. 6. quæst. 2. §. Respondeo à. versic. Etsi obijcias.*

19. Obijciunt quintò: humanitas est æquè terminabilis, seu assumptibilis à tribus: ergò si simul agere, aut terminare conentur, simul terminabunt: quia non est maior ratio, quare vna, quàm alia terminet. Respōdetur ex Scoto *in 3. dist. 1. q. 2. §. Ad argumenta principalia vers. Etsi dicas*, non posse divinas personas id conari: quia est impossibile. Dices, saltem non erit impossibile si personæ terminent inadæquatè. Respondetur, ommittendo: nō enim est cōtra nos, qui dicimus implicare; eoquòd quælibet adæquatè terminaret. ¶ Nota tamen, hanc inadæquatam terminationem fortè esse impossibilem: quamvis enim in genere causæ efficientis, & finalis dentur causę partiales; fortè tamē in genere causæ formalis nequit dari partialis causa: forma enim dat suum effectum seipsam communicando subiecto; & fortassis nequit dari partialis communicatio suipsius.

20. Obijciunt sextò: in natura respectu personarum non est vna, sed triplex potentia obedentialis: ergo quàmvis vna illarum sit reducta ad actum per assumptionē vnius personę, poterunt aliæ reduci per assumptionem aliarū: Resp. negando antecedens: de quo Scotus nihil determinat: vt cōstat *ex § illo ad quæst. vers. Ad secundum, & tertiū*, vbi sic loquitur: *Si autē sint tres potentiæ, concedo, &c.* Resp. secundò (omisso antecedenti) negādo consequentiā: *quia per hoc, quòd vna est reducta ad actū*, (inquit Scotus;

tus ibi) *non reducitur aliàs & potest reduci illa alia, sed non cū actu alterius potentiæ propter incōposibilitatem actuum. Sicut potentia ad albedinē nō potest reduci ad actū cum nigredine.* Nec potentia ad non amādum, (addo ego) seu ad odiendū cùm amore.

DVBIVM III.

21 **P**Etes tertiò, vtrùm vna persona divina possit simul assumere plures naturas? Resp. affirmativè. Quia in hoc nulla apparet repugnantia. Ita Scot. *in 3. d. 1. q. 3. §. Respondeo*: estque Theologorum convenientia.

22 Dices, posse repugnare ex parte naturarū, si essent contrariæ. Resp. hoc non est contra nos: qui solùm affirmamus, absolutè loquēdo ex parte personæ divinę nullā repugnantiā reperiri in hoc, quòd assumat plures naturas aliqua persona divina; sicut de facto assumpsit humanam. Si autē aliàs inter aliquas naturas reperiatur repugnātia, illarum impossibilitas assūptionis non refundenda est in personā divinā; sed in speciales earū naturas. Resp. secundò negando: quāvis enim cōtraria ab eodē subiecto mutuò se expellant, aut ab eadem materia; non tamen ab eodē supposito: hoc enim solùm dicitur habere illa supplendo illorū subsistētias: subiectum autem aut materia illa recipiendo per informationem. Quare si naturæ aliquæ sint contrariæ, necessarium est, quòd à subiecto, vel materia mutuò se expellant.

DVBIVM IV.

23 **P**Etes quartò, si Verbum divinum assumeret naturas Angelicam, & humanam simul, essetne communicatio idiomatum inter has naturas, itaut homo diceretur Angelus? & Angelus homo? & natura Angelica incarnata? & humana Angelizata? Respondetur affirmativè. Quia sicut inter naturas accidētales communicatio idiomatum fundatur in vnitate subiecti: & ideo in lacte v. g. istæ propositiones sunt veræ: *Hoc album est dulce; hoc dulce est album.* Ita inter naturas substantiales cōmunicatio idiomatum fundatur in vnitate suppositi: sed tunc foret idem suppositum vtriusque naturæ: ergo esset inter illas communicatio idiomatum, seu prædicatorum. Confirmatur: quia non alia ratione nunc datur communicatio idiomatum inter naturas divinam, & humanam, nisi quia vniuntur in eodē supposito: propter quòd Deus dicitur crucifixus, mortuus, & homo dicitur Deus, omnipotens, &c. ergo à simili homo diceretur Angelus, spiritus, &c. & Angelus diceretur corporeus, homo, &c.

24 Ratio autem, quare communicant idiomata, seu prædicata naturæ accidentales habentes idem subiectum, & substantiales habentes idem

suppositum, est commune illud proloquium. *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.* Hanc nostram conclusionem defendit Gasp. Hurtado *disp. 3. diff 7.* qui dicit esse sententiam Suarez, & Rugusa: eamque tuentur nostri Castillo *disp. 6. q. 3. num. 2. & Felix cap. 6. diff. 4.* citantes D. Th. *in 3. d. 1. q. 1. & 2.*

25 Sed Caiet. & Medina communiter citati dicunt, quòd tunc non foret communicatio idiomatum. Et obijciunt; quamvis illę naturæ essent substantialiter vnitæ cùm Verbo, non tamen essent inter se substantialiter copulatæ: ergo inter illas non esset communicatio idiomatum. Respond. negãdo consequentiam: communicatio enim idiomatum non requirit quòd naturæ inter se immediatè vniãtur: aliàs nõ esset cõmunicatio idiomatum inter naturas divinam, & humanam.

26 Obijciunt secundò, sequi ex tali idiomatũ communicatione, duo contradictoria simul esse vera: nã si homo moreretur, Angelus diceretur vivus, & mortuus. Resp. negando sequelam: nõ enim sunt contradictoria: cum conveniant eidem supposito secundùm diversas naturas. Vt patet in Christo D. qui secundùm naturam divinam non potuit mori; & tamen potuit, & mortuus est secundum humanam.

27 Nota, quòd licet in duabus propositionibus affirmativis poss int concedi duo prædicata opposita, & inter se repugnantia; (vt sunt mortale, & immortale, &c.) nũquã tamen est cõcedenda propositio negativa: v. g. quàvis tunc de Angelo possent concedi hæc duo prædicata, & propositiones affirmativę: *Angelus est mortuus, vel mortalis, & Angelus est immortalis.* Tamen numquam concedi potest ista negativa; *Angelus non est mortuus, aut non est mortalis.* Et ratio est, quòd negatio est malignãtis naturæ; & omnia destruit: (vt dictitant) atque adeò, vt esset propositio vera erat necessariũ, quòd secundùm nullam illarum naturarum ei posset convenire prædicatum illud.

DVBIVM V.

28 PEtes quintò, an, si Verbum assumeret plures humanitates, diceretur vnus homo propter vnitatem personę assũmentis? An plures propter pluralitatem naturarum assumptarum? Resp. sub distinctione infra explicanda. Priùs namque adducendæ sunt diversæ Auctorum sententiæ.

29 Ricardus *in 3. dist. 1. art. 1. quæst. 5. & Durand.* dicunt, personam illam non esse vocandam vnum hominem simpliciter, nec plures simpliciter: sed secundùm quid vnum, & plures. Putant, enim, concretum æquè includere tam naturam, quàm suppositum, seu personam.

30 Sua-

30 Suarez *disp.13.sect.3.§. Nihilominus, & Ragusa*, dicunt, tūc personam illam futuram esse vnum hominem simpliciter. Pro qua sententia Suar. citat *D. Thom. Mars. Almaynum, Gabriel, Caiet. & Ferrara*; dicitque esse omnium Thomistarum. Gasp. Hurtado *disp.3. diff.7.* citans *D. Thom. & Vazquez* dicit personā futurā esse plures homines simpliciter, & sine addito.

31 Scotistæ etiam distrahuntur: nam Merinero *disp.6. q.5. & post ipsum Castillo disp.6. q. 3. à nu. 6. Felix.cap.6.diff.4.* & multi alij in manuscriptis consentiunt cum G. Hurtad. Econtra verò Fabro *in 3.disp.5 n.2.& in 1.disp.42. n. 21. & Cavellus in 3.dist. 1.q.3.in Scholio ad §. Ad primum*, concordant cum dicentibus tunc personam illam non esse dicendam plures homines: eo quòd existimāt, ad multiplicationem concretorum (etiā substantialium) non sufficere multiplicationem formarum, sed etiā requiri multiplicationem habentis formas. Affirmantque hanc esse sententiam Scoti *in 1.dist.22.§. Iuxta istam & in 3.dist.1.q.3.§. Ad primum, & dist.6.q. 1. §. & vers. Ad argumenta & quodl. 11. §. De tertio vers. Exemplum huius.*

32 Ego autem in hac quæstione potiùs de nomine, quàm de re, (teste Scoto *in 1. dist. 12. §. & versic. Iuxta istam* verbis illis: *est vna difficultas quasi grammaticalis*) dico primò: quomodocumque aptè significetur, quòd est à parte rei, aptè possumus vti nominibus numeralibus vnus, duo, tres, &c. Quare tunc dicere possemus: *Christus Dominus est vnum suppositum habens tres naturas*: aut *Christus Dominus est tres homines habentes eandem personalitatem*: aut *Christus Dominus est vnus homo ex parte suppositi*. Et ratio est quòd res ita se habet, & aptè significatur: ergo propositio est vera, & propria.

33 Dico secundò: ad verificandum propositionem factam per nomen numerale *vnus a, m.* sufficit aut quòd forma sit vna, vel quòd suppositum sit vnum. Quia solùm propter vnitatem formæ concedimus, quod Pater, Filiùs, & Spiritus Sanctus sunt vnus Deus; & quòd Pater, & Filius sunt vnus spirator. Insuper solùm propter vnitatem suppositi concedimus quòd Pater æternus est vnum principiū producens, quamvis habeat duo principia proximè producendi, scilicet virtutem generādi, & virtutē spirandi. Item Christus Dominus absolutè dicitur vna persona, quāvis habeat aliam, & aliam naturam, & habens multas scientias dicitur vnus sciens, &c.

34 Dico tertiò: ad verificandū propositionem factā per nomen numerale, *duo, tres &c.* non sufficit multiplicatio formæ, sed etiā requiritur multiplicatio habentis formas. Quare hominem habentē plures paternitates vnum patrem & non duos, tres, aut plures appellamus; vnum scientem, & non duos aut plures scientes illum,

 qui

qui habet plures scientias: nō alia ratione, nisi quia *concretum non numeratur ad solam numerationem formæ, sed oportet, quòd cum hoc sit numeratio suppositi habentis formā: inquit Scotus quodl. 11. §. De tertio versic. Exemplum huius.*

35 Dices, Scotū ibi loqui decōcretis accidentalibus: de quibus vera est nostra conclusio; secus autem de substātialibus. Et ratio differētiæ est, quòd concretum accidentale dicit formam alteri adiacentem: & consequenter potiùs numeratur illud, cui forma adiacet, seu inhæret, quàm ipsa forma. Concretum tamē substantiale dicit formam per se stantem: & cōsequenter nomen numerale cadit super ipsam formam, seu potiùs numeratur forma, quàm habens formam. Sed contra: quamvis enim verum sit, Scotum ibi loqui de concreto accidentali. Tamen *in 3. dist. 6. q. 1. §. & vers. Ad argumenta* loquitur de concreto substantiali, scilicet de voluntate; & tamē sic loquitur: *Dico, quòd, & si in Christo sint duæ voluntates; non tamen duo volentes: quia concretum non numeratur absque numeratione suppositi.*

36 Instabis, quòd quàmvis verum sit loqui Scotum ibi de concretis substantialibus: (Christus enim D. ea parte, qua est Deus, dicitur, & est volens per actum substātialem vel præcisum, vel conotātē aliquem respectum rationis secundum diversos modos philosophandi de cōstitutivo divini decreti.) tamen loquitur de adiectivis: de quibus loquēdū est sicut de cōcretis accidentalibus: eoquòd tā adiectivū, quā numerale ipsi oppositum determinantur à substantivo subintellecto: vt acutè docet Scotus *in 1. d. 12. §. Iuxta istam.* Sed contra: quāvis enim verum sit loqui Scotum ibi de adiectivo *volēs*; expendo tamen causalem illā: *quia concretū numeratur absque numeratione suppositi.*

37 Itē expendo verba ista, quę immediatè subdit Scotus: *Sicut patet de habente duas scientias; qui non dicitur duo scientes: ita in proposito si sint plura esse* (scilicet in Christo) *quorū vtrùque erit esse simpliciter suppositi, non sequitur suppositū esse duo entia*, seu (vt frequentiùs dicitur) non est concedendū Christum D. esse duo. Vnde sic argumentor. Istā propositionem (*Christus D. est aliqua duo*) nō concedūt Auctores, nō obstante quòd in eo sint duæ naturæ substantiales, scilicet divina, & humana; & tamen propositio ista non est de nomine adiectivo, neque de formis accidentalibus: ergo solùm est falsa, seu negatur ex eo quòd quamvis multiplicentur formæ, non tamē multiplicatur habēs formas: ergo ad verificandum propositionē affirmativā factā per nomen numerale pluralitatē significans (vt duo, tres, &c.) non solū requiritur multiplicatio formæ, sed etiam habentis formam.

38 Dices, Scotū *in 1. 12. §. Iuxta questionē* affirmare, quòd quamvis

Pater, & Filius, nõ possint dici duo spiratores, possunt duo spirantes; & tamen virtus spirativa est vnica in vtroque. Ergo falsa est tertia cõclusio, nempè requiri multiplicationem tã formæ, quàm habentis formam ad verificandum propositionem factã per nomen numerale pluralitatẽ significans. vt sunt duo, tres, &c. Resp. nos in tertia conclusione, & toto hoc dubio lo qui de propositione, in qua nomẽ numerale cadit, seu appellat super nomen substantivum; vt *homo, pater, spirator, Deus, &c.* Quærimus enim, an si verbum assumeret plures humanitates, dicendum esset vnus homo ab vnitate suppositi? an plures à pluralitate naturarum assumptarum? Non autẽ loquimur de propositione, in qua nomen numerale cadit supra adiectivum. (spirans v. g.) tunc enim vtrũque adiectivum (scilicet numerale, & spirans) determinantur ab aliquo substantivo subintellecto, quod est indepẽdens terminãs dependentiam vtriusque adiectivi. Quod substantivum subintellectũ in presenti est aliqui, vel persona, quasi dicatur, tres aliqui, vel tres personæ creantes: inquit Scot. ibi *ver. Et hoc.* Legatur etiam *ver. Assignatio alia.* Nec non & in Reportat. *ibi q. 2. §. &c v. Ad quæst.* sic prosequẽs dico, *quod nõ sunt duo spiratores: quia substantivũ nõ dicitur cũ termino numerali de aliquibus, nisi significatũ eius plurificetur in eis. Quod patet per grãmaticã sanctorũ non enim dicuntur duo Dij.*

39 Ex quibus infero, doctrinã illã Scoti *in 3. d. 6. q. 1. §. &c. vers. Ad argumenta, & quodl. 11. §. de tertio vers. Exemplum huius,* (*concretum non numeratur absque numeratione suppositi*) non solùm esse veram de concretis accidentalibus; sed etiam de substantialibus. Quare non mihi arrident nostri Recẽtiores Scotistæ *num. 31.* citati, dũ dicunt esse regulam generalem, & doctrinam Scoti, quòd nomen numerale apponit suum significatum, seu appellat supra formam, quando est de prædicamento substantiæ, & aliàs nomen est substantivum. Quando autem est adiecti vum, vel forma est de predicamẽto accidentis, nomen numerale ponit suum significatum, seu appellat supra habens formam. Tamen doctrina ista (prædictis Scotistis familiaris, & plausibilis) non est Scoti *num. 1. d. 12.* vbi ab ipsis citatur: imò illam ibi impugnat; vt patet *in §. Iuxta quæstionem vers. Sed ista ratio.* Verum est, quòd Lorca *disp. 31. num. 8.* prędictã doctrinã imponit Scoto ibi, vnde nostri Scotistæ illam sumpserunt.

40 Quòd Scotus ibi affirmat, solùm est, verã esse hanc propositionẽ; *Pater, & Filius sunt duo spirantes*; istam autẽ falsam, *Pater, & Filius sunt duo spiratores.* Et reddẽs rationẽ, quare numerale *duo* (idẽ est de alijs numeralibus significãtibus pluralitatem; vt sunt *tres, quatuor,* &c.) aptè apponit suum significatum, seu appellat supra nomen adiectivum *spirans*, v. g.

non autem suprà substantivum *spirator*, dicit, quod nomen adiectivum est dependens, & determinatur per substantivum, tamquam per illud, à quo dependet: & consequenter, quod ly *duo* additum *spiratori* denotat, duas virtutes spirandi esse in Patre, & Filio. Quod cum ita non sit, redditur falsa haec propositio, *Pater, & Filius sunt duo spiratores*. Tamen cum numerale *duo* additum adiectivo *spirans* nõ ponat suum significatũ suprà ipsum, sed suprà substantivum subintellectum, quod est aliquod, suppositum, seu persona: (cum enim nomen *spirans* sit adiectivum, ab aliquo substantivo debet determinari) & aliàs res ita se habeat, nēpè quòd supposita, seu personae spirantes sint duae, vera est ista propositio, *Pater, & Filius sunt duo spirantes*.

41 Infero secundò, magis ad nostrum intentum, quòd si Verbũ assumeret plures humanitates, non esset dicendum plures homines. Quia praeter pluralitatē formarum requiritur pluralitas suppositorum: vt bene Fabro, & Cavellus *num.* 13. citati. ¶ Dices, Scot. *in* 3. *dist.* 1. *q.* 3. disputantem hanc quaestionem dicere resolvendam esse iuxta dicta in 1. *dist.* 12. ad quaestionem illam, *an Pater, & Filius dicendi sint duo spiratores*? Ad quam quaestionem respondet negativè; eo quòd numerale *duo* determinatur per substantivum *spirator*, seu *vis spirativa*, quae in Patre, & Filio tantum est vna. Modo sic. Sed in casu, quòd Verbum assumeret tres humanitates, numerale *tres* apponeret suum significatum, seu appellaret suprà humanitates: ergo tunc Christus Dominus diceretur tres. Resp. negandò minorem subsumptam quia ly *homo* (secundum conceptum, quem de tali voce formamus) includit subsistentiam. Et ideo si non multiplicentur humanitates, numerale *tres* falsò apponeret suum significatum, seu caderet supra ly *homines*.

42 Sed contra cohaerentiam secundae, & tertiae conclusionis dices: cur ad verificãdum propositionē factam per numerale *vnus*, *a*, *um* sufficiat vnitas formae, vel suppositi. Ad verificandum autē propositionem factam per numerale *duo* (idem est de quocumque numerali pluralitatē significante; vt sũt, *tres*, *quatuor* &c) sit necessaria plurificatio tam formę, quàm habētis formam? Respondetur, hoc pendere ex communi modo loquendi. Nec mirum, adhoc caput nos reducere hoc: etenim praesens dubium grammaticale est, vt ex Scoto notabamus *num.* 32.

DVBIVM VI.

43 PEtes sextò, an suppositum creatum possit assumere, seu terminare alienam naturam? Respond. hoc cōmodiùs fore resolvendum capite sequenti postquam examinaverimus, quid ad-

ldat suppositum creatum super aturam singularem.

CAPVT III.

De humanitate assumpta.

EXPLICATO capite præcedēti nobiliori extremo vnionis hypostaticæ; quod est Verbum diuinum; de alio extremo, quod est natura humana, succedit disputatio.

DIFFICVLTAS I.

De spectantibus ad subsistentiam creatam.

1 CVm diuinum Verbum assumpserit naturam humanam orbādo eam propria subsistentia, suppositalitate, aut personalitate, (has tres voces significare vnam, & eamdem formalitatem, suppono *ex cap. 1. diffic. 7. num. 9. & 10.*) cuius loco propriam subrogavit: meritò tractant Auctores in præsenti de subsistentia, suppositalitate, aut personalitate creata; vt hac cognita, aptè percipiatur modus, quo executum fuit hoc Incarnationis mysterium.

DVBIVM I.

2 PEtes primò, quid sit subsistentia, suppositalitas, & persona? Respondetur quòd subsistentia est quidam modus singulari naturæ substātiali adueniens, cuius effectus formalis est constituere naturam in vltima actualitate substantiali, ad quam naturaliter ordinatur. Idem dicēdum est de suppositalitate, necnon & de personalitate: nam hæc tria, subsistentia (quæ Græcè dicitur hypostasis) creata, suppositalitas, & personalitas idem omninò formaliter significant, & solum differunt ex parte connotati: vt notabamus *cap. 1. diff. 7. n. 9. & 10.*

3 Vnde patet, nullum accidens sivè in subiecto, sivè extra subiectum subsistere. Quia subsistentia pro materiali dicit naturam substantialem.

4 Constat etiam, creatum subsistens, suppositum, seu personam, dicere necessariò duplicem negationem communicabilitatis cum alia natura substantiali, vt *quo*, & vt *quod*; & hoc tam actualiter, quàm aptitudinaliter. Et ratio est, quòd per subsistentiam natura ponitur in vltima actualitate substantiali, quam ex natura sua deposcit: ergo dicit iam negationem cuiuscumque ordinationis, seu ordinabilitatis ad vlteriorem actum substantialem.

5 Pro quo nota, dupliciter posse aliquam naturam substantialem

lem alteri communicari, scilicet vt *quod*, & vt *quo*. Vt *quod* communicantur actu naturæ superiores suis inferioribus, quando actu sunt in illis; vel petunt communicari, quando considerantur ab ipsis præcisæ, aut abstractæ. Vt *quo* verò dicuntur communicari actu materia, & forma suo toti, quando actualiter sunt in illo; & natura humana Christi D. Peterent autem communicari in casu, quòd adinvicem separarentur materia, & forma; aut humana natura Christi D. orbaretur Verbi diuini, & simul propria personalitate. Et de facto petit communicari quæcũque natura substantialis in illo priori naturæ, quo non habet subsistentiam. Igitur cùm subsistens creatum, suppositum seu persona sit in vltima actualitate substantiali, ad quam potest naturaliter ordinari: nec est, nec potest esse prædicatum superius respectu alterius: & consequenter respectu alterius habet negationem communicationis, vel communicabilitatis actualem, & aptitudinalem vt *quod*. Item habet negationem cõmunicationis, vel communicabilitatis actualem, & aptitudinalem, vt *quo*: cùm nec sit, nec possit esse pars alterius naturæ.

6 Vnde constat, neque materiam, neque formam, neque substantiam singularem in illo priori naturæ, quo præcedit, & præscindit à subsistentia, posse dici subsistens suppositum, aut personam. Quia non sunt in vltimo actu substantiali; sed potiùs ad illum ordinantur.

7 Constat etiam, optimam esse definitionem personæ traditam à Richardo de Sancto Victore 4. *de Trinit. cap.* 22. dicente: *Persona est intellectualis naturæ incommunicabilis existentia*. Quia optimè declarat prædictas incommunicationes seu incommunicabilitates, necnon connotatum illarum, nempè naturam intellectualem: quorum vtrumque necessariò requiritur ad esse personæ.

8 Dices, communiter admitti hanc personæ definitionem traditam à Boetio *lib. de duabus naturis & vna persona Christi*: *Persona est rationalis naturæ indiuidua substantia*. Sed in ista non explicantur dictæ negationes: ergo non sunt necessariæ ad esse personæ. Probatur minor: anima enim separata, & humanitas Christi Domini sunt indiuiduæ substantiæ; & tamen non dicunt tales negationes: cùm non sint in vltima actualitate substantiali. Respond. ex Scoto *in* 1. *d.* 23. §. *& vers. Ad quæstionem* dictam Boetij definitionem explicari, aut corrigi debere per prædicti Richardi definitionem. Quare ly *indiuidua substantia* idem significare debet, ac *incommunicabilis existentia*: aliàs anima separata, Deitas, & natura humana sine personalitate essent persona. Insuper ly *rationalis naturæ* idem significare debet, ac *intellectualis*: aliàs illa defi-

finitione nō comprehenderentur Deus, immo nec Angeli, in sententia illorum, qui negant, Deum, immo, & Angelos esse ratiocinativos.

9 Nota, in doctrina Scoti posse problematicè defendi, ad rationem personæ requiri negationem repugnantiæ; necnon & non requiri. Quia apud Scotum est problema, vtrùm illa duplex negatio (quam num. 5. explicuimus, & quam diximus esse necessariam ad rationem personæ) sequatur ad aliquam entitatem positivam, quæ accrescat naturæ singulariter existenti? An verò immediatè fundetur in ipsa natura singulari? Qui enim hoc posterius defendat, dicet consequenter, ad rationem personæ, non requiri negationem repugnantiæ. Secus autem philosophabitur, qui primum affirmabit. Hic enim facilè assignabit radicem illius repugnantiæ. Cùm enim nihil repugnet alicui, cui anteà non repugnabat, per solam carentiam, seu negationem, dicet ille (qui repugnantiæ negationem defendit ad rationem personæ esse necessariam) fundamentum talis negationis esse prædictam entitatem positivam, ad quam talis negatio immediatè sequitur. De quo videatur Scotus *in 3. d. 1. quæst. 1. á §. Ideo propter.*

(.:.)

DVBIVM II.

10 PEtes secundò, an in creatis id, quod denominatur subsistens, supra naturam singularem addat aliquam entitatem positivam? Respondetur problematicè. Quia vtrimque sunt rationes probabiles: vt ex illarum propositione, & solutione patebit. Ita Scotus nuperrimè citatus, & Scotistæ communiter, & si discrepent examinando quænam harum opinionum sit præferenda, tàm in veritate, quàm in mente Scoti: de quo ego non multum curo, si semel mihi statutum dent Scotistæ, (quod pauci renuunt) in Scoto vtrumque esse probabile: vt constat ex illo §. *Et versic. Ideo* verbis illis: *Duæ videntur viæ probabiles.*

Propugnatur sententia quæ adstruit entitatem positivam.

11 COmmunis est inter Thomistas sententia quæ affirmat, ad rationem personæ super naturam singularem requiri entitatem positivam. De quo præcipuè legantur Lorca *disp. 25. num. 18. & Vazquez disput. 31. cap. 6.* Hanc sententiam, non solùm vt probabilem sed etiam vt veram amplectuntur ex Scotistis Lichet. *in 3. d. 1. q. 1 §. Ideo & Rada 1. p. controu. 22. & 3. p. controu. 1. art. 2.* Pro qua obijcitur cōtra aliā partē problematis (quæ affirmat, creatā per-

personã supra naturã singularẽ solù addere negationes *n.4 5.8.&9* explicatas) Creata persona supra naturam singularem solùm addit negationem? Ergo sicut conceditur ista propositio: *aër tenebrosus potest illuminari*; ita concedenda est ista; *natura personata potest assumi*. Probatur paritas: quia sicut in aère tenebroso solùm est aer, & carentia lucis: ita in persona creata solùm est natura singularis, & carentia communicationis, seu communicabilitatis. Respondetur ita esse. Itaque sicut aër tenebrosus potest illuminari in sensu diviso, id est, seclusis tenebris potest affici luce: sic natura singularis personata propria personalitate potest assumi in sensu diviso, id est, seclusa propria personalitate, (sivè solùm addat quid negativum, sivè etiam aliquid positivum, vndè illud negativum immediatè consurgat) potest personari personalitate divina. Dices, quòd Patres contra Nestorium supponunt, vel affirmant, non posse assumi naturam personatam. Respondetur solùm velle, non esse in Christo D. duas personalitates: & consequenter non posse assumi naturam personatam, manente propria personalitate, seu assumpta propria personalitate. (vt alij dicunt)

12 Obijcitur secundò: si personalitas consisteret in carentia ordinationis, aut ordinabilitatis ad actũ substantialem, Patres arguentes contra Nestorium (qui dicebat assumptam fuisse personam) illum redarguerent manifestæ implicationis, nempè quod inassumptibile ponebat assumptũ. Respondetur merito Patres numquam sic fuisse contra Nestorium argumentatos: etenim in sua hæresi nullam implicationem admittebat. Dicebat quippe, assumptam fuisse personam, sed non in vnitatem substantialem, aut personalem, sed solùm ad vnionem per affectum, scilicet quia Verbum vniebatur per summum amorem cum persona creata, quã ipse Nestorius in Christo D. hæreticè admittebat. In quo errabat sanè, sed non implicabat. Propter quod Patres contra ipsum laborabant adstruendo vnitatem substantialem, nempe duarum naturarũ in personalitate Verbi. Et ideo semper hac, aut similibus locutionibus vtebantur: *Verbum assumpsit naturam, Verbum non assumpsit hominem.*

13 Obijcitur tertiò: negatio non competit alicui immediatè, sed ratione alicuius entitatis positivæ: ergo in natura singulari aliquid positivum est, à quo pullulet illa negatio. Respondetur ita esse: pullulat enim à natura singulari substantiali. Dices: in illo priori, quo assumpta fuit à Verbo, seu quo nondum est personata, natura illa singularis non habet prædictam negationem, & postea habet illam: ergo advenit illi ratione alicuius entitatis positivæ. Probatur consequentia: quia negatio non po-

potest competere alicui, cui ante non competebat, nisi ratione alicuius entitatis de novo superadditæ. Respondetur negando consequentiam de entitate positiva superaddita naturæ singularizatæ; & concedendo de entitate positiva, per quam natura communis constituitur in esse singularis, seu individuæ. Itaque illa duplex negatio convenit quidem personæ ratione entitatis positivæ, à qua dimanat. Non autem conveniebat in illo priori, & convenit postea, non quia superaddita sit nova aliqua entitas positiua tali naturæ singulari: sed quia, cum illa duplex negatio oriri debeat, seu fundetur in natura singularizata, non est nata pullulare in illo priori, in quo natura constituitur in esse singularis; sed in posteriori sequenti. Sicut quamvis risibilitas seu negatio hinnibilitatis competat Ioanni v. g. non in illo priori, quo concipitur homo; sed in alio posteriori signo naturæ; non infertur, quod conveniat ipsi ratione alicuius entitatis positivæ superadditæ ad esse hominis. Cuius non est alia ratio, nisi, quia non est nata seu apta convenire ei (cum sit passio, & consequenter necessariò supponat essentiam, aut subiectum essentificatum; vt sic loquar) in illo priori, sed in sequenti posteriori naturæ. Vnde patet solutio ad probationem consequentiæ.

14. Hinc constat solutio, quã communiter dant Scotistæ ad prædictum argumentum ex doctrina Scoti *in 3 d. 1. quæst. 1. §. Contra secundã viã. vers. Non afferendo.* Dicunt ergo negationem actualem, & aptitudinalem posse competere alicui immediatè seu sine aliqua entitate positiva superaddita: Et hoc contingit in præsenti: etenim natura singularis constituitur in esse personæ per duplicem negationem communicabilitatis, scilicet per negationem actualem, & aptitudinalem. Si autem negatio sit repugnantiæ, non potest competere, cui antea non competebat nisi ratione alicuius entitatis positivæ superadditæ. Talis est negatio, quam habet persona divina, vt identificetur cum alia; necnon, & talis est, quam habet natura communis hominis v. g. sub individuatione adhoc vt identificetur cum alia natura; & vt dividatur in plura. Ad rem ergo: persona creata non addit super naturam singularem negationem repugnantiæ: & ideo nobis non est necessarium assignare entitatem positivam supperadditam ipsi in esse indiuiduæ cõstitutæ.

15 Obijcitur quartò: persona seu subsistens est quid substantiale: ergo nequit constitui per negationem. Respondetur concedendo antecedens de persona sumpta pro materiali seu connotato: & negando de persona sumpta pro formali. Contra, quòd subsistentia, seu personalitas est complementum naturæ substantialis: ergo nequit consistere in negatione.

Resp.

Respondetur distinguendo antecedens: in esse naturæ, nego: in esse personæ, concedo: & ideo negatur cōsequentia: solùm enim esset inconveniens, quòd in esse naturæ compleretur per negationem. Instabis: ergo subsistens, seu persona saltem pro coniuncto dicit aliquid negativum. Respondetur concedendo. Sicut surdum, cæcum, &c. Quando autem subsistens, seu persona dicitur vnum per se, intelligendum est de persona sumpta pro materiali, aut in sensu, in quo omne concretum dicit tantùm vnum formaliter, & per se, licet connotet aliud. Formale ergo, & per se significatum personæ creatæ est prædicta duplex negatio.

16 Obijcitur quintò: persona divina præter naturam singularē, & negationes actualis, & aptitudinis dependentiæ, seu communicabilitatis, dicit entitatem positivam: ergo & persona creata. Respondetur negando consequentiā: disparitas est, quod divina dicit etiam negationem repugnātiæ; secus autem creata. Contra: persona creata est participatio divinæ: ergo etiam dicit entitatem positivam. Respondetur distinguendo antecedens: est enim participatio, non vniuoca, sed analoga. Analogia autem, seu proportio stat in hoc, quòd, sicut persona divina habet suam propriam personalitatem: ita creata habet suā. Instabis: ergo à persona creata, & divina nequit abstrahi aliqua negatio communis. Respondetur negando de negatione actuali, & aptitudinali; hæc enim in vtraque reperitur: & concedendo de negatione repugnantiæ.

Propugnatur opposita sententia.

17 Communior est inter Scotistas sententia, quæ affirmat, personam creatam super naturam singularem solùm addere negationem communicabilitatis, ut *quo*, & vt *quod* actualem, & aptitudinalem. Et quidem Scotus *in 3. dist. 1. quæst. 1. §. & vers. Sed oppositum aperte* fatetur, hanc sententiam esse probabiliorem. Imò Fabro ibi *disp. 2. cap. 3. num 27.* existimat, Scotū in hac re non esse problematicum, sed determinatè defendere hanc sententiam. Sed, hoc omisso, pro hac sententia obijcitur contra aliam partem problematis. (quæ supernaturam singularem substantialem ad rationem personæ creatæ, præter prædictas negationes, requirit entitatem positivam) In persona creata est aliqua entitas positiva distincta ab entitate naturæ singularis? Ergo Verbum divinum talem entitatē non assumpsit. Patet cōsequentia: sicut enim Verbum non assumpsit personam, ita neque quod ad personalitatem spectat. Resp. ita esse.

18 Sed contra hanc solutionē dices primò: ergo illa entitas non est in potentia obedentiali respe. Dei. Resp. negando: quoniam, vt aliqua entitas dicatur esse in potē-

tia

tia obedentiali respectu Dei, sufficit, vt illam possit destruere, nec non & vt media illa possit facere quidquid fieri non repugnat tali entitati. Nullatenus tamen requiritur, vt media illa possit Deus præstare omnes, & singulos effectus, quos medijs alijs entitatibus præstat. Aliàs albedo v.g. non diceretur esse sub potentia obedentiali Dei; siquidem media albedine nequit fieri nigrum. Idem dic de calore, medio quo, nequit fieri frigidum: atque de innumeris alijs.

19 Dices secundò contra prædictam solutionem: aliqua entitas est in homine, quam Verbum nō assumpsit? Ergo non fuit curata. Patet consequentia ex Damasc. *lib. 3. de Fide cap. 6* dicente: *Quod non est assumptibile à Verbo, non est curabile.* Respondetur concedendo totū: Itaque personalitas creata (sivè consistat in negativo, sivè in positivo) nec fuit curata, nec est curabilis; sicut nec fuit infirmata, nec est infirmabilis à culpa: ista enim solum afficit animam, & eius potentias; & ad summum potentias vitales sensitivas, quibus medijs committitur ipsa culpa: non autem afficit modos, aut relationes naturæ: quia neque ab istis, nec medijs istis committitur. Vnde patet intentum Damasceni ibi: loquebatur enim contra illos, qui hæreticè negabant, Verbum assumpsisse animam: contra quos efficaciter intulit, animam non fuisse curatam. Et reddit pro ratione, non esse curabile, quod nō est assumptibile. Quod verissimū est, supponendo, quod illud est infirmabile per culpam.

20 Objicitur secundè: persona creata addit aliquid positivum supra naturam singularem? Ergo Verbum non est perfectè vniuocè homo nobiscum. Patet consequentia: quoniam deficit illi prædicta entitas. Respondetur negando consequentiam: quia illa entitas complet quidem naturam, nō in esse naturæ, sed in esse personæ. Objicitur tertiò: persona addit entitatem positivam super naturam singularem? Ergo si Verbum dimitteret naturam assumptam, prædicta natura statim personaretur illa entitate tunc resultante. Respondetur ita esse.

21 Objicitur quartò: persona addit entitatem positivam supra naturam singularem? Ergo potest conseruari natura singularis sine propria, & aliena personalitate. Patet consequentia: potest enim Deus conservare naturam singularem sine illa entitate, vel illam non producendo, aut non concurrendo ad eius resultantiam: vel illam annihilando, postquam producta est. Respondetur ita esse. Contra: ergo ista natura singularis tunc nec esset per se, id est, per propriam subsistentiam, nec in alio. Respondetur ita esse. Tunc enim præscinderet à propria, & ab aliena subsistentia.

***

DV-

DVBIVM III.

22 PEtes tertiò, an subsistentia totius sit composita ex partialibus subsistentijs? Respondetur negativè. Quia illud dicitur formaliter, & per se subsistere, quod est ita in vltima actualitate, vt nō sit ordinabile ad aliud. Sed quælibet pars ordinatur ad totum: ergo nulla pars habet propriā & partialem subsistentiam: & consequenter subsistentia totius non est composita ex partialibus subsistentijs partium: sed est vna simplex, quæ per se, & immediatè afficit totum, & mediatè partes illius. Confirmatur à simili de suppositalitate, & personalitate. Nō enim dantur in eadem natura substantiali partiales suppositalitates, aut personalitates: ergo neque subsistentiæ. Patet consequentia: subsistentia enim suppositalitas, & personalitas non differunt formaliter, & ex parte per se significati; sed solùm penes ordinem ad materiale: eo scilicet, quòd personalitas cadit necessario super naturam intellectualem; quod suppositalitas, aut subsistentia non determinat; vt diximus *cap.* 1. *diff.* 7 *n* 9.

23 Nostram conclusionem defendunt Scotus *in* 3. *dist.* 1. *quæst.* 2. §. *Ideo quantum verſ. Ad propositum, & quodlib.* 9. §. *De Secundo verſ Maior*, & multi Scotistæ; ex alijs autem *Molina*, *Vazq* & *Lorca* quos citat, & sequitur noster Felix *cap.* 6. *diff.* 6 Adde adeò certam esse nostram conclusionem; vt Vazq. *disp.* 32. *cap.* 2. *num.* 10. dicat, nomen partialis subsistentiæ vsque ad hæc tempora fuisse inauditum. Et Lorca *disp.* 29. *c.* 2. dicit, quòd omnes Theologi, negant partibus subsistentiam non distinguendo completam, aut incompletam totalem, aut partialem. Igitur communissima est nostra conclusio.

24 Sed Suarez 2. *tom. metaph. disp.* 34. *sect.* 5. oppositum defendit. Cui ex parte subscribit noster Castillo *disp.* 6. *quæst.* 5. *num.* 13. affirmans: partes substantiales (siuè sint materiales, vt sunt materia, & forma æqui v.g. siuè spirituales, vt anima rationalis) habere proprias, & speciales subsistentias, quando separatæ existunt. Quam sententiam addit esse communem: immeritò, tamen, vt ex *n.* 23. constat. Sed quidquid sit de hoc, contra nostram conclusionem obijcitur ab his Auctoribus: essentia, & existentia totalis componitur ex partialibus essentijs, & existentijs: ergo, & subsistentia totalis, seu totius. Respondetur disparitatem esse, quod subsistentia est vltimus actus: & consequēter inordinabilis ad aliud.

25 Obijcitur secundò: subsistentia afficit totum secundùm omnes partes illius: ergo partes habent partiales subsistentias. Respōdetur negando consequentiam: etenim subsistentia afficit partes per extrinsecam extensionem ipsimet

ſimet ſubſiſtentiæ accidentalem. Ad modum, quo anima rationalis extenditur ad partes corporis; & perſonalitas ad partes entis naturalis. Itaque ſicut non licet, colligere ex extenſione animæ rationalis ad partes corporis, in toto eſſe partiales animas rationales: aut ex extenſione perſonalitatis eſſe partiales perſonalitates: ita neque ex extenſione ſubſiſtentiæ licet colligere ſubſiſtentias partiales.

26 Obijcitur tertiò: quando vnum ens naturale homogeneum (aqua v.g.) dividitur, reſultāt duo ſubſiſtentiæ: ergo quia in eo erant duæ partiales ſubſiſtentiæ. Reſp. negando conſequentiam, ſeu cauſalem. Vera enim ratio, ſeu cauſa eſt, quòd per diviſionem totius, eius partes deſinunt eſſe partes, & tranſeunt ad eſſe tota: & conſequenter habent totales ſubſiſtentias. Addo, quòd, ſi hoc argumentum aliquid probaret, convinceret, partes habere totales ſubſiſtentias: etenim poſt diviſionem dantur plures ſubſiſtentiæ totales.

27 Obijcitur quartò: anima ſeparata exercet naturaliter ſuas operationes: ergo ſubſiſtit: Reſp. negando conſequentiam: quia ad operationes exercendas ſolùm requiritur, exiſtentia, vt conditio neceſſaria, & per ſe: vt patet in accidentibus Euchariſtiæ, quæ mittunt ſpecies. Contra, quod actiones ſunt ſuppoſitorum: ergo non ſufficit exiſtentia. Reſpondetur actiones dici ſuppoſitorum: quia naturaliter loquendo, toti ſubſtantiali priùs convenit ſubſiſtentia, quàm aliquod accidens; & conſequenter, quàm operationes. Non autem dicuntur actiones ſuppoſitorum, eo quòd ſuppoſitalitas, aut ſubſiſtentia ſit principium, aut conditio ad operandum neceſſaria. Contra ſecundò; quia etiam quæcumque alia forma ſubſtantialis poterit naturaliter exercere ſuas operationes: quia quævis habet propriã exiſtentiam. Reſpondetur concedendo; ſi ſemel detur ſeparata: nego tamen, formam poſſe naturaliter conſervari ſeparatam à materia.

28 Obijcitur quintò: partes non habent partiales ſubſiſtentias? Ergo corpus, & anima non poterunt aſſumi immediatè à diuino Verbo: & conſequentur in triduo mortis non fuerunt vnita. Reſp. negando conſequentiam: ſufficit enim, quòd ſint capaces ſubſiſtentiæ totius: quam capacitatem in partibus libenter admittimus; quamvis negemus habere proprias, & partiales ſubſiſtentias. Sicut affirmamus corpus eſſe capax recipiendi animam ſpiritualem, quamvis ex ſe non habeat animã. Itaque aliud eſt ex ſe habere aliquid, & aliud eſt eſſe capax recipiendi illud. Igitur partes ſubſtantiales ſunt capaces ſubſiſtentiæ totius; non tamen habent ex ſe partiales, aut totales ſubſiſtias. Quare Verbum aſſumpſit primò, & per ſe corpus, & animam

F

mam separatim in triduo satiando capacitatem, quam habebant ad subsistendum; & quam satiasset subsistentia totius, si tunc partes essent in toto.

29. Obijcitur sextò: subsistentia absoluta datur in divinis. Sed natura divina sub illa subsistentia est ordinabilis ad personalitates: ergo partes substantiales poterunt habere partiales subsistentias, quamvis aliàs ordinentur ad subsistentiam totius. Consequentia est legitima saltem à paritate: minor est certa: maiorem suppono cum Scoto *in 3. d. 1. quæst. 2. §. & vers. Ad quæstionem*, & alibi sæpè, & cum multis alijs, quos citat, & sequitur noster Felix *tract. de Trinit. cap. 4 diff. 5. num. 2.* Respondetur distinguendo minorem, & negando consequentiam, aut paritatem. Itaque ly *subsistere* est æquivoçum; vt notat Scotus *quodl. 4. §. Contra illud vers. Ad argumentum.* Aliquando enim sumitur pro illo, quod habet vltimam perfectionem: aliquando verò pro illo, quod est incommunicabile. Quare subsistentia aliquando sumitur pro vltima actualitate, seu perfectione rei; aliquando autem pro formalitate, aut modo, qui alicui rei præstat incommunicabilitatem. Igitur divina natura ex se est in vltima perfectione: & ideò dicitur subsistere: quia non ordinatur ad personalitates, tamquam ad aliquid sibi afferens aliquam perfectionem, adhuc modicam; sed tamquam ad id, quod sibi addit incommunicabilitatem in persona. Partes autem ordinantur ad totum, tanquam ad id, quod ipsis affert perfectionem: (sine toto enim partes non aptè conservantur,) & consequenter non habent subsistentiā sumptam, aut pro vltima perfectione, aut pro incommunicabilitate.

DVBIVM IIII.

30 PEtes quartò, quot fuerint Auctorum placita circa creatam subsistentiam? Respondetur multa, & diversa extare. De quo legantur Recentiores, præcipuè Vazq. *disp. 31. & Gaspar Hurt. disp. 4. à diff. 1.* Et quamvis ex his, quæ de subsistentia in præsenti difficultate iam diximus, omnia possint solvi sufficienter; pro pleniori tamen notitia vniversa ab Auctoribus asserta placuit nobis seorsum propalare; eaque quæ contra nostram doctrinam militant solvere sigillatim.

31 Igitur prima opinio affirmat, personam super naturam singularem nihil positivum, aut negativum addere; sed naturam individuam, & personam inter se differre penès diversum modum concipiendi, & nominandi. Quia naturam concipimus in abstracto, quasi id, quo aliquid est; & personam, seu suppositum concipimus in concreto, tamquam id, quod est. Pro hac sententia citatur Durandus *in 1. distinct. 34. quæst. 1. & Henriq. quodlib. 4. quæst.*

quæst. 4. Immo Vazquez *disp.* 31. *cap.* 1. *num.* 2. trahit in hanc sententiam *Gabrielem, & nostros Ocham, & Richardum*. Sed cuiuscumque sit, facilè refutatur ex dictis: constat enim, subsistentiam, suppositalitatem, aut personalitatem super naturam singularem substantialem addere aliquid in re; sive hoc sit positivum, sive negativum. Immo hinc facilè intelligitur, quomodo Verbum divinum potuerit assumere naturam singularem, non tamen personam creatam. Quod ægrè explicabit opposita sententia.

32 Sed obijcit opposita sententia Aristotelem 7. *Metaph. cap.* 6, dicente, quòd *in entibus per se, & substantijs idem est, quod est, vel vnumquodque, id est, suppositum; & quidquid erat esse, id est, natura: & solum differre in entibus per accidens*. Respondetur cum Castillo *disp.* 6. *q.* 4. *num.* 7. *& Felix cap.* 6. *diff.* 5. fortè Aristotelem non cognovisse distinctionem inter naturam individuam: & personam: sed solùm fide divina fuit nobis tradita notitia illius in reuelatione huius Incarnationis mysterij. Quod magis absolutè, & sine ly *fortè* respondent Vazq. & Hurtado *num.* 30. citati. Respondetur secundò cum Lorca *disp.* 28. *num.* 1. solùm intendere cōtra Platonem formas rerum substantiales non esse ideas separatas; nec communicari suppositis ab extrinseco; sed esse illis proprias, & intrinsecas. In quo differunt à formis accidentalibus, quæ suppositis extrinsecæ sunt, & ab extrinseco illis cōmunicātur; atq; ab eis possunt naturaliter separari.

33 Secunda sententia tribuitur Henrico. *quodl.* 5. *q.* 8. asserenti; omne, quod habet in cōmunicabilitatē, vt *quod* dici subsistens, seu personam. Tamen hoc falsum est; sequeretur enim ex hac sententia, materiam, formam, & accidētia dici personas: habent quippe negationem actualis, & aptitudinalis communicabilitatis vt *quod* iuxta dicta *num.* 5.

34 Tertia sententia tribuitur Ioanni de Neapoli affirmanti, (teste Caiet. 3 *p. q.* 4. *art.* 2) cōsistere personā, seu subsistēs in sola negatione actualis cōmunicationis, *vt quo; & vt quod*. Tamē ex hac sentētia sequeretur, animā separatam, & quantitatē Eucharistiæ dici personam; seu subsistens.

35 Quarta sententia tribuitur Hervæo *quodl.* 3 *q.* 6. *& Iabello* 7. *Metaph. q.* 17. affirmātibus suppositum supra naturam solū addere accidentarias proprietates, quibus quasi contrahitur natura, & determinatur, vt constituatur suppositū. Sed contra; quòd in natura humana assumpta à Verbo manserunt propria accidentia; non tamen mansit personalitas. Sed obijciunt Arist. 7. *Metaph. c.* 11. dicētē, *in substantijs materialibus non esse idem quodquid est rei* (id est natura) *& id, cuius est*: (id est supposi tū) quòd tribuere videtur superadditis accidētibus naturæ. Resp.

cum G. Hurtado *disp.* 4. *diff.* 3. *& cum Vazq.* ibi Philosophum nõ posuisse distinctionem inter naturam, & suppositum; sed inter definitionem, & definitum: dixitque in substantijs, seu in substantialibus, aut essentialibus non distingui; sed esse idem: hoc est, omnia, quæ ponuntur in definitione, esse intrinseca rei definitæ. In aggregatis autem ex subiecto, & accidente non est idem, *quod quid erat rei* (hoc est essentia), *& id, cuius est*, hoc est omnia, quæ ponuntur in definitione. Vt patet in hac definitione albi v.g. *est corpus disgregativum visus*; in qua ponitur subiectum albedinis; & tamen subiectum non est de essentia accidentis.

36. Obijciunt secundò, multos Patres explicantes personalitatẽ per accidentia singularia, & characteristicas proprietates. Sufficiat Athanasius *in tractatu de definitionibus non longè à principio* dicens: *Essentia, genus, & forma vnum sunt: facies autem, character, hypostasis, principium, & indiuiduũ vnumquodque idem sunt.* Respondetur, nõ existimasse Patres, quod per accidentia constituitur suppositum; aut natura redditur individua: sed quòd per accidentia cognoscuntur, & distinguuntur quoad nos supposita, & individua. Quod satis apertè insinuat Damasc. *lib. primarum institutionum. c.* 1, *& in Dialectica cap.* 30. verbis illis. *Illud denique sciendum est, characteristicas proprietates accidentia esse, quibus tamquam certis notis hypostasis exprimitur.*

37. Quinta sententia tribuitur Paludano *in* 3. *d.* 1. *q.* 1. *art.* 3. *& Ægidio de Anima tex.* 9. dicentibus, suppositum constitui existentia substantiali superaddita naturæ. Sed contra hoc militat, quòd existentia nequit separari à re, cuius est existentia; quia cum illa idẽtificatur: vt constat *ex cap.* 2. *diff.* 1. *num.* 12. & consequenter in hac sententia dicendum foret, Verbũ assumpsisse naturam personatam.

38. Firmum ergo, & ratum manet ex dictis per totam ferè hanc difficultatem, suppositum creatũ, aut personam supra naturam substantialem individuam addere aliquid; (positivum, aut negativũ) quod ab ipsa potest divinitus separari; & quod de facto separatum fuit, suppletumque à personalitate Verbi, quæ loco eius, seu personalitatis propriæ fuit subrogata in hoc altissimo Incarnationis mysterio. Quo iam explicato, opportunè modò decidemus dubiũ illud, quod in fine capitis præcedentis huc remisimus enodandum.

DVBIVM V.

39. PEtes quintò, an persona creata possit terminare, aut assumere alienam naturã creatam? Respond. affirmativè. Quia in hoc non apparet repugnantia. Sic Scotus *in* 3. *d.* 1. *quæst* 4. Quãvis enim problematicus videatur remanere, magis tamen inclinat

in

in partem affirmativam: vt patet ex § *Potest ergo dici*, & notat Cavellus ibi citans nostros *Ovandum Pitygianum*, *Fabrum*, *Ochamum*, & *Maiorem*. Eamdem sententiam probabiliter defendunt nostri *Castillo disp. 6. q. 6.* & *Felix cap. 6 diff. 7.* multique alij in manuscriptis.

40 Sed *Vazquez*, *Suarez*, *Durandus*, *Palud. Silverius* & *Ragusa*, quos citat, & sequitur G. Hurt. *disp 3 diff. 8.* oppositum defendunt: & obijciunt: personalitas creata est modus suæ naturæ. Sed modus ita adæquatur rei, cuius est modus, vt non possit aliam modificare, seu alteri communicari: ergo personalitas creata nequit personare alienam naturam. Probatur minor instãtijs aliorum modorum, sessionis v. g. actualis inhærentiæ, &c. Respondetur, omittendo minorem de modis accidentalibus; (quales sunt, qui adducuntur in probationem minoris) & negando de substantialibus: qualis est subsistentia. Disparitas autem est, quòd modus accidentalis debet modificare intrinsecè inhærẽdo: & fortè implicat, idem accidens duobus subiectis simul inhærere; ne fortè dependeat totaliter à duobus. Subsistentia autẽ cùm sit modus substantialis, non dependet à natura, sed potiùs natura dependet ab illa in esse subsistentiæ: & consequenter tunc terminaret intrinsecè propriam naturam, & extrinsecè alienam. Vt patet in Verbo divino terminante extrinsecè humanitatem. Et fortè à fortiori id convincit instãtia puncti centrualis terminantis simul multas lineas. Necnon, & instantia puncti continuativi terminantis simul vtramque partẽ, quamvis non vltimatè.

41 Obijciunt secundò: ergo persona creata potest simul infinitas naturas terminare. Respond. ita esse. Contra: ergo habet infinitam perfectionem. Respondetur ex Scoto *ibi* § *Respondeo vers. Sed ista* negando suppositum, nempè, quòd terminare alienam naturam sit perfectio. Aliàs Verbum in tempore acquisiisset aliquam perfectionem. Dices: saltem est perfectio posse terminare: sed persona creata potest simul infinitas terminare: ergo habet infinitam perfectionem. Resp. negando maiorem. Sicut enim obiectum visibile potest terminare simul infinitas visiones, (si darentur) quin ex hac terminatione arguatur infinita perfectio in obiecto: ita persona (etiam creata) potest terminare infinitas naturas, quin in persona arguatur infinita virtus. Instabis: quævis potẽtia est virtus: sed quævis virtus est perfectio: ergo infinita potentia ad personandũ infinitas naturas est, vel arguit infinitã perfectionem. Resp. concedendo minorem de potentia, seu virtute activa: & negando de passiva: vt constat prædicta instantia obiecti; quòd potest terminare infinitas visiones (si darentur) Insurges adhuc: potentia passiva est idem rea-

liter cum re, cuius est potentia: sed obiectum terminans visiones, vel potens illas terminare, aut persona creata potens terminare infinitas naturas est finita: ergo eius potentia ad extrinsecè terminandum etiam est finita, & limitata. Respondetur distinguendo minorem, & consequens: entitativè, cōcedo: terminativè, nego. Quòd patet in visione Beatorum, actu fidei, &c. entitativè enim sunt finita, quamvis terminentur ad infinitum.

42 Obijciunt tertiò: nulla potentia est in persona creata ad terminandum alienam naturam: ergo nō potest illam terminare. Antecedens probatur ex eo quòd potentiæ passivæ debet correspondere activa: sed neque in ipsa persona, neque in toto ambitu agentium creatorum est virtus, seu potentia activa, vi cuius possit vniri effectivè persona creata cum natura aliena: ergo non est talis potentia passiva in persona creata. Resp. negando antecedens: ad probationem nego consequentiam: ex eo enim quòd à nullo agente creato, aut creabili possit actuari aliqua potentia passiua, non infertur, non esse talem potentiam; sed solùm infertur, ab illis non esse actuabilem; sed solùm à Deo supernaturaliter agente. Vt patet in anima, & Angelo, qui habent potentiam passivam respectu gratiæ supernaturalis, & aliorum habituum infusorum, & tamen à nullo agente creato, vel creabili potest actuari talis potentia, sed solùm à Deo supernaturaliter agente. Vrgentior adhuc est instantia humanitatis, quæ à solo Deo potest personari personalitate divina, & tamen in ea respectu talis personalizationis admittimus potentiam passivam (sivè hanc vocemus naturalem, sivè obedentialem).

43 Obijciunt quartò: suppositum terminans alienam naturā debet esse primum, & omnino independens: ergo suppositum creatum nequit terminare. Patet consequentia; quia est dependens. Respondetur cum Scoto *ibi §. Potest ergo vers. Sed primum* negando antecedens: id enim, quod in genere causæ efficientis dependet ab alio, in terminando hanc naturam potest esse primum, & solitariè terminans, atque in hoc genere omnino independens. Sicut accidentis dependentiam in genere causæ materialis terminat subiectum mātum; & solitariè, quamvis aliàs, non sit omnino independens, sed pendeat ab alio in genere causæ efficientis.

44 Obijciunt quintò: omnes naturæ substantiales creatæ completæ, seu directè de prædicamento substantiæ sunt simpliciter incompossibiles in eodem supposito creato: ergo istud nequit terminare alienam naturam. Antecedens probatur: cùm enim propria natura illi supposito cōveniat per se, alia neque per se, neque per accidens potest ei competere. Respondetur ex Scot. *ibi vers. Tertiū*, quod ante-

antecedens *non videtur probabile*. Et meritò, quia oppositum convincitur instantia Verbi divini: cui per se, & naturaliter cōvenit propria personalitas, & simul per accidens terminare humanitatem. Vndè apertè infertur, nō esse formalem repugnantiam duarum naturarum substantialium in eodē supposito. Dices, repugnare ex eo quòd sunt creatæ. Sed cōtra: quia quantum adhoc, quod est, vnam convenire per se, & naturaliter supposito, & alteram per accidēs, nihil refert, quod vna sit creata, & altera increata. Præterea, si ex hoc quòd sunt creatæ, sunt incompatibiles, restat reddere rationem huius incompatibilitatis: quod nō est facile.

DVBIVM VI.

45 PEtes sextò, an nostra conclusio *n.* 39. posita sit vera in sententia, quæ affirmat, personam creatam supra naturam singularem solùm addere negationes? (quam sententiam probabiliter propugnavimus *à n.* 17.) Respondetur negativè. Quia non apparet, quomodo posit personalitas consistens in negativo impedire negationes naturæ alienæ, & suas illi communicare. Ita Merinero *disp.* 7 *q* 1. *circa finem*, & multi alij in manuscriptis: quib⁹ ex parte concordat Fel. *c.* 6. *diff.* 4. quatenus affirmat, in dicta sententia dicendum esse, non posse vniri duas naturas eiusdem speciei; benè tamen, si sint specificè diversæ, vt suut Angelus, & homo.

46 Sed oppositum huius defendunt *Fab. & Pitygian.* quos citat, & sequitur ex parte Fel. *num. praeced.* citatus, & quorum sententiā esse probabilem, affirmat Castillo *disp.* 6. *q.* 6. *num.* 11. Et obijciunt: relationes diversitatis fundantur proximè in carentia vnitatis, quæ est quid negativum; & tamen ipsæ relationes sunt reales; eo præcisè, quòd extrema sunt realia: ergo à simili, vt relatio dependentiæ naturæ assumptæ à persona consistēte in negativo sit realis, sufficit, quòd extrema (scilicet natura assumens, & natura assumpta) sint realia; quamvis aliàs ratio terminandi sit quid negativum. Respondetur omittendo, quòd propter hoc argumentum deberet Felix fateri, posse vniri duas naturas eiusdem speciei in vnitatem personæ, quamvis hæc solum addat negationes. Hoc ergo omisso, dico, quòd quamvis id non repugnaret ex parte relationis depēdētiæ præcisè, repugnaret ex ea parte, qua natura assumens debet impedire resultantiam negationum naturæ assumptæ, & debet illi suas negationes communicare. Quòd quomodo sit faciendū non apparet. Resp. secundò cū Castillo, specialè esse in relationibus diversitatis propter earū naturā fundari in carentia convenientiæ. Secus autem contingit in alijs relationibus præcipuè vnionis: vt inductione patet in omnibus vnionibus.

DIFFICVLTAS II.

De spectantibus ad naturam de facto assumptam.

DVBIVM I.

1 PEtes primò, Vtrùm Verbum assumpserit naturam humanam cum propria personalitate, aut subsistentia? Respondetur negativè. Quia sic sentiunt omnes Catholici, & definitum fuit contra Nestorium: iuxta dicta *cap. 1. diff. 7. à num. 7.*

2. Sed obijcitur illud Ecclesiæ: *Tu ad liberandum suscepturus hominem non horruisti Virginis vterum.* Quæ loquutio reperitur aliquando apud Patres. Respondetur cum D. Thom. communiter recepto *in 3. p. quæst. 4. art. 3. ad* 1. hanc loquutionem non esse propriam, sed piè explicandam: aut dicendo sumi concretum pro abstracto. Aut dicendo, ly *hominem* non sumi pro extremo vnionis, sed pro eius termino: terminata enim fuit assumptio humanitatis adhoc vt Deus fieret homo.

3. Dices cum Grammatico illo Ludouico Viues, in toto rigore esse veram hanc propositionem, *Verbum assumpsit hominem.* Resp. quòd etsi Grammaticè ita esset: Theologicè tamen est impropria: quia apud Theologos ly *homo* supponit pro natura humana habente propriam personalitatem, aut subsistentiam. Quare dictus Grammaticus immeritò reprehendit Theologos non admittentes præfatam propositionem, aut illam pro suspecta habentes. Legantur Vazquez *disp. 35. cap. 2. & Lorca disput. 30. à num 5.* afferentes diuersa decreta, in quibus reijcitur dicta propositio.

4. Obijcitur etiam Concilium Lateranense *sub Martino 1. consult. 1. can 16.* decernens, omnia dicta in quinque Concilijs Generalibus secundùm proprietatem esse intelligenda. Sed in Ephesino (quod est vnum ex illis quinque) dicitur, Verbum assumpsisse hominem: ergo propria est dicta propositio. Respondetur cum Felix *cap. 7. diff. 2.* hanc proprietatem, & rigorem solùm esse obseruandum quantum ad ea, quæ contra hæreticos tractabantur, vel definiuntur. Ibi autem non agebatur de proprietate huius propositionis: *Verbum assumpsit hominem.*

5. Obijcitur insuper: Verbum non assumpsit hominē sed humanitatē sine personalitate, aut subsistentia? Ergo Virgo verè, & propriè non fuit mater Christi D. & consequenter neque Dei. Resp. negando consequentiam: oppositū enim fuit definitū in Concilio Ephes. 1. contra Nestoriū. Recolātur dicta *c. 1. diff 7. à n. 12. vsq. ad 20*

DVBIVM II.

6 PEtes secundò, an humanitas assumpta maneat in Verbo violenta propter carentiā pro-

propriæ personalitatis? Respondetur negativè. Quia illa carentia provenit a forma (scilicet à personalitate Verbi) quæ nō minùs perfectè, imò perfectiùs, quam propria personalitas actu, & formaliter præstat effectum quem illa præstaret. Hanc conclusionem defendunt diversi, quos non refero, eo quòd diversi diversas rationes huius non violentię assignant. De quo videantur Vazquez, *disp. 3.4. Suarez disp. 8. sect. 3. & Felix cap. 7. diffi. 2.*

7 Sed Felix citatus affirmat, quòd licèt humanitas in Verbo propter carentiam propriæ personalitatis non sit violenta simpliciter; potest tamen dici violenta secundùm quid. Sicut si homo nolens præcipitaretur, talis motus diceretur simpliciter, & absolutè violentus homini: quia esset contra eius appetitum elicitum; & tamen diceretur secundùm quid naturalis: quia esset iuxta eius naturalem gravitatem. Respondetur, tamen negando assumptum: nullatenus enim humanitas Christi Domini patitur violentiam. Ad exemplum dico, verum esse, & doctrinam Scoti *in 4. d. 49. q. 14. § Ad illud verf. Ad primum*, quòd *quando sunt aliquæ potentiæ ordinatæ, naturalitas potentiæ superioris est maior quā potentiæ inferioris.*

8 Ex qua doctrina admitto totum, quod sumit exemplum. Nihil tamen concluditur ad propositum: quia naturalitas illa *secundùm quid*, quam haberet homo præcipitatus, esset naturalitas positiva: violentia autem *secundùm quid*, quam intendit probare argumētum esse in humanitate Christi Domini carente propria subsistentia, seu personalitate, esset violentia privativa: seu ideo diceretur pati illam violentiam *secundùm quid*, quia caret perfectione, quam naturaliter haberet, si non personaretur à Verbo: vt est certum. Et quamvis etiam sit certum, pati violentiam naturam, quæ caret perfectione sibi naturaliter debita, si aliàs non ponatur ibi alia forma præstās eūdem effectum; (& fortè propter hoc gustus, & tactus Beatorum patientur aliquam violentiam *secundùm quid*; quia eorū actus semper erunt impediti) tamen, quādo carentia provenit à forma, quæ tribuit eūdem effectum, quē præstaret illa alia forma, cuius in subiecto est carentia, nullo modo arguitur violentia, adhuc *secundùm quid*, sed ad summum potest argui innaturalitas, seu præternaturalitas; hoc est, quòd forma illa, seu personalitas Verbi non petitur naturaliter, seu ad illam non inclinabatur humanitas. Quòd est verum. Citat etiam Felix Scotum *in 2. d. 29 lit. C.* Tamen ibi nihil invenio sibi favens.

De partibus essentialibus à verbo immediatè assumptis.

DVBIVM III.

9 PEtes tertiò, an Verbum sumpserit omnes partes essen-

essentiales hominis immediatè? Respondetur, affirmativè. Itaque etsi immediatè assumpserit totũ; etiam dicitur assumpsisse partes immediatè, quatenus vnitus fuit Filius Dei etiam cùm partibus essentialibus per se, & immediatè, etsi secundariò: primariò enim vnitus fuit cum toto, & illa vnio extensa fuit ad omnes, & singulas eius partes essentiales: aut aliæ novæ vniones positæ fuerunt quibus prædictis partibus Verbum etiam fuit vnitum. Ad modum, quo etsi sol primò illuminet partem sibi pròprinquiorem in ea producendo lucem; illuminat etiam per se, & immediatè omnes reliquas partes totius ambitus suæ activitatis: quia (etsi secundariò) ipsemet immediatè, & per applicationẽ suæ virtutis producit in ipsis lucem. Ad hoc autem vt solùm mediatè Verbum vniretur partibus, erat necessarium, vt vnio partium non terminaretur à Verbo, sed illæ partes quasi de per accidens dicerentur vnitæ, eo nempè, quòd erant partes totius, cum quo immediatè Verbum fuit vnitum: aut saltem erat necessariũ, quòd illa vnio Verbi cùm toto produceret alias vniones, quibus partes vnirẽtur cum Verbo. Quasi ad modum quò ignis calefacere dicitur partes ligni à se distantes: quas mediatè tamen calefacit, eo nempè, quòd in parte sibi propinquiori produxit calorẽ, qui calor produxit aliũ calorem in alia parte, & iste in alia, quoadusque omnes calefiant.

10 Vnde obiter intelligitur, quomodo sit discernendum, an aliquod agens per se, & immediatè præstet aliquem effectum? an solùm mediatè? Quotiescumque enim effectus productus primariò ab aliquo agente est effectivus, seu habet virtutem producendi similem, aut dissimilem effectũ; agens mediatè solùm, & non applicando propriam virtutem producere dicitur omnes alios effectus, præter primum: vt in exemplo de igne calefaciente omnes partes ligni manet declaratum. Quando autem effectꝰ immediatè, & primariò ab agente productꝰ nõ est effectivus, seu non habet virtutem ad producẽdum; agens per se, & immediatè (etsi secundariò) producit omnes alios effectus: vt patet in exẽplo solis, aut alterius luminosi: cũ enim lux non sit productiva alterius lucis, sol aut aliud luminosum per se, & immediatè producit lucem non solùm in parte sibi propinquiori, sed etiam in remotissimis contentis intra sphæram suæ activitatis: hac tantùm notata differentia, quòd in parte propinquiori producit lucem non solùm per se & immediatè; sed etiam primariò; in alijs autẽ partibus per se quidem, & immediatè; non tamen primariò, sed secundariò.

11 Ratio autem huius doctrinæ est, quòd numquã est recurrendũ ad causam vniversalem, nisi in defectu virtutis causę particularis. Est enim connaturalius quòd causæ particulares potẽtes produ-

cere

cere suos effectus, illos producāt, quā quòd illos producāt causæ vniversales: aliàs frustra haberēt virtutē causæ particulares. Cùm ergo calor ab igne productus in propinquiori parte aeris sit productivus alterius caloris, nō debemus recurrere ad ignē qui esset causa vniversalis respectu omnium productionū caloris. A contrariò est philosophandū de sole: cū enim lux ab ipso immediatè producta in propinquiori parte aeris nō sit productiva alterius lucis, recurrendū necessariò nobis est ad ipsum solē, vt per applicationē propriæ virtutis, seu per se, & immediatè sicut primario produxit lucē in parte sibi propinquiori; ita secūdariò per se, & immediatè producat etiam lucē in partib⁹ remotioribus. Hac ratione in generatione hominis recurrimus ad Deum, vt producat animā rationalē; eoquòd in homine nō est virtus ad producēdā illā; nō tamen recurrimus ad Deū, vt producat formam corporeitatis, quā ponimus Scotistæ pro vltima dispositione requisita ad introductionē formæ viventis) aut quācūque aliā formā, aut entitatem, ad cuius productionem in homine requirimus virtutem productivam:

12 Ad nostrū ergo institutum præfatā doctrinā applicando dicimus, quòd cū vnio, qua Verbū divinū vnitū fuit toti humanitati, sit productiva alterius vnionis, per quā vniretur parti, necessariū ponere novas vniones, aut extensionē prioris, vt partibus per se, & immediatè vniri dicatur. Sic ergo vnionem, qua Verbū fuit perse, & immediatè vnitū toti, fuisse effective productā à tota Trinitate. Tamen sicut illa fuit immediatè, & per se terminata ad Verbum, seu Verbū immediatè, & per se fuit terminus illius: ita per se, & immediatè fuit terminus extēsionis ill⁹ vnionis, aut distinctarū vnionum, quibus vnitū dicitur partibus.

13 Sed cōtra conclusionē *n. 9.* positā dices: Verbū assumpsit naturā humanā impediendo pullulationē propriæ subsistentiæ, aut personalitatis naturæ assūptæ, & subrogando suam loco illius, quā debebat habere. Sed partes nō habent subsistētias, aut personalitates: ex dictis *à n. 21.* ergo non potuit illas immediatè assumere. Res. negādo cōsequētiā: quia vt aliquid possit immediatè assumi, sufficit, vt sit capax subsistētiæ: vt diximus *diff. 1 num. 28.*

14 Habemus ergo ex dictis Verbū primò, immediatè, & perse assumpsisse totā humanitatē: secūdario autē (etsi etiā immediatè, & per se) assūpsisse partes essentiales prædictæ humanitatis, nēpè animā, & corpus. Ex quibus etiā constat, mediatè solū assumpsisse illa, quæ sunt incapacia subsistentiæ; vt sunt accidentia.

15 Vnde sufficienter poterat respōderi ad omnia, & singula, quæ de partibus assūptis poterāt interrogari. Tamē quia de assūptione partiū aliquot extiterūt errores, pro plena illorū notitia, necnō & pro

pro sufficiēte enodatione difficultatū, quę de singulis partibus exoriuntur, de singulis est sigillatim disputandum.

De corpore, & carne Christi Domini.

16 DEfinitum fuit in diversis concilijs, Verbum assumpsisse verum corpus, & carnem, & non apparentem, aut phātasticā. Quod convincitur ex illo *Joann. 1. Verbum caro factum est*, & ex multis alijs Scripturæ locis.

17 Oppositum autem docuerunt Manichæi, & alij hæretici; vt notabamus in procemio *à nu.* 10. Pro quo errore adducitur illud *ad Philipp. 2. in similitudinem hominū factus, & habitu inventus, vt homo*: ergo fuit homo apparens. Respondetur, negando consequentiā: vt enim volūt *Ambrosius, & Chrysostomus*, solùm vult Apostolus significare, Christum Dominum sic occultasse divinitatem; vt apparuerit homo sine divinitate: sicut cæteri homines.

18 Obijciunt etiam illud *1. ad Chorint. 15. primus homo de terra terrenus; secundus homo de cœlo cælestis*: ergo Verbum assumpsit corpus non humanum, sed cœleste. Respondetur negando consequentiam: dicitur ibi Christus Dominus homo cœlestis, quia simul fuit Filius Dei: aut quia fuit conceptus virtute Spiritus Sancti: aut quia non fuit subiectus peccato, sed cœlestem vitam duxit.

19 Obijcitur item illud *2. ad Chorint. Etsi cognovimus Christum secundùm carnem, sed iam non novimus*. ergo Apostolus in principio existimabat, Christum Dominum habuisse carnem, & posteà sententiam mutavit. Respondetur negando consequentiam: Paulus enim solùm ibi significat, quod quamvis eo tempore, quo Christum Dominum persequebatur, iudicabat carnaliter, Christum Dominum nullius æstimationis esse dignum; postea verò mutavit iudicium, & sententiam: vt exponit *Septima synodus act. 6.*

De anima rationali Christi Domini.

20 DEfinitum fuit in concilio Calcedonensi *act. 1* & in multis alijs, Verbum asūpsisse veram animam rationalem. Constatque ex illo *Matth. 26. Tristis est anima mea*; atque ex alijs Scripturæ locis: necnon & ex eo quòd Christus Dominus est verus, & perfectus homo: & consequenter ex anima, & corpore constans.

21 Oppositum autem docuit Apolinaris: vt notabamus in procemio *num.* 20. Pro quo errore obijcitur, sequi ex hoc, quòd Verbum sit verus homo, esse quaternitatem in Deo, nempè tres divinas personas, necnon & hunc hominem constantem ex corpore, & anima rationali. Respondetur negando consequentiam: nam Christus Dominus quamvis verè hic

Hic homo; tamen non habet personalitatem distinctam à filio.

22 Hic Apollinarius hæticus negavit aliquando, in Christo Domino fuisse animam rationalem; posteà autem convictus illam cõcessit: dixit tamen, in illo non fuisse intellectum, sed Verbum fuisse loco intellectus, seu mentis Christi Domini. Et obijciebat, quòd si in illo poneretur mens, seu intellectus creatus ponerentur cogitationes inducentes ad peccandum: sicut in alijs hominibus. Respond. negando sequelam: Christus enim Dominus habuit intellectum, & alias potentias naturales subiectas suæ rectissimæ voluntati. Et ideò non insurgabant cogitationes inducentes ad pecandum.

DVBIVM IV.

23 PEtes quartò, an anima, & corpus Christi Domini fuerint assumpta à Verbo, antequam vnirentur inter se? Respondetur negativè. Quia Verbũ primariò assumpsit humanitatem, iuxta illud *Ioan. 1. Verbum caro factum est*: ergo partes ante vnionem iam erant vnitæ, & copulatæ: Ita Iasp. Hurtado *disp. 5, diff. 9.* secutus Vazquez.

24 Sed Suarez *disp. 17. sect. 1. n. 2.* oppositum defendit: & obijcit; quòd tam anima, quàm materia prima, vel corpus habent partiales subsistẽtias: ergo in illo priori naturæ, quo anima creatur, & accedit ad vnionem corporis subsistit subsistentia Verbi. Patet consequentia: quia subsistentia Verbi subrogatur loco propriæ. Ferè idem argumentum formatur de materia, aut de corpore: Quamvis enim materia prima Christi Domini non fuerit de novo creata, sed administrata à Virgine; tamen priùs natura fuit nudata à forma sanguinis, aut ab alia, sub qua existebat: ergo in illo priori naturæ, quo consideratur præcessisse ad vnionem cùm anima, iam subsistebat subsistentia Verbi supplentis propriam partialem subsistentiam illius. Respondetur, falsum esse, partes habere proprias, & speciales subsistentias, quas debebat Verbum supplere. Non enim subsistunt; quoadusque sunt in toto, & istius subsistẽtia illis communicatur. Recolantur dicta *à num. 22.*

DVBIVM V.

25 PEtes quintò, an anima Christi Domini priùs tẽpore extiterit, quàm fuerit vnita Verbo, & corpori? Respondetur negativè. Quia sic definitur *in sexta Synodo act. 13. & à Leone epistola 11.* dicente: *animam Christi Domini non priùs tempore extitisse, quã fuerit vnita carni, & Verbo.*

26 Vnde refellitur error Eutichetis, qui asserebat, humanitatem Christi Domini priùs tempore fuisse sub proprio supposito, & posteà fuisse assumptam. Clariùs adhuc refellitur Origines (vt communi-

muniter ei imponitur) *lib. 2. Periarchon cap.* 6. asserens, animã Christi Domini extitisse à principio mundi ante vnionẽ ad corpus, & ad Verbũ: & ex tunc Deo adhæsisse per affectum, & suis meritis obtinuisse vnionem hypostaticam.

DVBIVM VI.

27 PEtes sextò, an humanitas Christi Domini fuerit priº natura assumpta, *vt quod*, quã partes essentiales? Respond. affirmativè. Quia toti humanitati convenit immediatè, & primariò subsistere, *vt quòd*, partibus verò secũdariò, seu subsistentia totius: ergo humanitas priùs fuit assumpta, nõ solùm ordine intentionis; (de quo non est quæstio) sed etiam ordine exequutionis. Vnde patet, hanc propositionem esse veram: *Humanitas est id, ad quod primò terminata fuit assumptio proximè, & immediatè; partes autẽ sũt id, ad quòd terminata est assumptio non proximè, sed remotè, quamvis etiam immediatè.* Item vera est etiam hæc causalis: *quia assumpta est humanitas, assumpta sunt corpus, & anima Christi Domini* non tamen è contra: *quia assumpta sunt corpus, & anima Christi Domini assumpta est humanitas.* Hanc conclusionem defendunt Scotus *in 3. dist. 2. q. 2 §. Ideò quantũ, Vazquez, & Ragusa*, quos citat & sequitur G. Hurtad. *disp 5 diff. 14.*

28 Sed Suar. *disp. 17. sect. 1. & 2.* oppositum defendit, & citat *Albulensem, Ricardũ, Capreolũ, & Caiet.* & obijcit, partes essentiales priùs natura fuisse vnitas Verbo, quã vnirentur inter se: ergo priùs fuerũt assumptæ, quã assumeretur totũ. Probatur antecedẽs: quia anima, & corpus habẽt partiales subsistẽtias, quas supplendo Verbũ assumpsit illas. Respond. negãdo totum. iuxta dicta *à num. 23.*

DVBIVM VII.

29 PEtes septimò veram intelligentiam aliquarum Patrum propositionum, quæ cũ doctrina à nobis stabilita videntur opponi. Respõd. duas esse propositiones, de quarum intelligentia potest dubitari. Prima est *sextæ Synodi act. 8. D. Aug. Damasceni, & Natianzeni*, quos citant Recentiores, præcipue Vazquez *disp. 37. c. 5. G. Hurtado disp. 5. diff. 12. & Felix cap. 28. diff. 1.* Igitur ab his Patribus statuitur, & à sexta Synodo definitur contra Apolinarem, Verbum assumpsisse non solũ verum corpus, sed etiam animam. Et addunt, *assumpsisse corpus, media anima, seu per animam.* Quem modum loquẽdi diversimodè explicant Theologi, & nos debemus explicare, ne prædicta propositio videatur opponi propositioni illi, *Verbũ immediatè assumpsit corpus, & animã, seu partes humanitatis:* quã propositionem esse concedẽdam constat ex *num. 13.*

30 Igitur, omissis diversis expositionibus videndis apud præcitatum

m Vazq. noto, duplex esse m-
ū vnionis, seu assumptionis. Pri-
ū est cōmune vinculū inter ex-
ema: vt est indivisibile inter duas
rtes quantitatis v. g. gluten inter
s conglutinatas, &c. Secundum
ediū assūptionis est illud, quod
ratio assumendi aliud. Et hoc
in duplici differētia. Nam vnū
, & dicitur ratio assūmēdi aliud,
atenùs ipsum primò assumitur,
quod; vt amphora, qua assūptā,
quod, simul assumitur liquor in
inclusus. (hoc medium dicitur
d) Aliud est, & dicitur medium
umendi aliud, quatenùs est ra-
, seu causa, propter quam assū-
ur, seu propter quam aliud
paratur, aut aptatur, vt assu-
tur. Vt pulchritudo fœminæ;
est ratio, qua aptatur, vt assū-
tur in vxorem, seu est cau-
propter quam in vxorem assu-
ur. Et hoc dicitur mediū *quo*.
Hoc ergo posteriori mo-
anima Christi Domini fuit
ium assumendi corpus: fuit
n ratio, ob quam corpus assu-
etur: nam informando illud
lit vivum, humanum, seu ap-
ad exercendum opera satisfa-
la pro redemptione hominū.
e pares, has duas propositio-
Verbum assumpsit corpus, me-
nima, seu per animam: & *Ver-*
assumpsit corpus, & animam
diatè) non esse oppositas.
prima est vera loquendo
edio, quod tale dicitur; co-
est ratio, seu causa, propter
aliud assumitur, seu ap-
tatur ad hoc, vt assumatur. Po-
sterior autē vera est: eo quòd vnio
Verbi cum anima non præcessit,
aut non fuit medium interposi-
tum ad vnionem Verbi cum cor-
pore. Immediatè enim termina-
ta fuit vnio Verbi ad corpus, &
ad animam: sivè hoc fiat per ex-
tensionem prioris vnionis, qua
Verbum vnitum est cum tota
humanitate; sivè per distinctas v-
niones ad corpus, & ad animam
terminatas.

32. In hoc sensu est vera hæc
propositio: (*Verbum non assumpsit*
corpus, mediante anima, aut per ani-
mam, quæ æquipollet huic; *Verbum*
assumpsit corpus, & animam imme
diatè, aut saltem ex illa sequitur
necesariò) etenim animæ assump
tio nō mediavit inter assumptio-
nem corporis; (sicut assumptio
amphoræ mediat inter assumptio
nem aquæ in ea inclusæ) sed as-
sumptio corporis ad ipsum fuit
immediatè terminata.

33. Patres *nu*. 29. citati hāc etiā
protulerunt contra Apollinarem
propositionē: *Verbū assūpsit animā,*
medio spiritu, & mēte. Quā propo-
sitionē cōmuniter explicāt; sicut
explicata manet hæc: *Verbum as-*
sumpsit corpus, media anima, vel per
animam. Itaque spiritus, seu mens
(hoc est, anima intellectiva) fuit
medium, ratio, seu causa, ob quā
anima sensitiva, & vegetativa
fuit assumpta, seu disposita ad as-
sumptionem. Dices: ergo hæc pro-
positio: *Verbum assumpsit animam,*
medio spiritu, & mente; coincidit
cum

cum illa, *Verbum assumpsit corpus media anima.* Patet quia anima vegetativa, & sensitiva, quæ significantur nomine animæ, sunt potētiæ corporeæ, seu residentes in corpore. Respondetur, ita esse: Patres enim diversis nominibus eandem veritatem diffinierunt: eo quòd Apollinaris diversis vocibus negabat eandem veritatem.

34 Sic explicant communiter prædictam propositionem. Ego tamen his nō multum acquiesco: videtur enim non esse ad mentē Patrum agentium contra Apollinarem: cuius errorem retuli *num.* 22. & quem ipsi refutare volebāt per prædictam propositionem; *Verbum assumpsit animam, medio spiritu, & mente.* Quare libentiùs ego dicerē, prędictam propositionem esse explicandam; sicut *num.* 31. explicata manet hæc: *Verbum assumpsit corpus, media anima.* Sicut enim enima fuit ratio assumendi corpus: ita potentiæ animæ nempe voluntas, & intellectus (quæ nominibus spiritus, & mentis comprehenduntur) fuerunt ratio, seu causa assumendi animam: sicut enim corpus sine anima non esset aptum ad opera redemptionis: ita neque anima sine intellectu, & voluntate.

DVBIVM VIII.

35 PEtes octavò, an organizatio corporis Christi Domini præcesserit tempore eius animę infusionem? Respondetur sub distintione, aut explicatione statim subijcienda.

36 Pro quo noto, quòd cùm secundùm Scotum altera pars cōpositi physici viventis sit materia prima non nudata ab omni forma substātiali; (vt dicunt Thomistæ) sed affecta forma corporeitatis, (quæ est quędam forma substantialis realiter distincta à forma specifica) à qua materia organizatur; idem est inquirere, an organizatio corporis Christi Domini præcesserit tempore infusionem animę? ac quærere, an organizatio corporis Christi Domini cōsumpserit tempus? an facta fuerit in instanti.

37 Noto etiam cum Scoto *in 3. dist. 2. q. 3. §. Quantum ad secundum;* quòd in organizatione reperiuntur tres actiones. Prima est translatio materiæ ad locum generationi aptum, hoc est, ad matricem. Secunda est alteratio, qua illa materia condensatur secundùm aliquas partes, vt ex ea fiant cartilagines, ossa, & aliæ partes solidiores; & secundùm aliàs partes rarefit, vt fiant caro, sanguis, & aliæ partes magis teneræ; & sic introducatur forma corporeitatis. (sivè hæc sit forma specifica; vt cum D. Thoma docent Thomistæ; sivè alia forma distincta: quam Scotistæ vocamus formam corporeitatis) Tertia actio est eductio, seu inductio formæ corporis: per quam materia illa existens in matrice, & ibi alterata reditur organica seu organizata.

38 Qui-

38 Quibus notatis, dico primò: si organizatio sumatur pro eductione formæ corporeitatis, solùm prioritate naturæ præcedit introductionem animæ rationalis, aut formæ specificæ viventis. Quia formæ substantiales introducuntur in instanti: sed forma corporeitatis est substantialis: ergo introducitur in instanti. Quòd autem illud instans sit idemmet, in quo introducitur forma specifica viventis, inde constat, quòd forma coporeitatis est vltima dispositio ad introductionem formæ specificæ: & consequenter debeat forma specifica poni in eodem temporis instanti, in quo ponitur forma corporeitatis: alioqui daretur materia vltimò disposita sine forma introducenda: ac per consequens sine omni forma specifica: non enim potest materia vltimò disponi ad introductionẽ novæ formæ, quin antiqua sit expulsa. Hanc conclusionem defendunt communiter Scotistæ cum Scoto *num* 37. citato.

39 Nota ex Scoto *ibi verſ. Si autem fiat*, quòd in eodem instanti temporis (servata tamen prioritate naturæ ad introductionẽ formæ specificæ) educuntur, seu introducuntur omnes partiales formæ corporeitatis. Sicut in eodem temporis momento producuntur à luminoso diversæ partes luminis in diversis partibus aëris. Vnde constat, quòd in homine v. g. sunt multæ & diversæ (specificè distinctæ) formæ partiales corporeitatis. Forma enim qua os habet esse corporeum, est alia à forma, qua caro habet esse corpus. Idem dico de forma sanguinis, cartilaginis, &c.

40 Dico secundò: probabile est, organizationẽ sumptam pro duobus motibus præcedentibus eductionem formæ corporeitatis (scilicet pro latione materiæ in matricem; & pro alteratione præparativa materiæ) fuisse factã in eodem instanti animationis Christi Domini. Quia sic aptiùs salvatur, quòd in vltimo instanti cõsensus Virginis (expressi per illa verba. *Ecce ancilla Domini; fiat mihi secundùm verbũ tuũ. Lucæ* 1. *n.* 28.) fuit in sacratissimo illius vtero Verbũ factus homo. Quod sæpè repetunt Patres videndi præcipuè apud Suarez *tom.* 2. *in* 3. *p. disp.* 11 *sect.* 2. sufficiat nobis Damascenus 3. *de fide cap.* 2. dicens: *Dei filius per Spitum Sanctum pro creationis modo sibi ipsi corpus condidit: non ita vt paulatim, tacitisque incrementis figura corporis absolveretur; sed vno, eodemque momento.*

41 Dices, hanc conclusionem implicare in terminis: siquidem supponimus organizationem sumi pro motibus lationis, & alterationis materiæ: & aliàs si latio, & alteratio fiant in instanti, nullus detur motus aũt mutatio cum successione: vt notat Scotus *ibi versiculo Si autem.* Respondetur nomine motus in hac conclusione nos intelligere

terminū tam lationis, seu motus localis, quàm alterationis: asserimusque quod in instanti animationis, seu infusionis animæ non solùm inducta fuit forma corporeitatis; sed etiam materia ad generationem necessaria posita fuit in matrice, & ibi alterata fuit, & vltimò disposita ad hoc, vt ex illa educeretur forma corporeitatis; quæ est vltima dispositio ad introductionē animæ rationalis, seu formæ specificæ viventis. Et quāvis sit grande miraculum supplere istos motus, & ponere illoru terminos sine illis: nullum tamē fuit miraculum, quòd virtus naturalis (sivè resideat in materia à se administrata; sivè in forma specifica: de quo Scotus nihil determinat. Videatur *in 3. dist. 4. q. 1.*) concurrat ad formandum corp⁹, seu ad educendū ex tali materia iā præparata formam corporeitatis. Imo fortè sine miraculo virtus naturalis virginis produxit in instanti terminos lationis, & alterationis, auferente miraculosè Spiritu Sancto impedimenta, & omnia alia, ex quibus proveniebat, vt tales termini succesivè producendi forent.

42 Hinc patet, nihil esse productum ab alijs matribus, quod nō produxerit Virgo Sanctissima in generatione Christi Domini. Imo parū obstaret, quòd non cōcurrerit ad lationem, & alterationem materiæ: diceretur enim propriissimè mater Christi Domini, eo quod administraverit sanguinem; vt vult D. Th. sivè semen; vt volunt nostri D. Bonavent. & Ricardus: sivè vtrumque, vt insinuat Scotus cum Galeno *lib. 2. de semine*) & per hoc activè concurrerit ad educendum formam corporeitatis.

43 Dico tertiò: Probabile est, quod organizatio sumpta pro motibus lationis, & alterationis materię facta fuit in tempore illo brevissimo, quo Beata Virgo protulit illa verba: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm Verbum tuum.* Quia sic *magis videtur posse salvari, Mariam cooperatā fuisse ad illos motus* (inquit Scotus *ibi Vers. De transmutatione*) sicut cooperātur aliæ matres. Vtramque hanc conclusionem problematicè defendit Scotus *in 3. dist. 2. q. 3. §. Quantum ad secundum*, & cum eo Scotistæ; quàmvis aliqui magis inclinent in istam. Quare immeritò bonus senex Suarez *nu. 40.* citatus dicit, hanc tertiam cōclusionem esse temerariam. Est enim satis probabilis. Et ipsam defendendo dicēdum est, quòd per tempus, quo duravit proferre Virginem illam verba (*Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm Verbum tuum*) facti sunt dicti motus lationis, & alterationis materiæ; in vltimo autem instanti prolationis educta est forma corporeitatis, inducta est anima, & resultavit humanitas, quam assumpsit Verbum in eodemmet instanti temporis; sed in alio posteriori naturæ.

De

De partibus integralibus à Verbo immediatè assumptis.

44 EX dictis à *num* 9. constat, Verbum divinum hypostaticè assumpsisse verum corpus humanum. Vnde planè infertur, tale corpus cōstare carne, ossibus, nervis, sanguine, & reliquis omnibus, quæ partes integrales dicuntur, & quibus cætera humana corpora complentur, & ornantur. Quare nulli est dubium, saltèm mediatè omnes prædictas partes fuisse à Verbo assumptas, supposito quòd sunt partes corporis, quod Verbum assumpsit. Et ratio est, quòd Verbum non solùm est homo, sed etiam est perfectus, & integer homo. Et ideò debet habere carnem, ossa, sanguinem, &c.

DVBIVM IX.

45 PEtes nonò, an Verbum immediatè assumpserit omnes partes integrantes sui corporis? Respondetur affirmativè. Quia omnes partes integrantes reliquorum hominum corporum (dum homo vivit) afficiuntur subsistentia totius: non enim admittimus partiales subsistentias, iuxta dicta à *n.* 22. ergo sicut Verbū dicitur assumpsisse totū immediatè cōmunicādo illi suam subsistentiam loco propriæ, quæ in ipso toto pullularet, nisi per subsistentiam Verbi fuisset impedita; ita dicetur immediatè assumpsisse omnes partes integrantes communicando illis suam subsistentiam loco illius, quam totum ipsis communicaret, si aliàs non fuisset à subsistentia Verbi impedita illi pullulatio.

46 Vnde sufficienter poterat responderi ad omnia, & singula, quæ de partibus integralibus à Verbo immediatè assumptis interrogantur. Tamen quia de aliquibus partibus negant aliqui immediatam assumptionem, præsertim de fluidis, vt sunt sanguis, flegma, & alij humores; necnon, & de spectantibus potiùs ad ornatum naturæ, quàm ad eius integritatem; vt sunt capilli, & vngues. Ideo de singulis est seorsùm disputandum.

47 Igitur convenit inter Auctores, Verbum assumpsisse immediatè omnes partes solidas, quæ requiruntur ad integritatem corporis humani: sivè sint, sine quibus non potest consistere, vt caro, ossa, &c. sivè quæ pertinent ad cōpletā rationem illius; vt sunt manus, pes, &c. Et ratio est, quòd Verbum assumpsit verum corpus humanum immediatè; ex dictis à *n.* 16 ergo sine aliquo fundamento negaretur etiā immediatè assumpsisse omnes, & singulas partes, quæ ad veram, & integram rationem corporis sunt necessariæ.

DVBIVM X.

48 PEtes decimò, an sanguis fuerit immediatè vnit-

Verbo, seu à Verbo assumptus? Respondetur affirmativè. Quia Verbum immediatè assumpsit verum corpus humanum: hoc autem sine sanguine non consistit: ergo sine fundamento negatur immediatè assumpsisse sanguinem. Secundò, quia in extravagante *Vnigenitus* dicit Clemens sextus, *vnam guttam sanguinis Christi propter vnionem ad verbum esse sufficientem pro redemptione totius generis humani.* Ita D. Th. 3. p. q. 15. *artic.* 2. *Vazquez*, *Suar. Lorca*, *Ragusa*, *Gaspar Hurtado*, *Fabro*, *Pitigianus*, & alij, quos citant, & sequûtur nostri Felix *cap.* 7. *diff.* 3. & *Castillo disp.* 7. *quæst.* 4. *num.* 7. Imò Gaspar Hurtado *disp.* 5. *diff.* 2. addit, hanc cõclusionem esse de fide, & oppositam damnatam in Epistola Concilij Alexandrini approbata in concilio Ephesino 1. *cap.* 14. dum dicitur, Deum carnem, & sanguinẽ assumpsisse. Quod etiam dicitur in alijs Concilijs, & Patribus videndis apud Vazq. *disput.* 36. *c.* 6.

49 Vnde reijcitur sententia Durandi *in* 4. *dist.* 10. *q.* 1. *Gabrielis super can. lect.* 53. & *Ricardi in* 3. *dist.* 2. *q.* 1. *art* 2. qui dicunt sanguinem non fuisse immediatè vnitũ verbo. Item reijcitur sententia Abulensis qui *in paradoxa* 2. *cap.* 40. dicit, sanguinem in triduo non mansisse vnitũ. Insuper reijcitur sententia, quæ cõmuniter tribuitur Caiet. & distinguit duplicẽ sanguinem; vnum nutrimentalẽ, qui nondum est decoctus, nec redactus ad perfectionem partis corporis humani. Alius est sanguis perfectus, & decoctus. Hunc ergo dicit Caiet. fuisse immediatè assũptum à Verbo, & post resurrectionem vnitum. Igitur contra omnes has sententias militat nostra conclusio, & per illam omnes reijciuntur. Addẽ distinctionẽ sanguinis à Caiet. excogitatam esse cõmentitiam: quia sine fundamẽto, & contra omnes medicos, & Philosophos ponit in sanguine maiorem distinctionem, quàm est hoc, quòd est esse magis, vel minᵘˢ decoctũ seu depuratum. Quæ accidentalis differentia non tollit, quod Verbum assumpserit vnum, & nõ alium.

50 Sed pro his sententijs obijciet, quòd Verbum solùm assumpsit immediatè partes viventes, & quæ informantur anima rationali: sed sanguis nec vivit, nec informatur anima rationali: ergo nõ fuit immediatè assũptus. Res. negando maiorem: assũpsit enim immediatè omnes, & singulas partes, quæ pertinent ad veritatẽ, integritatem, & perfectionẽ naturæ; sivè viuant, sivè nõ; sivè informentur anima, sivè non.

51 Obijcies secũdò: Verbũ immediatè assumpsit sanguinẽ: ergo per cõmunicationẽ idiomatũ dicetur sanguis. Respondetur negãdo consequentiam: quia communicatio idiomatum solùm habet locum inter Verbũ, & naturã cõpletã; nõ autem inter partes. Aliàs Verbum diceretur anima. Quod non admittunt Auctores, adhuc

in

In triduo, quando anima erat in statu separationis, seu à corpore separata.

52 Obijciunt tertiò: Verbum immediatè assumpsit sanguinem? ergo in triduo sanguis fuit immediatè vnitus Verbo. Resp. concedēdo cōsequens, & ommittendo consequentiā, seu potiùs illam negando. Non enim infertur per bonam consequentiā ex eo, quòd sanguis in altissimo Incarnationis mysterio fuit immediatè assumptus, quòd mā sit vnitus in triduo: siquidē in morte desivit vnio, quā Verbū primò, & per se vnivit sibi totā humanitatem, & secundariò, aut consequenter sanguinem, & reliquas partes tam essentiales, quàm integrantes illius humanitatis. Ac per consequens, si in triduo sanguis māsit vnitus Verbo, hoc fuit per novam vnionem immediatè, primò, & per se terminatā ad ipsum sanguinem. Et ideò optimè poterat negari consequens. Igitur illud concedo, non quia ex antecedenti infertur; sed quia communior sentētia fert, sanguinem in triduo fuisse hypostaticè vnitum Verbo divino.

DVBIVM XI.

(*incidens.*)

53 PEtes vndecimò (incidenter) quid sentiendū sit de vnione sanguinis Christi Domini in triduo. Respōdetur, quòd de hoc nihil est definitum ab Ecclesia: neque meretur notam erroris, aut temeritatis negare fuisse vnitum: vt minùs doctè dicunt aliqui Recentiores, præcipuè Vazquez *disp. 36. cap. 4. num. 13.* Quare meritò concludit noster Felix *cap. 7. in fine*, probabilē esse sententiam, quæ affirmat, sanguinem in triduo non fuisse vnitum Verbo divino. Quam sententiam prædicavit noster B. Iacobus de Marchia anno millesimoquadrigentesimo sexagesimo secundo die decima octava Aprilis: & eam tenet noster Ricardus *num. 49.* citatus, & pro illa citantur nostri D. Bonavent. & Doctor illuminatus Fr. Franciscus Mayronis. Et à fortiori illam defendunt, qui dicunt, sanguinem non fuisse immediatè vnitum Verbo. Hi sunt, præter Recardum, Durandus, & Gabriel *num. 49.* citati. Quia tamen de hoc molesta satis fuit altercatio inter nostrum, & Prædicatorum ordinem. Legatur præcitatus Felix, qui ex Nitela Franciscana *fol. 443.* acuratè refert factum istud. Quod cùm sit historicū, apud ipsum videndum remitto.

54 Adverto tamen cōtra præcitatum Vazquez, & nonnullos Recentiores, de hac re ab Ecclesia nihil fuisse definitum. Nā Pius secundus, quē ipsi dicunt, rem hanc definijsse, sic fatur in quadam Epistola missa ad B. Iacobū de Marchia die vigesima actava Aprilis anni millesimi quadragentesimi sexagesimi quarti: *Nos autem materiam ipsam hucusque non determi-*

navimus. Imò in quodã brevi dato eodem anno Kalendis Augusti dici: *statuimus, & ordinamus, quòd nulli fratrum Prædicatorum liceat deinceps de supradicta dubitatione, disputare, prædicare, vel publicè, aut privatè verbum facere, seu aliquid suadere, quòd hæreticum, aut peccatum sit, tenere, vel credere, sanguinem ipsum sacratissimum (ut præmittitur) triduo passionis eiusdem Domini nostri Iesu Christi ab ipsa divinitate quomodolibet fuisse, vel non fuisse divisum, vel separatum; donec super dubietatis huiusmodi decisione, quid tenendum sit, fuerit per nos, & sedem Apostolicam definitum*. Minùs ergo eruditè Vazquez, & nonnulli alij Recentiores dixerunt, rem hanc ab Ecclesia fuisse definitam. Igitur, hoc omisso, & ad locum, unde discessimus, regrediendo, firmiter statuto, quòd verbum immediatè assumpsit sanguinē in hoc altissimo Incarnationis mysterio, remanent aliqua dubia in præsenti decidenda.

DVBIVM XII.

55 PEres duodecimò, an ex Scriptura efficaciter colligatur, Verbum immediatè assumpsisse sanguinem? Respondetur, affirmativè. Quia ex illis locis, in quibus sanguini Christi Domini tribuitur nostra salus, aut redemptio colligitur efficaciter, fuisse immediatè unitum Verbo: non enim apparet unde esset tam valerosus, nisi ex prædicta unione immediata. Testimonia autem in quibus nostra salus, aut redemptio Christi Domini sanguini tribuitur, sunt. *Epistol. 1. Ioan. capit. 1. Sanguis filij eius emundat nos ab omni peccato: & Lucæ 22. Qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Et alibi. Hanc conclusionem defendunt Lorca *disput. 33. num. 26. Castillo disp. 7. q. 4. num. 9. Felix c. 7. diff. 3.* & aliqui Scotistæ in manuscriptis.

56 Sed Vazquez *disp. 36. cap. 6.* oppositum defendit; & obijcit, quòd lacrymatio, & sudatio, Christi Domini (sicut & quæcumque eius operatio) habent vim ad nos iustificandum: sed lacrymæ, & sudor non uniuntur immediatè Verbo: ergo ex eo, quòd sanguis Christi Domini sit nostra iustificatio, & redemptio nō infertur, immediatè uniri Verbo. Respondetur negando consequentiam: quia lacrymis iam effusis, sudori, &c. non tribuit scriptura, quòd sit nostra iustificatio, seu pretium nostræ redemptionis: sicut tribuit sanguini iam effuso, illi scilicet, qui effusus est è latere Salvatoris. Cùm enim Scriptura absolutè dicat quòd *sanguis filij eius emundat nos ab omni peccato*: etiam de sanguine effuso est intelligendum.

57 Obijcit secundò: nostra redemptio facta fuit per modum meriti. Sed in merito non attenditur valor rei oblatæ, sed digni-

tas

tas offerentis: ergo dignitate perſonæ Chriſti Domini, & non ex valore ſanguinis penſanda eſt redemptio noſtra: & conſequenter quando ſanguini tribuitur remiſſio peccatorum, eſt figurata loquutio, in qua per ſynecdochem nomine ſanguinis tota humanitas ſignificatur; vel ſignificatur ipſa mors, & paſsio: quia in ea effuſus eſt ſanguis. Reſpondetur negando maiorē in ſenſu excluſivo, & concedendo in ſenſu abſoluto. Itaque abſolutè eſt verum, quòd noſtra redemptio facta eſt per modum meriti; falſum tamē eſt, quòd hoc modo tantùm ſit facta: fuit enim facta etiam per modum ſatisfactionis, necnon & per modum ſacrificij. In ſatisfactione autem (etiam meritoria) etiam attenditur valor rei oblatæ. Et ſaltem in ſacrificio videtur, hoc nō poſſe negari.

58 Addo cum noſtro Illuſtriſſimo Merinero *diſp.7. q. 5.* quòd quamvis daremus, redemptionē noſtram factā fuiſſe ſolùm per modum meriti, debebat attendi valor moralis operis. Quod intelligo de opere moraliter ſumpto. v. g. ex æquali affectu charitatis dat quis pauperi parvam quātitatem, & alter magnam; operatio iſtius eſt maioris valoris deſumpti à materia, in qua opus illud exercetur. Sic in præſenti, quamvis noſtra redemptio facta fuiſſet ſolùm per modum meriti; maius meritum eſſet in effuſione ſanguinis Chriſti Domini, quàm in ſudatione, lacrymatione, &c. ex parte materiæ, in qua virtus exercebatur: ſanguis enim habet infinitum valorem propter vnionem ad Verbum: (vt dixit Clemens ſextus *num. 48.* citatus, quem non habebant lacrymæ, aut ſudor; quia talem vnionem non habebant.

DVBIVM XIII.

59 Petes tertiodecimò, an ſanguis informetur anima? Reſpondetur negativè. Quia naturaliter repugnat, quòd eadem forma ſubſtantialis informet partes diſcontinuas. Sed ſanguis cum nulla ex partibus ſolidis continuatur: ergo anima rationalis, quæ informat partes ſolidas, non informat ſanguinem. Minorem expræſſe docet Philoſophus 2. *de Partibus animalium cap. 3.* dicens: *Non enim ſanguis continuus carni, neque cognatus eſt; ſed in corde, & venis, quaſi in vaſe, continetur.* Et ratio eſſe poteſt, quòd rupta vena ſanguis exhauri poteſt ſine moleſtia, & dolore. Secundò probatur ex eo, quòd in ſanguine nulla relucet operatio vitalis: cùm nec ſentiat, nec vegetetur: creſcit enim nō per intùs ſumptionem, ſed per iuxta appoſitionem.

60 Sed contra quòd 2. *de hiſtoria animalium cap. 19.* dicitur: *ſemper, quandiu vita ſervatur, ſanguis animatur, & fervet.* Reſpondetur, ſolùm velle Ariſtotelem, quòd continuò convertitur in ſubſtantiam aliti, & tūc

animatur. Non autem vult, quòd ante conversionem animatur.

¶ Contra secūdò, quòd sola sanguinis affusione animal emoritur: ergo signum est, quòd vivit, & animatur. Respond. negando consequētiam: ideò enim tunc emoritur; quia sanguis est vniversale instrumētum operationum vitaliū.

¶ Contra tertiò, quòd sola imaginatione sanguis movetur ad cor, & ad aliam differentiam loci: ergo animatur. Respondetur negando consequentiam: nō enim movetur à se, sed ab anima existente in partib⁹ solidis, quæ, medijs spiritibus vitalibus, movet sanguinē.

DVBIVM XIV.

61 PEtes quartodecimò, an aliquid sanguinis à Christo Domino effusi perseveret in terris? Resp. affirmativè. Cuius probatio ex dicendis constabit: est enim præmittēdum, quid de hoc dixerint Auctores.

62 Igitur D. Th. *3. p. q. 54. art. 7. ad 3. & quodl. 5*, negativè respondet ad præsens dubium. Quā sententiam esse communem affirmat Silvester *in Rosa aurea tractatu 3. q. 32*. Imò Cardinalis Turrecremata *in cap. Invitat de Consecrat. d. 2.* dicit esse errorem contra fidē: asserere oppositū. Tamen ipse Silvester ibi, Caietanus & multi Recenciores affirmant, satis probabiliter, & piē posse sustineri aliquid sanguinis Christi Domini mā-sisse in terris, & servari vsque modo; atque vt talem posse adorari; vt testatur eruditus Lorca *disp. 33 num. 37*. ¶ Vazquez verò *disp. 36 cap. 8. à num. 41. Lorca ibi num. 39. & Felix cap. 7. diff. 3.* (quibus ferè subscribit Castillo *disp. 7. q. 4. nu. 19.*) duo affirmāt. Primum est, nihil in hac re esse definitum. Secūdum est, aliquam partem veri sanguinis Christi Domini in terris remansisse, nec in resurrectione totum fuisse reassumptum. Est tamen dissidium inter hos Auctores. Lorca enim, & Castillo affirmare vidētur, illas guttas sanguinis, quæ ostenduntur in lancea clavis, &c. adhuc servare formā sanguinis. Vazq. autem & Felix (citās Montes.) dicūt, dictas guttas sanguinis in resurrectione nō reassūptas nō māsisse in forma sanguinis, sed tantum sub colore illius.

63 Dico primo: nihil est definitum circa hoc, an aliquid sanguinis effusi à Christo Domino manserit in terris post eius resurrectionem. Quia de tali definitione non constat. Imò Pius secundus in quadam Epistola missa ad Abbatem Sanctæ Mariæ Xantonensis diœcesis, sic fatur: *Veritati fidei nullatenus repugnat affirmare, Redemptorem nostrum de sanguine præfato* (id est, effuso in passione; vt constat ex anterioribus verbis) *ob ipsius passionis memoriam aliquam partem in terris reliquisse.*

64. Dices, quòd Pontifex ibi approbat quamdam reliquiam sanguinis Christi Domini in illa Eccle-

sia servatam, & veneratam : ergo sua approbatione definit mansisse illum sanguinem. Respondetur cum præcitatis recentioribus negando consequentiam : Pontifex enim solùm permittit cultum, & adorationem à populo exhibitã; eiusdemque populi opinionem. Eodem modo accipiendum est, quod Platina refert in vita Leonis Tertij, nempè ipsum approbasse cultum alterius sanguinis Mantuæ asservati. Hanc conclusionem defendunt præcitati Recentiores contra Ioannem Turrecrematã.

65 Dico secundò : aliquid veri sanguinis Christi Domini mansit in terris post resurrectionem. Quia instrumenta passionis ostenduntur sanguine intincta. Dicere autem, illum sanguinem esse alium, ac ille qui fluxit è corpore Redemptoris non habet fundamentum. Ita præcitati Recentiores.

66 Dices: ex Damasceno communiter recipitur illud Theologorum proloquium: *Quod verbũ semel assumpsit, numquam dimisit*: ergo nullum sanguinem reliquit in terris. Respondetur negando consequentiam: quia etsi aliquem dimiserit, aut reliquerit in terris; non tamen fuit dimissus ab vnione hypostatica : de qua tantum loquitur Damascenus. Immò Vazquez ibi *num* 43. notat, nusquam Damascenum expressisse præfatum proloquium : sed solùm dixisse 3. *de fide capite* 27. per mortem fuisse separatam animam, & corpus ; vtrumque tamen invicem separatum mansisse vnitum Verbo. Demum adde, quòd etsi illud proloquium accipiendum esset de dimissione sanguinis in terris; foret intelligendũ de quantitate necessaria ad consistentiam humanitatis assumptæ. Itaque non reliquit Verbum in terris quantitatem sanguinis necessariam ad consistentiam suæ humanitatis. Reliquit tamen aliquam parvam quantitatem ; qualis est, quæ apparet in passionis instrumentis.

67 Dico tertiò : guttulæ illæ sanguinis, quæ apparent in passionis instrumentis, retinent formam sanguinis. Quia supposito, quòd Christus D. voluit non reassumere illas, debemus dicere, hoc fecisse, vt ille sanguis esset testimonium suæ passionis; maior confirmatio fidei; & exercitatio devotionis fidelium. Sed ad omnia ista multùm conducit affirmare, quòd adhuc retinent illæ guttulæ formam sanguinis Christi Domini: ergo adhuc illam retinent.

68 Dico quarto: prædictus sanguis est vnitus Verbo. Quia sine fundamento videtur dici fuisse derelictum à Verbo, supposito, quòd in triduo totus sanguis fuit vnitus. Præterea hoc conducit ad maiorem confirmationem fidei: devotionem fidelium, &c. Hæc conclusio est contra prædictos Recentiores.

69 Dices cum Felix, sanguinẽ vnitum nunc tãtùm esse in cœlo, &

& in Eucharistia. Respondetur voluntariè hoc dici. ¶ Dices secùndò cum eodem, sanguinem separatum desinere esse partem humanitatis: ergo non manet vnitus. Respondetur negando consequentiam: sufficit enim, fuisse partem actualem humanitatis Christi Domini. Præterea eodem argumento probaretur, quòd in triduo Verbum non fuit vnitum cum sanguine, quem reassumpsit in resurrectione; imò neque cum corpore: etenim tam sanguis reassumptus, quàm corpus pro triduo desivere esse partes actuales humanitatis Christi D.

70 Dico quintò: non totus sanguis, qui in diversis Ecclesijs permittitur adorari, est verus sanguis effusus à Christo D. in sua passione; sed à quadam imagine Crucifixi, quam Iudæi percusserunt Berithi; quam sanguinis copiam servavit Episcopus; fuitque in magna populi veneratione; vt refert Athanasius *in sermone de passione imaginis Christi*. Et simile alibi cōtigisse testantur probatissimæ historiæ videndæ apud citatos Recentiores.

DVBIVM XV.

71 PEtes quintodecimò, (obiter) quid sit dicendum de præputio Redemptoris? Respondetur, quòd, si non fuit reassumptum, & conservatur in terris, cōseruat formam veræ carnis, & est vnitum Verbo. Quod probo à paritate sanguinis, qui apparet in instrumentis passionis Christi D. ex dictis pro tertia, & quarta conclusione *à num. 67*.

DVBIVM XVI.

72 PEtes decimo sextò, an Verbum hypostaticè assumpserit immediatè rorem, cambium, & glutem? (Tradunt medici, sanguinem non immediatè transire in carnem, ossa, & alias partes viventis; sed priùs transire in tres substantias enumeratas.) Respondetur affirmatiuè. Quia ex opposito sequeretur, Verbum reliquisse sanguinem, quando ex ipso fuerunt generatæ istæ substantiæ, & postea redijsse vnionem, aut aliam novam fuisse positam, quando generabantur caro, ossa, & aliæ partes. Ita Vazquez *disp. 36. cap. 7. num. 33. & Felix citans Montesinos*.

73 Sed Suarez *disp. 15. sect. 7. & Lorca disp. 33. num. 41.* oppositum defendunt: immo Lorca dicit, esse extra controuersiam, prædictas substantias non fuisse vnitas Verbo. Fundamentum illorum est, quòd existimant, has substantias præcedere ad generationem sanguinis. Falluntur tamen; quia medici testantur, ex sanguine generari. Quare quoad præsens attinet hæc regula mihi præfigitur. Cum cibo, & alimento, quo susten-

sustentabatur Christus Dominus, antequam converteretur in sanguinem, nulla facta fuit vnio hypostatica: benè tamen cum sanguine, & cum quacumque alia substantia, quæ generabatur ex sanguine; sivè ab ipso accidentaliter tantùm; sive substantialiter differat.

74 Vnde infero, chilo non fuisse hypstaticè vnitum. Quia generatur ex cibo ante sanguinem. Infero secundò, spiritus vitales, & animales fuisse hypostaticè vnitos. Quia ex purissimo sanguine generantur.

75 Saliva autem, & sudor non vniebantur hypostaticè. Quia potiùs excrementa naturæ, quàm partes illius computantur. Et ideò non ponuntur in corpore glorioso.

DVBIVM XVII.

76 PEtes decimoseptimò, an Verbum hypostaticè assumpserit reliquos alios humores? (hi sunt bilis, flegma, & melancholia) Respondetur affirmativè. Quia spectant ad veritatem, consistentiam, & perfectionem humanæ naturæ; quam Verbum integram, & perfectam assumpsit. ¶ Dices, quòd Aristoteles 4. *de Partibus animalium cap.* 1. vocat hos humores excrementa: ergo non fuerunt assumpti: Respondetur negando consequentiam. Aristoteles autem illos humores vocat excrementa, non quia sunt excrementa: Sed quia ex illis aliqua excrementa generantur: vt pituita, quæ est in ventriculo; & bilis, quæ est in felle; & atrabilis, quæ est in liene.

DVBIVM XVIII.

77 PEtes decimoóctavò, an Verbum hypostaticè assumpserit immediatè dentes, vngues, & capillos? Respondetur affirmativè. Quia spectant ad integritatem, & perfectionem naturæ assumptæ. Secundo, quia vivunt; cùm augeantur per intus sumptionem. Tertiò, quia non solùm serviunt ad ornatum, sed etiã habent specialia munera in corpore, seu requiruntur ad debitam aliarum partium conservationem. Patet in capillis, (de quibus maior est dubitatio) qui sunt in corpore, sicut folia in arbore ad conservationem fructuum. Et denique: quia futuri sunt in corpore glorioso. Ita fatentur omnes loquendo de dentibus. De vnguibus autem, & capillis nostram conclusionem detendunt Scotus *in* 3. *d.*16. *q.* 2. §. *Sed contra vers. Ad primum, Suar. Cabrera, Ragusa, & Becanus*, quos citat, & sequitur Felix *cap.* 7. *diff.* 3. Et quamvis G. Hurt. *disp.* 5. *diff.* 3. sequutus Vazquez *disp.* 36. *num* 34 oppositum affirmet, nihil tamen obijcit, quod ex dictis non solvatur.

***

DIFFICVLTAS III.

De spectantibus ad naturam possibiliter assumptam seu, quæ potuit assumi à divino Verbo.

DVBIVM I.

1 PEtes primò, vtrùm natura personata sit assumptibilis à Verbo? Respondetur negativè. Quia in omni dependentia essentiali dependens solùm potest dependere ab vno, quod totaliter satiet eius dependentiam. Sed dependentia, quam natura dicit ad personari, totaliter satiatur per personalitatem propriam: ergo, illa perseverante, natura nequit assumi in vnitatem personæ. Ita Scotus, Scotistæ, & alij citati *cap. 2. diff. 2. num. 8*. Recolantur dicta per totum illud dubium 2.

2 Vnde constat, efficaciter intulisse Patres, naturam humanam Christi D. caruisse propria personalitate, ex eo quòd fuit vnita Verbo divino in vnitatem personæ.

DVBIVM II.

3 PEtes secundò, an natura creata existens in duobus locis possit personari in vno personalitate propria, & in alio divina? Respondetur negativè. Quia in vno, & eodem loco non potest propter nuper dicta: ergo neque in diversis. Patet consequentia: quia personalitas convenit naturæ independenter à loco. Ita necessariò Philosophandum est in doctrina Scoti *nuper* allata: & expresse sic tenent Vazquez *disp. 33. num. 6. & G. Hurtad. disp. 4. diffic. 15*.

4 Sed Suarez *disp. 14. sect. 1. §. Sed nihilominus*, oppositum defendit; & obijcit diuersa exempla. Primum est animæ, quæ potest esse in vno loco vnita corpori; & in alio separata. Secundum est accidentis, quod potest esse in vno loco vnitum subiecto, & in alio extra subiectum. Tertium est lineæ, quæ potest esse in vno loco curva, & in alio recta: ergo à simili eadem natura poterit in vno loco esse personata personalitate propria, & in alio personalitate divina. Sed hæc parum vrgent. Ad primum enim respondetur, esse impossibile, quòd anima, si alicubi est vnita corpori, alicubi non sit vnita illi corpori; eo quòd vnio illa convenit ipsi independenter à loco. Idem dico ad secundum exemplum de accidenti. Ad tertium concedo cum Gasp. Hurtado citato, eamdem lineam posse simul in vno loco esse curvam, & in alio rectam: quia curvitas, & rectitudo conveniunt lineæ per respectum ad locum: sicut homini stare, & sedere.

DVBIVM III.

5 PEtes tertiò, an alia natura humana potuerit assumi à divino Verbo? Respondetur affirmativè. Quia non est maior ratio illius, quàm cuiuscumque alterius humanitatis. Ita Catholici contra Vvuleph.

DVBIVM IV.

6 PEtes quartò, an Verbum potuerit assumere naturã Angelicam? Respõdetur affirmativè. Quia personalitas Angelica realiter distinguitur à natura Angelica: sicut nostra personalitas à nostra natura: ergo non apparet, vnde ista assumptio repugnet.

7 Sed Albertus *in 3. d. 2. art. 2. ad* 2. oppositum defendit; & obijcit: personalitas Angeli est incorruptibilis: ergo natura Angelica est inassumptibilis. Respondetur negando consequentiam: solùm enim sequitur, non desinere per corruptionem, aut actionem alicuius causæ creatæ: quia sicut habet esse per creationem, debet desinere per annihilationem. Ex hoc autem non probatur, Deũ non potuisse personare naturam Angelicam; aut annihilando eius personalitatem, postquàm pullulavit; aut impediendo in primo instanti personalitatis pullulationem.

DVBIVM V.

8 PEtes quintò, cur Deus potiùs assumpsit naturam humanam, quàm Angelicam? Resp. rationem à priori fuisse inscrutabilia Dei iudicia, atque illius beneplacitum. Congruentias autem aliquot assignant Patres, & Doctores. Quibus omnibus non est fidendum in principijs Scoti, præsertim illi, quam adducunt non pauci Scotistæ in manuscriptis; necnon, & Castillo *disp. 7. quæst. 1. num. 5. & Felix cap. 7. diff.* 1. nempè ideo potiùs naturam humanam, quàm Angelicam assumpsisse Verbum, vt dæmon in natura, quam vicerat, vinceretur, seu vt satisfaceret eademmet natura, quæ offenderat. Tamen huic congruentiæ, non est innitendum: quamvis enim optima sit in sententia Thomistarum, quæ affirmat, decretam fuisse Incarnationem post prævisionem peccati: non tamen in sententia Scoti; quæ oppositum statuit.

9 Igitur sufficiat nobis pro congruentia, quòd per Incarnationem voluit Deus non solum ostendere suam bonitatem se substantialiter communicando creaturæ; sed etiam voluit quodãmodò omnem creaturam nobilitare, & se omnibus illis communicare. Ad quod aptius, imò necessarium fuit ex suppositione talis finis, quòd assumeret naturam humanam, & non Angelicam. Quia omnis

omnis creaturæ aliquid habet homo: habet namque commune esse cum lapidibus; viuere cum arboribus; sentire cum animalibus; intelligere cum Angelis: inquit D. Greg *hom. 29. in Evangelia.*

DVBIVM VI.

10 PEtes sextò, an Verbum potuerit assumere naturam irrationalem completam? Respondetur affirmativè. Quia in hoc non apparet repugnantia: Præterea sicut personalitas realiter distinguitur à natura creata completa substantiali, & individua: ita subsistentia à natura irrationali: ergo sicut loco subsistentiæ, seu personalitatis naturæ humanæ substituta fuit Verbi subsistentia, seu personalitas: (in quo consistit assumptio ista) ita in præsenti potuit assumi natura irrationalis substituendo Deus personalitatem divinam (quæ indistincta est à subsistentia personali: vt satis colligitur ex dictis *cap. 1. diff. 7. n. 9. & 10.*) loco subsistentiæ illius naturæ irrationalis. Ita Scotus *in 3. d. 2. q. 1. §. Ad secundum, D. Th.* & communiter Recentiores ad hoc propositum citantes aliquos Patres.

11 Sed Alex. *3. p. q. 2. memb. 2 D. Bonau. in 3. d 1. art. 1. q. 1. Henr. Cartus. & Mirandulanus* communiter citati oppositum defendũt; & objiciunt, quòd ex *4. Meteororũ & ex Dam. 3. de fide c. 18.* esse est propter operari: sed natura irrationalis nequit habere visionem, & fruitionem erga Deum: ergo nequit assumi. Respondetur, solùm sequi, non posse elevari ad tales operationes.

12 Objiciunt secundò: cui repugnat minus repugnat maius: sed illi naturæ repugnat videre Deũ: (quod est minus, quàm ei hypostaticè vniri) ergo, & ab eo personari. Respondetur maiorem solùm esse veram de rebus habentibus subordinationem; non autem de alijs: vt constat multiplici instantia. Sufficiat exemplum hominis; qui potest generare hominem, nõ autem Leonem, aut formicam. Poterat insuper negari suppositum illud, quòd vnio hypostatica est maior. Pro quo recolantur dicta *cap. 1. diff. 6. à num. 6.*

13 Objiciunt tertiò: vnio hypostatica est forma sanctificans: sed natura irrationalis est incapax sanctificationis: ergo & vnionis. Respondetur (omissa maiori falsa in sententia Scoti) concedendo minorem de sanctificatione in ordine ad beatitudinem; & negando de sanctificatione in ordine ad religiosum cultum, honorem, reverentiam, & adorationem. Fuit enim corpus Christi D. in triduo (sicut lapis vnitus) dignũm cultu, & adoratione latria propter vnionem ad Verbum; quamvis tũc erat natura irrationalis.

14 Objiciunt quartò; quòd esset indecens Deo talis vnio: vocaretur enim lupa, lapis, &c. Respondetur solùm esse indecentiam negativam; (Id est, non decentiam) non

non autem positivam, scilicet imperfectionem. Et ratio est, quòd illæ denominationes solùm sunt extrinsecæ, & per communicationem idiom.tum: & consequenter nullam imperfectionē ponūt, aut arguunt in Deo. Sicut non est imperfectio, quòd per communicationem idiomatum Deus dicatur flagellatus, mortuus, &c.

DVBIVM VII.

15 PEtes septimò, an partes naturæ humanæ, quādo sunt in toto, possint assumi, nō simul cū toto, sed distincta assumptione, qua assumitur totū? (Supponit hæc dubitatio, de facto eadē assumptione assumptam fuisse totam humanitatem, & eius partes tam essentiales; vt sunt corpus, & anima, seu materia, & forma; quàm integrales, vt sunt caput, manus, &c.) Respondetur affirmativè. Quia subsistentia primò, & per se afficit totum, & secundariò partes: ergo vt subsistentia totius afficiat partes, postquam iam affecit totum, eget quadam extensione: (sicut anima rationalis eget diversis extēsionibus ad informādū novas partes: etenim per informationē, qua informat caput v.[illegible] orma t cor, &c.) Sed hāc extensionem potest Deus impedire, & loco subsistētiæ toti propriā subsistētiā subrogare: (Sicut, si semel impediret, quòd anima rationalis se extenderet ad informandū brachium v. g. posset facere, quòd brachium noua forma informaretur.) ergo factibile est, quòd Verbum assumat omnes partes existentes in toto, aut aliquā illarum, ipso toto non assumpto, aut per distinctam assumptionem, qua assumitur totum.

16 Dices, hanc probationem supponere, totum esse quid realiter distinctum à partibus: si enim nihil aliud esset, quàm partes vnitę, issis omnibus assumptis, assumptū maneret totū; & assumpto toto, nō esset necessaria prædicta extensio subsistētiæ ad partes. Resp. ita esse: supponimus enim ex Physica cum Scoto, & multis aliis totum realiter distingui ab omnibus suis partibus simul sumptis, & vnitis.

17 Sed *Vazq. Lorca, Cabrera, & Ragusā.* quos citat G. Hurtado, Item *Castilio disp.7.q.1.à num.21, & Felix cap 7. diff.1.* oppositum defendunt; & obijciunt, quòd partes in toto non habent proprias subsistētias, imò repugnat, illas habere: ergo tunc nequeunt assumi. Patet consequentia: quia cui repugnat subsistētia propria, magis repugnabit aliena, quæ loco propriæ esset subroganda. Resp. negādo consequentiā. Ad probationē dico, quòd partes existentes in toto sunt capaces subsistētiæ alienæ; siue sit totius, siue personæ extraneæ. Quare si in illo signo naturæ, quo illis est communicanda subsistentia totius, illa impediatur per præventionē alterius subsistentiæ, per illā subsistent: sicut subsistunt per subsistentiam totius, quando non impediuntur extēsiones prædictæ subsistentiæ.

DV-

DVBIVM VIII.

18 Petes octavò, an partes separatæ possint assumi? Respondetur affirmativè. Quia in triduo desivit vnio totius, & successerunt novæ vniones ad corpus, & ad animam: ergo saltèm partes essentiales sunt assumptibiles. Itẽ partes integrantes (caput v.g. manus, &c.) separatæ desinunt esse partes, & transeunt ad esse tota: ac per consequens habent proprias subsistentias; quarum loco potest subrogari subsistentia divina. Ita communiter.

DVBIVM IX.

19 Petes nonò, an possit assumi materia prima separata ab omni forma? Et aliæ formæ substantiales (Leonis v.g.) separatæ à materia? Respondetur affirmativè. Quia quamvis istæ non habeant proprias subsistẽtias, sunt tamen capaces subsistendi subsistentia totius: ergo potest Verbũ subrogare illis propriam suã subsistentiam loco subsistentiæ totius; ad quam illæ partes habent capacitatem, & inclinationem. Confirmatur exemplo animæ, & corporis, quæ in triduo fuerunt immediatè vnita.

20 Sed *Vazq. & Lorca, quos sequitur G. Hurtado disp.* 4. *diff.* 18. oppositum defendũt; & objiciũt, quòd materia prima separata non habet partialem subsistentiam, (Idem est de quacumque forma materiali) loco cuius possit substitui subsistentia Verbi: ergo nequeunt assumi. Respondetur negando consequentiam: sufficit enim, quòd sint capaces subsistentiæ totius: alioquin neque anima, neque corpus potuissent immediatè assumi in triduo.

DVBIVM X.

21 Petes decimò, an accidens immediatè, & secundùm se possit assumi à Deo? Respondetur affirmativè. Quia in hoc non apparet repugnantia. Ita Castillo *disp.* 7. *q.* 1. *num.* 11. *& Felix cap.* 7. *diff.* 1. *qui citat Almainum, Marsilium, Medinam, Valentiam, Alvarez, Pitygianum, & Fabrum.*

22 Sed *Basilis, Ragusa. & Becanus, quos citat, & sequitur G. Hurt. Item Suarez, Vazquez, & Lorca citati à Felix ibi* oppositum defendunt, quibus subscribunt aliqui Scotistæ in manuscriptis: & objiciunt, nihil esse in accidenti, quod Verbum dicatur posse supplere, vt sic dicatur assumi. Quia non subsistentiam: cuius est incapax accidens. Non existentiam: quia ista est inseparabilis ab illo: à quo solùm formaliter distinguitur. Non inhærentiam: quia hæc dicit imperfectionem repugnantem Verbo. Respondetur, Verbum supplere sustentationem accidentis sine inhæsione.

23 Pro quo nota cum Scoto in 3. *d.* 1. *quæst.* 1. §. *De primo vers.* Et

Et Licet, quòd accidens ad subiectum dicit duplicem respectum. Primus est sustentificati ad sustentificans: qui respectus non dicit imperfectionem in sustentificante. Alter est inhærentis ad id, cui inhæret. Et hic dicit imperfectionẽ in subiecto. Igitur Verbũ supplet primum respectum, non secundũ. Et tunc Verbum denominaretur habens albedinem. Sicut in triduo denominabatur habens animam; habens corpus; habens sanguinem &c.

24 Dices, quòd hi duo respectus identificantur in accidente: Et ideò non poterit dari in rerum natura vnus sine alio. Probatur assumptum: sunt enim superior, & inferior: sicut etiam animal contrahitur per rationale; sic sustentari contrahitur accidenti per tale sustentari, scilicet inhærentiæ; Modò sic. Sustentare per inhærentiam repugnat Deo: ergo & sustentare accidens quocumque modo. Respond. quod prædicti respectus aptitudinaliter sumpti identificantur: & consequenter sic nequit vnus esse sine alio: secùs autem, si actualiter accipiantur. Quod patet in homine; in quo identificantur, & sunt inseparabiles sentire, & ratiocinari aptitudinaliter sumpta; secùs autem, si actualiter accipiantur. Patet etiam in intellectione, volitione, &c. quæ si ponerentur in lapide v. g. præstarent effectum superioris, (scilicet qualificarent) nõ præstito effectu inferioris propter incapacitatem subiecti. Sic ergo accidens sumptum à Verbo præstaret effectum superioris, (scilicet sustentationis) non autem daret effectum inferioris propter incapacitatem subiecti.

CAPVT IIII.

De Christo D. qui resultat ex persona assumente, & natura assumpta.

EXplicatis extremis vnionis hypostaticæ, de toto resultãte ex his extremis succedit disputatio. De Christo autem D. qui est totum ex his extremis resultans, manent multa explicata, præsertim *cap. 1. d. ff. 7. à n.* 1. Restant verò nonnulla alia de ipso in præsenti discutienda.

DIFFICVLTAS I.

De spectantibus ad existentiam Christi Domini.

DVBIVM I.

1 PEres primò, an in Christo D. sint plures existentiæ? Respondetur affirmativè. Quia existentia est forma, per quam res habet esse actuale: sed humanitas

Christi D. est res actualis realiter distincta à natura, & personalitate divina: ergo habet existentiam distinctam realiter ab existentia, & entitate Verbi. Secundo probatur: quia essentia, & existentia creata non distinguuntur realiter: ergo humanitas Christi D. habet propriam existentiam distinctam ab existentia Verbi. Antecedens docent non solùm Scotus, & Scotistæ passim, sed etiam multi alij, præcipuè Suarez *disp. 36. sect. 1. & Vazquez disp. 72. cap. 2.* qui citant multos alios, quos sequitur G. Hurtado *disp. 12. diff. 2.* Itaque in Christo D. sunt duæ existentiæ; alia divina, qua divinitas existit; & alia humana, qua existit humanitas. Sic Scotus *in 3. d. 6. quæst. 1 § Concedo conclusiones, Vazq Suar. Lorca & alij, quos citant, & sequuntur Castillo disp. 10. quæst. 1. à num. 3. & Felix cap. 10. diff. 1.*

2 Sed *Caiet. Cabrera, Medina, & communiter Thomistæ ad quæst. 17. art. 2.* dicunt in Christo D. vnam tantùm esse existentiam, scilicet increatam, qua existit non solùm natura divina, sed etiam humana. Et obijciunt Sophronium *in Epistola habita in sexta synodo act. 11. & approbata act. 13.* dicentem: *In illo,* (scilicet in Verbo) *non in semetipsa habuit existentiam vnam cum Verbo.* Respondetur, solùm velle humanitatem semper extitisse vnitam cum Verbo: quia non præcessit tempore existens in se, id est, sine vnione cum Verbo. Item obijciunt Damasc. *lib. 3. de fide cap. 21.* dicentem; *natura humana existit per existentiam Verbi.* Respondetur cum Lorca, talia verba non inveniri apud Damascenum. Resp. secundo, ibi sumere existentiam pro subsistentia.

3 Obijciunt secúdo, quòd existere est proprium suppositi, non verò naturæ. Sed in Christo D. est vnicum suppositum: ergo est vnica existentia. Maior probatur: nã operari, pati, & terminare productionẽ secũdum Philosophos est proprium suppositorum. Secúdo, quia aliàs Verbum, sicut humanitate est homo; ita etiam existentia creata esset existens. Respondetur negando maiorem. Ad primam probationem dico, operari, &c. esse suppositorum denominativè tantùm; naturæ verò elicitivè.

4 Ad secundam probationem dico cum Hurtado ibi, concedendum quidem esse, Verbum humanitate esse hominem; negandum tamen est, quòd existat existentia humanitatis. Et ratio differentiæ est, quòd, vt Verbum fiat, & sit homo, sufficit, quòd supponat naturam humanam, quamvis sibi extrinsecam. Tamen, vt fiat, aut sit existens existentia humanitatis, erat necessarium, vt esset extra nihil per talem existentiam, (quod contingere non posse, est per se manifestum) sicut quamvis paries sit albus ab albedine; non tamen est existens ab existẽtia albedinis. Denominatio enim existentis non solùm est intrinseca, sed etiam sumitur ab aliquo realiter identificato cum

cum re denominata. Quod non requirit denominatio hominis respectu Verbi; neque denominatio albi respectu subiecti.

5 Respondetur secundò, nullum esse incommodum concedere, quod Verbum per communicationem idiomatum existat existentia humanitatis. Sicut enim ei attribuimus alia prædicata sibi omnino repugnantia ab intrinseco; (nempè esse mortuum, flagellatũ, &c.) & quæ sunt propria humanitatis; possumus per communicationem idiomatum existentiam humanitatis Verbo attribuere.

6 Obijciunt tertiò: humanitas existit existentia propria? Ergo vnio humanitatis ad Verbum est accidentalis: quia est vnio Verbi ad ens completum. Resp. negãdo consequentiam de accidẽtalitate prædicamentali; (ad quod requiritur, vt prædicatum in sua entitate sit accidens prædicamentale) & cocedendo de accidentalitate prędicabili. Ad quod solũ requiritur, quod prædicatũ sit extra essentiã subiecti, quamvis aliàs sit substantiale. Vt patet in hac propositione, *vasest aureum*, & in similibus: quas esse quinti prædicabilis, fatentur omnes. Legatur Scotus *in 3. d. 6. q. 1. § Ad argumenta Vers. Ad confirmationẽ*. Item recolantur dicta, *c. 1. diff. 5. à num. 48.*

7 Obijciunt quartò: humanitas non existit existentia Verbi? Ergo Virgo non est mater Dei: quia sua actione non attigit existentiã Dei, sed solius humanitatis. Respond. negando consequentiam: ad probationem dico, esse propriam matrem Dei: quia administrauit materiam, & activè concurrit ad educendum ex illa formam corporeitatis humanitatis, cum qua vnitũ est substantialiter Verbum divinũ. Recolantur dicta *cap. 1 diff. 1. à n. 5. & cap. 3. diff. 2. à num. 35.*

8 Obijciunt quintò: in Christo D. est duplex existentia? Ergo & duplex esse. Respondetur concedendo consequentiam de esse naturæ, & negando de esse personæ. Nota tamen, quod esse absolutè prolatum supponit pro esse completo, & personali: & ideò quamvis homo componatur ex esse spirituali, & ex esse materiali, absolutè, & simpliciter dicitur vnum ens. Quare Christus D. non est absolutè vocandus duo, seu nõ est absolutè dicendum, quòd habet duplex esse; sed cum hoc, vel simili addito *esse naturæ*, vel *in natura*.

DVBIVM II.

9 PEtes secundò, an Christus D. dicendus sit duo propter dualitatem naturæ? An vnus propter vnitatem suppositi? Respondetur, absolutè, & simpliciter appellandum esse vnum, quamvis in eo sint duæ naturæ. Quia quamvis in eo multiplicentur formæ, seu naturæ, non tamen multiplicatur suppositum. Est enim generalis illa Scoti doctrina: *concretum non numeratur absque numeratione*

ratione suppositi. Recolantur dicta cap. 2. diff. 2. à num. 28. vnde multa sunt mutuanda: in præsenti enim ferè idem est dicendum, ac diximus ad illam difficultatem; an, si Verbum simul assumeret plures humanitates, diceretur vnus homo propter vnitatem personæ? An plures propter pluralitatem naturarum? Quare etiam est notandum, quòd quomodocumque aptè significetur id, quod est à parte rei, possumus vti nomine *duo*. Et ideo possumus dicere; *Christus D. est habens duas naturas*; *seu constat duabus naturis*; aut *duæ naturæ sunt in Christo D.* vel *Christus D duo est quoad naturas*. Et ratio est, quòd *ab eo quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa*.

DIFFICVLTAS II.

De spectantibus ad voluntates Christi Domini.

DVBIVM I.

1 PEtes primò, an in Christo D. fuerint duæ voluntates? Respondetur, quòd conclusio affirmativa est definita *in 6. Synodo act. 4.* vbi ex Agathone habentur hæc verba: *Et vnamquamque naturam proprietatem naturalem habere, confitemur: & habere divinam omnia, quæ divina sunt, & humanam omnia, quæ humana sunt, absque vllo peccato.* Idem statuitur *act. 11.* & in alijs concilijs videndis apud Recentiores. Et ratio est, quòd Christus D. est verus, & perfectus homo simul & Deus: ergo debet habere voluntatem divinā; eo quod est Deus; necnon, & voluntatem humanā; eo quòd est homo: Hæc definitio facta fuit contra Monotelitas: (quorum errorem retuli in proœmio *num. 21.*) qui quamvis in Christo D. fatebantur duas naturas; negabant tamen, quòd eius natura humana haberet voluntatem humanam.

2 Nota tamen cum Lorca *disput. 69. n. 6. & cum alijs*, hos hæreticos nomine voluntatis intelligere, non potentiam ipsam, sed actum. Si enim intelligerent potētiam, inciderent in errorē Apollinaris, qui dixit, in Christo D. non fuisse mentem humanā, intelligēdo nomine mentis potentias rationales. Quē errorem hi hæretici expressè detestati sunt ibi *act. 8.*

DVBIVM II.

3 PEtes secundò, an dicti hæretici negaverint non tantùm actum elicitū voluntatis, sed etiā imperatos? Resp. solùm negasse actum voluntatis humanæ movētem, & regentem cæteras actiones: Quia sic constat ex confessione Macharij, qui fuit auctor huius hæresis, & *in 6. Synodo act. 8.* sic fuit confessus: *Si autem passio de eo dicatur per humanitatem, quæ per omnia passionis est capax, hæc operatus est: operatur enim verè divinitas per corpus, quæ circa eam est, omnium salutem; vt corporis quidem sint*

sint passiones; Dei vero operatio. Ita *Lorca citatus, & alij.*

4 Notant autem *Lorca ibi, & Castillo ex D. Thom. q. 19. art. 1. in corpore*, quòd Monotelitæ vocabant operationem solum illum actum, qui imperat, & movet: actus autem cæterarum potentiarum, quæ moventur, & reguntur à voluntate, non vocabant operationes, sed opus, vel operatũ, vel passiones.

DVBIVM III.

5 PEtes tertiò, an Monotelitæ negaverint etiam actum intellectus humani? Respondetur affirmativè. Quia sic constat *ex 6. Synodo.* Secundò, quia negando operationem voluntatis humanæ, superfluè poneretur actus intellectus saltem practici. Ita *Lorca ibi n. 8. & Castillo disp. 10. q. 3 num. 9.*

6 Sed prædicto errore Monotelitarum solet objici duplex testimonium Honorij Papæ primi, qui *in duabus Epistolis, quæ lectæ sunt in 6. Synodo act. 13. & 18.* duo definiuit opposita Catholicæ doctrinæ. Primum est, *in Christo non esse concedendum, nisi vnam voluntatem.* Secundum est, *neque vnam, neque duas operationes debere concedi.* Resp. propter duas illas epistolas Honorium fuisse damnatũ, & reputatum inter Monotelitas *à 6. Synodo act. 13, & in Epistola Leonis secundi.*

7 Sed maximè controuertitur in tractatu de Potestate Papæ, an iure sit damnatus Honorius? Resp. cum Lorca *disp. 69.* immeritò fuisse damnatũ. Quia in illis Epistolis non erravit: alias errasset, vt Papa: quod fides nõ admittit: sunt enim illæ Epistolæ decretales, & nullo modo differunt ab aliorum Pontificum decretalibus: etenim sunt datæ, vt respõderet ad hanc quæstionẽ fidei, & vt sedaret tumultus ortos in Ecclesia propter dictam hæresim.

8 Hinc dico, in illis epistolis nihil contineri contra fidem; in prima enim loquitur de volũtate humana; quã dicit esse vnam cum divina, quia illi fuit semper vniformis, & consentiens, & numquã efficaciter contraria. In secunda autem solùm respicit modum loquendi, & prohibet vsum harum vocum ad sedandum cõtẽtionẽ, & quia hæretici obscurè, & impropriè vtebantur voce *operationis.* Quando autem hæretici asseruerunt, vnam tantùm operationem voluntatis esse in Christo D. tunc Ecclesia eos damnavit.

9 Quantu autẽ attinet ad damnationẽ Honorij factam *à 6. Synodo, & à Leone II.* duo dicit Lorca ibi *n. 17.* Primum est, corruptos esse codices, & ab hæreticis insertã fuisse talem damnationẽ. Nec mirum: fuit enim familiare Græcis corrumpere codices sanctorum, & Conciliorum. Secundo dicit, in hoc errasse Synodum, & Pontificem. Nec mirum: quia non erat causa fidei, sed facti; & iudicium de particulari persona.

10 Solet etiam obijci pro errore Monotelitarum, quod ponẽdo in Christo D. voluntatem humanam distinctam à divina, fateri cogerentur fuisse in eo contrarietatem voluntatum. Et demum, quòd Dionysius concedit in Christo D. vnam tantùm operationem Dei, & hominis, seu Theandricã. Pro solutione tamen harum duarum obiectionum duo incidentia dubia examinant Auctores in præsenti.

DVBIVM IV.

11 PEtes tertiò, quid sit operatio Theandrica Christi D. Resp. esse operationem Dei, & hominis: vt ex iam dicendis cõstabit.

12 Pro quo nota, quòd D. Dionysius *Epistola ad Caium*, sic loquitur. *Cæterum non solùm Deum divina faciens, neque solùm hominem humana; sed, Deo homine facto, nova quadã Dei, & hominis operatione nobiscum conversatus est.* In Græco autem loco *Dei, & hominis* ponitur *Theandrica*. Monotelitæ autem ex his Dionysij verbis colligebant, secundũ Dionysiũ in Christo D. non fuisse operationem humanam. Tamen hunc sensum vocis *Theandricæ* (non autem vsum vocis) reprobãt 6. *Synodus, & Concil. Lateran. sub Mart. 1. consult. 5. can. 15.*

13 Est etiam alia hæretica huius vocis explicatio, quam reijcit D. Th. 3. *contra gẽt. c. 14.* nempe operationem Christi D. dici *Theandricã*, seu Dei, & hominis: quia erat composita ex diuina, & humana; non secus ac dicebat Eutiches, naturam Christi D. esse compositam ex diuina, & humana confusis, & permixtis. (de quo errore recolãtur dicta *c. 1. diff. 7. à n. 1.*) Quare *in 6. Synodo act. 17. in confessione fidei* dicitur, esse duas operationes in Christo D. incõfusas, (quia quę libet manet in sua proprietate) & *inseparabiliter*; quia vniuntur in eodem supposito.

14 Ex quibus concilij verbis concludimus, omnia, & singula opera Christi D. dici *Theandrica*, seu Dei virilis propter vnionẽ divinæ, & humanæ naturæ in eodem met supposito. Itaque quamvis in Christo D. opera divinæ naturæ distincta, & impermixta sint ab operibus naturæ humanæ; & è contra opera naturæ humanæ sint inconfusa, distincta, & impermixta cum operibus naturæ divinæ: tamen, cùm quodcumq; opus Christi D. verè, & in toto rigore sit opus suppositi sustentantis vtramque naturãm, tale opus verè dicitur *Theandricum*, seu Dei, & hominis; quamvis nõ elicitivè, denominativè saltèm. Quod non solùm ex verbis Dionysij constat; sed etiam confirmatur ex Damasc. 3. *de fide c. 19.* dicente: *Hoc enim ostendit Dei virilis operatio, quòd sit operatio Dei viri facti, & humanati.* Vnde reijciuntur lli, qui solùm opera miraculosa Christi D. vocant *Theandrica*.

DVBIVM V.

15 PEtes quartò, an in Christo D. fuerit contrarietas voluntatum

tum? Respond. negativè. Quia voluntas divina est rectissima in quocumque eventu; si ergo illi esset contraria voluntas humana Christi D. hæc esset devia, & peccaminosa. Et ideo *in 6. Synodo act. 17. & in Concil. Lateran. sub Mart. 1. consult. 5. can. 16.* de fide statuitur, nullam contrarietatem fuisse inter voluntates divinam, & humanam Christi D. sed maximam cõformitatem: vt notat eruditus Lorca *disp. 70. num. 5.*

16 Monotelitæ autem existimabant, illos, qui admittebant in Christo D. duas voluntates, cogi affirmare, fuisse in eo contrarietatem voluntatum. Et adducebant aliqua Scripturę testimonia, in quibus videtur, humanam voluntatẽ Christi D. poni cõtrariam divinæ. Id generis sunt illud *Matth. 26. Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu: & Lucæ 22. Verumtamen nõ mea, sed tua voluntas fiat: atq. Matth. ibidem, tristis est anima mea vsque ad mortem:* quod de voluntate divina verificari non potest.

17 Diversi PP. diversimodè explicant prædicta testimonia, ne videantur admittere contrarietatẽ voluntatum. Quare dicunt, ipsum non fuisse contristatũ de morte, sed de scandalo discipulorum; (vt vult Hilari⁹ *can. 31. in Matth.*) vel de dilatione temporis passionis, seu quia non citò transibat; (vt vult Dionysius Alexand.) vel de destructione Hierusalem: vt volunt Hilarius, & Ambrosius. Tamen contra prædictas expositiones cõmunissima sententia affirmat, Christum D. verè fuisse tristatum de morte sua, eamque aliquo affectu refugisse. Ita non solũ Scholastici *in 3. d. 15. vbi Scot. & Scotistæ, & Thomistæ cum D. Th. 3. p. q. 21. art. 4. ad 1.* Sed etiam Ambros. Chrysostomus, & multi alij citati, præcipuè à Lorca *disp. 70. n. 5.*

18 Igitur firmiter statuto, quòd humana voluntas Christi D. tristabatur de morte, & quòd aliquo affectu illam refugiebat. Item statuto, quòd divina voluntas, volebat, Christum D. subire mortẽ; vrget difficultas in componendo dictas voluntas sine aliqua cõtrarietate. Omissis ergo varijs expositionib⁹

19 Dico primò: ideo voluntas humana fuit cõformis cum divina; quia vtraq; voluit idem sub eodem motivo. Voluit enim Christus D. tristari, vt ostenderetur infirmitas naturæ humanæ. Quod etiam voluit Deus. Item Christus D. voluit, & acceptabit mortem ex perfecto, & deliberato imperio partis superioris: quã acceptationẽ fieri à Christo D. etiam voluit Deus. Et sic fuerunt conformes divina, & humana volũtas Christi D. tàm in volito materiali, quàm in formali. Ita *Damasc. 3. de Fide c. 19. D. Bonav. Ricard. &c. apud Fel. c. 10. diff. 4.*

20 Dico secundò: ideo humana voluntas, qua Christus D. nolebat mori, nõ fuit cõtraria volũtati divinæ, qua Deus voluit, Christũ D. mori; quia nolitio illa, seu displicẽtia mortis fuit ex distincto motivo

ab eo, ex quo fuit voluntas divina. Voluntati humanæ displicebat mors, quatenus contraria naturæ; Deus autem ipsam voluit, quatenus vtilem redemptioni generis humani. Addit benè G. Hurtado *disp.13.diff.2.* quòd sicut voluntati humanæ displicuit mors, quatenus contraria suæ humanitati; ita etiã Deo. Et sicut voluntas divina voluit mortem Christi D. vt vtilem redemptioni; ita etiam illam voluit humana voluntas Christi D. Quare vtraque voluntas fuit conformis in obiecto, seu volito formali, & materiali.

21 Dico tertiò: etiam potest salvari non contrarietas voluntatis divinæ; & humanæ Christi D. per hoc, quòd affectus humanæ erat simplex, & inefficax, seu efficax conditionatè, & non respiciẽs absolutè ad exequutionẽm; affectus autem voluntatis divinæ erat absolutè efficax; & executionem intendens. Vnde fit, vt adhuc in volito materiali illorum actuum nõ erat diversitas: quia efficax respicit in obiecto executionẽ, & plures alias circumstantias, quas non respicit inefficax: & consequenter nequit esse contrarietas in prædictis actibus: cùm sint disparati. Hoc modo in homine sæpe sunt actus, qui quamvis videantur contrarij, contrarij non sunt. Vt quando in naufragio quis tristatur de amissione mercium, & eas vult inefficaciter conservare, & etiam vult, eas efficaciter proijcere in mare. Immo & in Deo idem reperitur. Voluntate enim antecedenti (sic vocant illam, quæ est inefficax, simplex affectus, seu efficax conditionatẽ) vult, omnes homines salvos fieri, quatenus bonum illorum est: & tamẽ voluntate cõsequenti (sic vocant illam, quæ est absolutè efficax) hoc idem non vult propter bonum iustitiæ, & alias causas. Ita salvant hanc contrarietatem voluntatum Christi D. Scotus *in 3.d.15.§. Vltimò videndum à Vers. Hoc concedo. D. Thom. ibi art.6. Gabriel; & multi alij citati à prædicto Lorca disp.70. n.7.*

22 Sed est communis obiectio contra hanc tertiam conclusionẽ, quod Agatho Papa *in Epistola synodica relata in 6. Synodo act.4.* & ipsamet 6. synodus *act.10.* colligunt, in Christo Domino esse voluntatem humanam distinctam à divina ex voluntate recusandi mortem: ergo prædicta voluntas recusandi mortem fuit absolutè efficax. Patet cõsequẽtia: Deus enim potuit velle inefficaciter, seu efficaciter conditionatè, & de facto voluit, quòd Christus D. non moreretur, quatenus mors erat contraria suæ humanitati: (vt dixi *n.* 20.) ac per cõsequens ex prædicta voluntate inefficaci non potuit colligi, fuisse in Christo D. voluntatem creatam distinctam à divina. Respondetur, Pontificem non intulisse cõclusionem ex voluntate recusandi mortem præcisè; sed ex eo quòd Christus Dominus dixit

dixit ad Patrem; *non mea voluntas, sed tua fiat*. Vnde optime intulit, aliquam voluntatem esse in Christo Domino, quæ non erat diuina. Insuper 6. Synodus non intulit voluntatem humanam Christi Domini ex voluntate recusandi mortem præcisè; sed ex eo quòd illa recusatio fuit per modum orationis: quòd voluntati diuinæ cōpetere non potest.

23. Hæc solutio est sufficiens. Et ideo benè notant *Lorca disp. 70. num. 8. & Castillo disp. 10. in fine* non esse audiendos, qui affirmant, argumentum Pontificis, & synodi esse inefficax. Etenim solùm potest negari efficacitas argumentorum Pontificum, & conciliorum, quando alia sufficiens solutio non suppetit.

CAPVT V.

De communicatione idiomatum.

Vidimus iam, naturas diuinā, & humanam communicare eandem Verbi diuini personalitatem; seu personalitatem filij (quæ identificata est cùm natura diuina) per Incarnationē factam fuisse communem etiam naturæ humanæ. Pulsat autem inuestigare, quæ communicatio erit inter ipsas naturas, atque inter ipsarum proprietates?

DIFFICVLTAS VNICA

De spectantibus ad communicationē idiomatum.

DVBIVM I.

1. PEtes primò, quid sit cōmunicatio idiomatū? Respondetur esse rationem, propter quam prædicata naturarum habentium idem subiectum, aut personam mutuò dicuntur in concreto inter se se. Itaque quando duæ naturæ accidentales habent idem subiectum; aut quando duæ naturæ substantiales habent idem suppositum, propter communicationem, seu quia illæ naturæ communicant idem subiectum, aut suppositum, prædicata vnius naturæ mutuò dicuntur de alia in concreto. Quare in lacte v.g. hæ propositiones sunt veræ: *hoc album est dulce; hoc dulce est album; hoc dulce disgregat vissum; hoc album sapit, delectat*, &c. Et in Christo Domino hæ sunt veræ: *homo est filius Dei; homo est æternus: filius Dei est mortuus, & flagellatus, crucifixus, &c.* Fundatur autem hæc prædicatorum commnicatio in communi illo proloquio: *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.*

2. Nota, quòd veritas per cōmu-

municationem prædicatorum, seu idiomatum) vt Theologi vocant) non est formalis, sed identica. Quia fundatur in identitate subiecti, suppositi, aut personæ. Et ideò hæc propositio v. g. *in lacte album est dulce* reddit hunc sensum; *subiectum albedinis est subiectum dulcedinis*: & ista propositio; *filius Dei mortuus est*, reddit hunc sensum: *persona, quæ terminat generationem diuinam, est persona, quæ terminat naturam humanam, quæ mortua est.* Vnde patet sensus cuiuscumque alterius propositionis veræ per communicationem prædicatorum, aut idiomatum.

¶ Dices: ergo hæ propositiones, *Christus est Deus*; *Christus est homo*; & similes non sunt veræ per communicationem idiomatum. Respondetur ita esse: sunt enim veræ in sensu formali; sicut istæ, *homo est animal*; *homo est risibilis, &c.*

3 Insuper nota, quòd veritas per communicationem idiomatũ aut prædicatorum debet exprimi per propositionem affirmativam, & non per negativam absolutam. Quare quamvis verum sit, quòd lac, in quantũ albũ, non est dulce; & quòd Christus D. in quantũ homo non est ætern⁹; nequit tamẽ dici absolutè; *Lac nõ est dulce*; *Christus nõ est æternus*. Et ratio est, quàm assignant Logici, nempè quòd negatio est malignantis naturæ; & sic omnia destruit, seu significat, quòd prædicatum, quod negat; nullo modo, aut secundùm nullam naturam convenit subiecto.

4 Demum nota cum Becano *c.7.q.1.n.4. ex Cyrillo in Epistola ad Acacium in concilio Ephesino cap.7.* Christi Domini attributa esse in triplici differẽtia. Quædam enim cõveniunt illi ratione diuinitatis; vt esse æternum, omnipotentem, remittere peccata, &c. Quædam ratione humanitatis; vt esse natũ in tempore, dormire, ambulare, &c. Quædam demum ratione vtriusque, vt esse redemptorẽ, seu mediatorem, seu mereri, aut satisfacere. Duo enim possunt spectari in actione satisfactoria, seu meritoria Christi Domini, nempè substantia, seu entitas actionis, & valor ei adveniens ex circumstantia personæ. Substantia operis attribuitur humanitati; quia ab illa elicitur opus. Prædictus autem valor tribuitur personę Verbi; quia ab illa proficiscitur. Ad rem ergo: ex prædicatis primi, & secundi generis fiunt propositiones affirmativę veræ per communicationem idiomatum: secùs autem ex prædicatis tertij generis. Sic de communicatione idiomatum loquimur Catholici.

5 Luterani autem longè aliter de communicatione idiomatum Theologizantur. Dicunt enim, in eo consistere, quod proprietates, seu attributa naturæ divinæ (cuiusmodi sunt omnipotentia, omnisciẽtia, immensitas, seu omnis præsentia, &c.) realiter sint communicata humanitati Christi Domini sicut ipsamet

Ver-

Verbi personalitas. Ac proinde affirmant, quòd hæ propositiones, *humanitas Christi est omnipotens; est omnisscia; est vbique præsens* aut istæ, *Christus Dominus secundum humanitatem est omnipotens; est omnisscius; est vbique præsens*; & similes sunt veræ per communicationem idiomatum: eò scilicet, quòd divina attributa in se proximè, immediatè, & realiter (sicut personalitas Verbi) sunt communicata humanitati. Vnde consequenter dicunt, quòd sicut rectè affirmamus, humanitatem Christi Domini subsistere subsistentia divina: sic etiam debet dici, humaninitatem esse omnipotentem omnipotentia divina; esse omnisscia omnisscietia divina; esse vbique præsentem immensitate divina.

8 Igitur obijciunt prædicti hæretici illud ad *Coloss. 2. In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*: Ergo omnia essentialia, seu attributa Dei sunt communicata humanitati Christi Domini. Respondetur concedendo cõsequentiam de communicatione mediata: siquidem, mediãte relativa subsistentia Verbi, communicata sunt sacratissimæ humanitati essentia, & attributa divina. Et negando de immediata: est enim certum apud Catholicos, solùm personalitati Verbi fuisse immediatè, primò, & per se vnitam humanitatem. Est ergo absolutè verum, quòd in Christo Domino inhabitat divinitas, æternitas, &c. Vnde solùm infertur, quod homo, seu Christus Dominus quatenus homo, est Deus, æternus, &c. per communicationem idiomatum modo à nobis explicato.

7 Dices: subsistentia absoluta, seu hic Deus potuit immediatè assumere naturam humanam: (*ex cap. 2. diff. 2. à num. 1.*) ergo similiter quodcumque aliud attributum, seu essentia divina immediatè terminare potest humanitatẽ, seu Deus secũdũ essentiã, seu atributum potest assumere naturam creatam. Tunc sic: ergo de facto ita contigit. Probatur hæc vltima consequentia: videtur enim, hoc cedere in excellentiam, & commendationem Christi Domini. Respondetur, data gratis prima consequentia, negando secundam: quia de fide est, solùm personam filij fuisse incarnatam; seu quòd Incarnatio facta fuit in aliquo proprio filij, & non in aliquo communi tribus personis. (*ex cap. 2. diff. 1. à num 2*) Ita de facto sola persona filij primò, per se, & immediatè terminavit naturam humanam; quidquid sit de possibilitate terminandi ab essentia vel attributis immediatè.

DVBIVM II.

8 PEtes secũdò, vtrùm humanitas Christi Domini per cõmunicationẽ idiomatũ sit vbique? Respond. negativè ex dictis toto dubio præcedenti. Quia ta-

tamen aliqui ex Lutheranis (qui ab hoc speciali dogmate vocati sunt Vbiquarij, aut Vbiquistę) aliqua obijciunt, quæ solutionem exposcunt, ideò proponitur dubium istud.

9 Igitur obijciunt primò: quãdo duæ res inseparabiliter vnitæ sunt, vbi est vna, ibi esse aliam, est omnino necessarium. Sed humanitas Christi Domini & personalitas Verbi sunt inter se inseparabiliter vnitæ: ergo vbi est persona Verbi, ibi est humanitas. Sed persona Verbi est vbique: ergo & humanitas Christi Domini. Respondetur cum Becano *cap.7.q.4.n.5*, negando maiorem: nam vnio duarum rerum non requirit necessariò, vt vbicumque est vna, ibi sit altera; sed solùm, quòd alicubi sint simul, & non distent. Quod convincit exemplum animę rationalis, & capitis; quæ inseparabiliter, & indistanter sunt vnita; & tamen non vbi est anima, ibi est caput: cũ anima sit in pedibus, vbi caput nõ est. Itaque hæc regula tenenda est. Quando duæ res sunt totaliter, & adæquatè inter se coniunctæ, seu vnitę; tunc vbi est vna, ibi est altera. Secus autem quando sunt vnitæ, sed non totaliter, seu adæquatè. Priori modo vnitæ sunt superficies chartæ v.g. & albedo; materia, forma aquæ, solis, &c. Posteriori modo caput, & anima; sol, & orbis solaris; clavus, & rota; finitum, & infinitum; humanitas, & Verbum.

10 Obijciunt secundò: humanitas non est vbique: ergo Verbum alicubi non est homo. Respondetur cum Becano *ibi num. 9.* concedendo consequentiam in hoc sensu, quòd Verbum alicubi est sine humanitate; vel quòd Verbum alicubi non habet suam humanitatem, Negando tamen, si intendat, quod Verbum alicubi existens non sit, vel non dicatur homo. Similes enim sunt hæ propositiones: *Anima alicubi est sine corpore: & anima alicubi existens non est forma capitis.* Prima quippè est vera, & secunda falsa. Et ratio vtriusque est, quòd negativa est malignantis naturæ. Et ideò si ly *alicubi* sumatur negativè, seu pro *nullibi*; propositio, *Verbum alicubi non est homo*; & ita, *anima alicubi est sine capite* sunt falsæ: reddunt enim hunc sensum: Verbum nullibi est homo, seu nullibi est vnitũ cum humanitate: anima nullibi est forma capitis.

11 Obijciunt quartò illud *ad Ephes. 4. num. 10. Qui descendit ipse est qui ascendit supra omnes cœlos, vt impleret omnia:* Ergo Christ⁹ Domin⁹ etiam secundùm humanitatem cœpit post ascensionem esse vbique. Respondetur negando consequentiam. Est enim sensus Apostoli, Christum Dominum priùs descendisse ad inferos, ac deinde ascendisse ad cœlos, vt omnia loca (scilicet infima, media, & suprema) successivè impleret per suam pręsentiam, virtutẽ, gloriam, victoriam, & triũphum; & sic caparet possessionem sui imperij

perij in omnes creaturas: & tanquam Rex solemni pompa inauguraretur. Sic explicant *D. Bernardus serm. 2. de Ascensione, Theophylactus, Oecumenius, & Cornelius.*

82. Obijciunt quintò Chrysostomum, Ambrosium, & alios Patres, qui sibi favere videntur. Sed revera non favent: eorumque testimonia adducit, & singillatim solvit Bellarminus *t. 1. lib. 3. de Incarn. cap. 18.*

CAPVT VI.

De causis Incarnationis.

PRo complemento prioris partis huius tractatus (quæ comprehendit omnia illa, quæ ad mysterium spectant) restat agere de causis illius: quod in præsenti præstabimus. Et suppono, vnionem hypostaticam non habere causam formalem: ipsa enim est forma relativa, seu relatio: *ex cap. 1. diff. 5. à num. 20.* ¶ Item suppono non habere causam materialem intrinsecè componentem; sed solùm extrinsecam, seu subiectivam: qualis est natura humana; in qua talis relatio subiectatur. (Huc spectare possunt dicta *cap. 1. diff. 5. à num. 43.*) Igitur exclusa disputatione de causis formali & materiali vnionis hypostaticæ, de alijs generibus causarum restat disputãdum.

DIFFICVLTAS I.

De spectantibus ad causam physicè effectivam Incarnationis.

DVBIVM I.

1 PEres primò, an fuerit aliqua causa physicè dispositiva Incarnationis? Respondetur negativè. Itaque in humanitate Christi Domini nulla gratia habitualis, aut alia similis qualitas præcessit, vt dispositio ad vnionem hypostaticam. Quia Christo Domino collata est plenitudo gratiæ, eoquòd est vnigenitus Patris: ergo collatio gratiæ supponit, humanitatem esse personatam personalitate Verbi. Secundò quia personalitas spectat ad esse substantiale, aut ad complementum substantiale naturæ: ergo priùs natura debuit personari, quàm recipere gratiã; quæ spectat ad esse accidentale. Confirmatur; quia nos priùs natura personamur, quàm recipiamus gratiam: (etiam si absit originale; vt patet in Adamo, & Virgine) ergo & Christus Dominus. Hanc conclusionem defendunt *Scotus in 3. d. 2. q. 2. Fabro disp. 9. c. 2. & communis sententia.*

2 Sed *D. Bonav. in 3. dist. 2. ar. 3. q. 2. Alensis Gab. Marsilius, Paludanus, & Cartusianus citati præsertim à Suar. disp. 10. sect. 2.* affirmãt, gratiam habitualem præcessisse in hu-

DVBIVM III.

7 PEtes tertiò, an creaturæ possit communicari virtus physicè principalis ad efficiēdum hoc misterium? Respōd. negativè. (ex fere omnium convenientia) Quia implicat cōmunicari creaturæ virtutem, vt physicè principaliter possit trahere divinā personā ad hoc, vt vniatur cum natura humana.

8 Dices: potest creaturæ communicari immensitas, seu potest Deus ponere illā in infinitis locis (si darentur) ergo; & poterit creaturæ communicari attributum omnipotentiæ taliter, vt possit efficere quidquid non repugnat: ergo poterit illi communicari virtus ad patrādum hoc mysteriūm. Resp. (admisso antecedēti, & priori consequentia cum restrictione ex dicendis explicanda) negando consequentiam: quia creatura per attributū omnipotentiæ sibi communicatum non posset aliquid efficere circa ipsummet Deū: & cōsequenter nequiret trahere Deum ad vnionem cum creatura. Itaque sicut, si fingamus, esse duos Deos, dicendum foret, omnipotentiam vnius nō se extendere ad destruēdum, aut ad faciēdum aliquid circa alterum, (quia æquale non potest super æquale) Ita in præsenti admisso, quod omnipotētia posset cōmunicari creaturę; ista vi omnipotentiæ nō posset trahere Deum ad hoc, vt se vniret cū natura creata; quia repugnat, Deū coactè trahi ad aliquid efficiendum, vel ad terminandum alienam naturam.

9 Hinc reijcie nostrum Cast. *disp*, 9. *q*. 1. *num*. 2 dicentem, non repugnare rationi dari creaturam, quæ habeat virtutem ad producēdum vnionem hypostaticā. ¶ Sed cōtra, quòd repugnat, Deum trahi à creatura ad se vniendū. ¶ Dices; quòd de facto trahitur à Sacerdote, & alligatur ipsa vnione hypostatica. Resp. vtrumque physicè fieri ab ipso Deo: qui suo pacto, seu decreto se alligavit tàm ad se collocandum sub speciebus consecratis; quàm ad conservandum prædictā vnionem. Sacerdos autē solùm est causa instrumentalis moralis ad ponendum Christum D. sub speciebus.

10 Addit pręcitatus Cast. nō esse cōtra mentē Scoti asserere posse dari creaturā, quę habeat prædictā virtutem. Tamen hoc placitū benè impugnat Felix *cap*. 9. *diff*. 1.

DVBIVM VI.

11 PEtes quartò, an aliqua creatura possit esse instrumentū physicum Incarnationis? Resp. negativè. Quia repugnat, creaturam physicè instrumentaliter atringere vnionem hypostaticam, seu op' Incarnationis. Et ratio est, quod causa instrumentalis est illa, quę in actu primò, & in esse quieto nullā habet virtutem ad causandum effectum; sed solùm causat in actu secundò per incōposibilitatē formalē. Qualiter serra scindit lignū: quia

pectu Dei, quatenus illam potest annihilare, & quatenus media illa potest facere quidquid non repugnat illi creaturæ. Quare, vt præsens consequentia teneret, debebat probari nō repugnare, quòd creaturæ communicetur virtus physicè effectiva (adhuc instrumentalis) tanti mysterij. Præterea ponere virtutem instrumentalem tanti mysterij activam est hucusque inauditum. Ex hoc enim sequeretur, posse Deum assumere, vt instrumentum physicè activū quodlibet ad producendum quodlibet: & consequenter posset assumere muscam pro instrumento ad creādum Angelum.

14 Sed obijciūt adversarij: verba consecrationis attingunt instrumentaliter transubstantiationē: & sacramenta gratiam: ergo poterit etiam aliqua creatura esse instrumentum respectu incarnationis. Respondetur negando consequentiam de instrumēto physico; (de quo est præsens difficultas) & concedendo de morali: qua ratione tantùm verba causant transubstantiationem, & sacramenta gratiam.

16 Obijciunt secundò: virtus activa intellectus elevatur à Deo ad producendum visionem beatā: ergo virtus alicuius creaturæ potest elevari ad efficiendum physicè Incarnationē. Respond. (omisso, quòd hoc argumentum probaret, posse creaturam esse causam principalem Incarnationis: sicut est intellectus causa visionis beatæ) negando suppositum consequentis, scilicet esse aliquam creaturam, quæ habeat virtutem inchoatam respectu huius mysterij: sicut habet intellect[9] respectu visionis beatæ. ¶ Dices, posse Deū conferre illi creaturæ talem virtutē in actu secundo, seu in actuali motione. Resp. negando: alioqui posset assumi quodlibet, vt physicum instrumentum ad producendum quodlibet: atque adeo posset musca assumi, vt physicum instrumentum ad producendum Angelum.

17 Obijciunt tertiò Isichium *hom. 2. de B. virgine*, (habetur *t. 2. Bibliothecæ Patrū*) qui vocat Virginem Incarnationis instrumētū. Resp. (sicut, & ad similes aliorum Patrūauctoritates) loqui de instrumento latè sumpto. Vocat enim Virginem Incarnationis instrumētum; eòquòd genuit humanitatē, quæ vnita est Verbo; non autem quia habuit aliquam causalitatem in vnionem.

DVBIVM V.

18 Petes quintò, an si esset possibile, creaturam esse physicū instrumentū ad incarnationē, hæc excellentia fuisset cōcessa Virgini. Resp. affirmativè. Quia conducit ad eius dignitatē, & excellentiā. Huc aliqualiter spectant dicenda.

19 Sed *Lorca disp. 19. n. 7. & Castill. disp. 9. q. 1. n 7.* oppositum defendunt: & obijciunt, non sufficere, quòd aliqua excellentia conducat

conducat ad dignitatem Virginis, vel humanitatis Christi D. vt affirmemus de facto illam habuisse. Multa enim ad talem dignitatem conducerent, quæ tamen illis non concedant Auctores. Esset enim dignitas Virginis, si elevaretur, vt esset physicum instrumentum omnis gratiæ, quæ producitur. Item esset dignitas humanitatis Christi D. si esset physicum instrumentū ad creationem omnium animarum: & tamen vtrumque negant Auctores. Ita nen pace tanti viri minùs piè de humanitate Christi D. atque de Virgine loquitur. Quare nobis pro firmo fundamēto tenendum est, Christo D. atque eius Immaculatæ Parenti quācumque excellentiam esse concedendam, quæ est possibilis; & aliàs cum illorum statu compatitur. Hoc enim tantùm fundamento nixi concedimus Christi D. humanitati summam scientiam, summam gratiam, summam gloriā, &c. Item prædicto fundamento ducti *in tract. de peccato Originali* (typis nondum mandato) *disp. 3. q. 1* non solùm defendimus Virginem à primorum labe parentum; sed etiam à quocumque debito incurrendi illam.

20. Ad illa, quæ obijciebat Lorca respondetur, nos ideò negare, Virginem esse physicam instrumētum omnis gratiæ; quia autumamus nullam creaturam posse physicè (adhuc instrumentaliter) concurrere ad creationem: & aliàs ex tractatu de Gratia statuimus gratiam creari. (Vnde etiam patet, quare non concedamus Christi D. humanitatem esse physicum instrumentum creationis animarū) Imò addo, quòd quàmvis gratia non crearetur, non concederemus, Virginem esse physicū instrumentum productionis gratiæ in quocumque subiecto: quia non capitur, quomodo posset attingere instrumentaliter productionē gratię productæ in subiecto à se distante. In præsenti autem benè perciperetur, quòd posset attingere physicè instrumentaliter mysterium Incarnationis, quod intra se operabatur Deus; (si semel statuamus, esse possibilem talem cōcursum instrumentalem alicui creaturæ) & aliàs sic philosophari cedit in excellentiam Virginis.

21. Ex quibus constat, neque humanitatem Christi D. de facto fuisse physicum instrumentum ad Incarnationem; imò neque ad revnionē post resurrectionem; neque ad partiales vniones, quæ fiebant per nutritionem. Quia etsi omnia ista forent concedenda illi sanctissimæ humanitati; cùm cedant in excellentiā illius: si aliàs esset possibile, creaturam physicè instrumētaliter attingere Incarnationē. Cū tamen hoc sit absolutè impossibile; etiā illi sanctissimæ humanitati hæc omnia denegamus.

(·:·)

DIF-

DIFFICVLTAS II.

De spectantibus ad causam meritoriam respectu Incarnationis.

DVBIVM I.

1 PEtes primò, an humanitas Christi D. ante vnionem meruerit substātiā Incarnationis? Resp. negativè. Quia humanitas illa ante vnionem nullum meritū habuit. Tale enim meritum debebat elici ab humanitate priùs natura, vel tempore, quàm vniretur. Sed neutro modo fuit elicitum: ergo nullum meritum humanitatis præcessit ad vnionem. Probatur minor de prioritate temporis. Etenim 6 *Synodus act.* 13. & *Leo primus Epistola* 11. definiunt, *animam Christi D. non priùs tempore extitisse, quā fuerit vnita carni*, & *Verbo*. Vbi idem consequenter definitur de humanitate, quæ sine anima consistere non potest. Modò sic argumentor. Anima, & humanitas Christi D. non priùs tempore extiterunt, quàm vnirentur Verbo: ergo neque habuerunt aliquod meritum priùs tempore quàm vnirentur. ¶ Probatur eadem minor loquendo de prioritate naturæ: quia quamvis creatio animæ priùs natura præcedat ad vnionem cum corpore; & tota humanitas priùs natura præcedat ad vnionem hypostaticam; (priùs est enim rem existere, quā alteri vniri; præsertim si res non habet esse per eductionem ab illo, cui vnitur) tamen cùm personalitas spectet ad esse substantiale, ordo naturæ petit, quod humanitas personetur, antequàm incipiat operari: etenim operatio spectat ad esse accidentale naturæ.

2 Hinc reijcitur error, qui communiter tribuitur *Origini lib.* 1. *Periarchon* (Latinè de principijs) *cap.* 6. asserenti, animam Christi D. extitisse à principio mundi ante vnionem cum corpore, & cum Verbo; & tunc meruisse vnionem hypostaticam. ¶ Reijcitur etiam Eutiches dicens, Christi Domini humanitatem priùs tēpore extitisse sub proprio supposito. Qui hæreticus consequenter diceret, habuisse aliquod meritum respectu vnionis. ¶ Demū reijcitur Ambrosi⁹ Ansbert⁹ vir pi⁹, doct⁹, & antiqu⁹ (qui scripsit ante nōgētos annos: inquit eruditus Lorca *disp.* 20. *num* 1) *in caput* 5. *Apocalipsis* asserens, humanitatem Christi Domini suis meritis fuisse assecutam vnionem hypostaticā. (teste Vazquez *disp.* 21. *cap.* 7. *n.* 69. quamvis à Lorca citato excusetur) Quod de meritis habitis in priori illo naturæ inteligit Felix *cap.* 9. *diff.* 2.

3 Sed, quidquid sit de mente Ansberti, ad probandúm humanitatem Christi Domini habuisse aliquod meritum respectu vnionis hypostaticæ obijcies illud

illud Psal. 44. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem; propterea vnxit te Deus, Deus tuus, &c.* Sed vnctio illa (vt placet pluribus Patribus, & interpretibus) est vnctio, qua humanitas Christi D. sanctificata est divinitate, & personalitate Verbi: ergo respectu illius habuit meritum, quod exprimit ly *propterea*.

Resp. cum Lorca *disp* 20. *n.* 26 ly *propterea vnxit te, &c.* Patres, & Expositores dupliciter exponere. Quidam enim (inter quos sunt *Augustinus*, *Anselmus*, & *Beda*) dicunt non denotare causam meritoriam, sed finalem. Et sic sensus est; ideò vnxit te Deus diuinitate, seu in hunc finem facta est vnctio, vt diligeres iustitiam, & odio haberes iniquitatem. ¶ Alij cum Hieronymo *Epistola* 120. exponunt ly *propterea vnxit te Deus* de causa meritoria: dicuntque ideò vnctionem factam fuisse; quia Christus Dominus dilexit iustitiam. Tamen hi, nomine vnctionis non intelligunt sactificationem, quæ facta est in Incarnatione per ipsam gratiam vnionis, Deitatem, aut personalitatem divinam; sed intelligunt alios effectus accidentales, quos Christus Dominus sibi promeruit v.g. dominium in omnes creaturas, triumphum, quē de hostibus tulit; gaudiū de victoria, revnionem in resurrectione, & vniones partiales ad partes, quas per nutritionē acquirebat. ¶ Nota pro ista solutione, nō esse in præsēti iurgandum circa sanctificationē; vtrùm scilicet fiat, vel nō fiat per vnionem hypostaticā? sed adhuc statuto, quod humanitas vi vnionis sanctificata fuerit saltē quā tum ad cultum & reverentiā; eligenda est vna ex prædictis solutionibus: vtraque enim potest componi cum principijs Scoti.

4 Obijciunt secundò illud *Apocalipsis* 5. *dignus est agnus, qui occisus est accipere divinitatem*: ergo humanitas Christi D. suis meritis facta est digna vnione hypostatica. Resp. negando consequentiam: quia ly *dignus* ibi non significat dignitatē meriti, sed debitum, & exigentiam naturæ. Itaque natura, quā decreverat Deus sibi substantialiter vnire, habebat iam vi talis determinationis divinę quoddam debitum congruentiæ, seu exigentiam respectu vnionis. ¶ Nota, quòd secundùm hāc expositionē verba illa (*agnus qui occisus est*) non causaliter, sed appositivè sunt accipienda. Quare non faciunt hunc sensum; *quia occisus est, dignus est, accipere dignitatem*; sed istum; *ipse agnus, qui occisus est, dignus est, &c.* ¶ Resp. secundò negando consequentiā: quia, dato, quòd ly *dignus* accipiatur de dignitate meriti; & ly *qui occisus est* accipiatur causaliter; tamē accipere divinitatem ibi nō est fieri Deum, & acquirere dignitatē, quā nō habebat: sed est vti divinitate, illā ostēdēdo, & manifestando, quam anteà occultauerat. Vt enim notat Lorca *disp.* 20. *nu.* 27. dicitur accipere gladium, vestē, &c. non solū, qui de novo accipit, sed etiam qui de novo vtitur

tur gladio, aut veste, quam habebat. Quare ibi tantùm significatur, Christum Dominum merito suæ passionis promeruisse sui nominis exaltationem, & suæ divinitatis ostensionem.

5 Obijciunt tertiò D. Basiliū *homilia de humana Christi generatione* vbi de humanitate dicit: *digna fuit Vnigeniti divinitati coniungi*. Respondetur ly *digna* accipi ibi de dignitate, non meriti, sed congruentiæ.

DVBIVM II.

6 Petes secundò, qua certitudine sit tenendum, Christi Domini humanitatem nō meruisse suam vnionem hypostaticam? Respondetur non esse de fide. Quia neque ab Ecclesia est definitum: neque in scriptura expræssum. Ita *Vazquez disp. 21. cap 1. n. 3. Felix cap. 9. diff. 2. & alij*. ¶ Sed oppositum defendunt nonnulli teste Vazq. *ibi cap. 1. n. 2*. Et obijciunt illud *Lucæ 1. Per viscera misericordiæ Dei nostri: in quibus visitavit nos oriens ex alto*. Respondetur ex hoc, atque ex similibus testimonijs solùm probari, Incarnationem fuisse donum nobis liberaliter concessum, & sine nostris meritis collatum: quo nō obstāte poterat dari humanitati propter propria merita. Quare concludo, no esse de fide: esset tamen temerarium concedere aliquod meritum humanitati respectu vnionis: quia sine fundamento opponeremur omnibus Scholasticis.

7 Addunt Vazq. & Felix citati, quòd etiam opponeremur Augustino. Ad quod expendunt illud *Enchiridij cap. 36. Quæ bona opera præcesserunt, quibus mereretur iste homo, vt vna fieret persona cū Deo*. Plura testimonia vide *apud Vazq. disp. 21. c. 1. à n. 6*. ¶ Ego tamen existimo, prædicta testimonia nō esse ad propositum. Augustinus enim non disputat præsentem quæstionem; sed solùm intendit, quòd ex viribus naturæ, & seclusa omni gratia Christus D. non meruit vnionem. Ad quòd expendo præclara August. verba *serm. 8. de verbis Apostoli. Audebit aliquis dicere, quòd natura nostra in illo mediatore primùm per liberum arbitrium promeruit Deum, & sic suscipi meruit, vt esset homo, & Deus vnus Christus Iesus?* Expendo ly *per liberum arbitrium*.

DVBIVM III.

7 Petes tertiò, an humanitas Christi D. ante vnionē potuerit mereri incartionis substantiā? Resp. affirmativè. Quia non apparet repugnātia in hoc, quòd humanitas in priori naturæ ante vnionē cum Verbo potuerit ipsam vnionem promereri. Etenim in illo priori humanitas est singularis, & existens: ergo nihil ei deficit ad operandum, nisi personalitas. Sed ista solùm est conditio petita de lege ordinaria: ergo de potentia absoluta (de qua procedit istud dubium) suppleri potest. Probatur

batur minor; quia operatio proveniit ab illo, in quo residet virtus operandi: sed ista non residet in suppositalitate, personalitate, aut subsistentia, sed in natura: ergo quoties natura aliqua habuerit esse actuale, seu existentiæ, poterit (saltem de potentia absoluta) operari. Probatur ista minor: quia diversas operationes tribuimus diversis naturis; non verò diversis suppositalitatibus, aut subsistentijs. Quamvis enim ignis v.g. & aqua conspirent in subsistentijs, habent tamen diversas operationes: siquidem ignis ignefacit, calefacit, &c. aqua verò frigefacit, humectat, &c. Item quamvis leo, & equus conspirent in suppositalitate, habent tamen diversas operationes; leo enim non equum, sed leonem; & equus nõ leonem, sed equũ generat. Insuper quamvis homo, Angelus, & Deus conspirent in personalitate, diversas habent operationes: homo enim generat hominem; Angelus autẽ nequit Angelum producere. Neque homo, aut Angelus possunt operari multa, quæ divinæ personæ operantur. Ergo diversitas ista operationum provenire debet à diversitate naturarum horum agentiũ; non autem à subsistentia, suppositalitate, aut personalitate, in quam conspirant. (In quo conveniant, & distant subsistentia, suppositalitas, & personalitas, diximus *cap. 1. diff. 7. n. 9.*

9. Dices, quòd illa agẽtia habẽt diversas quasi specificè subsistentias, suppositalitates, aut personalitates, à quibus proveniũt diversę illæ operationes. ¶ Tamẽ hoc omnino voluntariè dicitur: alioquin etiã possemus dicere habere diversas quasi specifice materias; nec nõ & quòd leo & homo diversas quasi specificè animalitates habent. ¶ Præterea falsitas huius respõsionis apertè cõvincitur instãtia Christi D. in quo est vnica subsistentia relativa, suppositalitas, aut personalitas; & duplex operationũ genus: ergo diversitas ista operationũ provenire nõ potest à personalitate, sed à diversitate naturarũ.

10. Concludo ergo, quòd subsistentia, suppositalitas, aut personalitas est cõditio ad operandũ petita de lege ordinaria; eo quòd spectat ad esse substantiale; & substãtia ex natura sua prior est quocumque accidẽte. Quare quoadusque natura hominis v. g. est subsistens, suppositalitata, aut personata, non incipit operari: quia operatio est accidens: quodcũque autẽ accidens est posterius natura sua quacũque parte, vel modo substantiali alicuius rei. Ex quo ordine naturæ non probatur, quòd de potẽtia Dei nõ possit oppositũ evenire. ¶ Quod cõfirmat instãtia accidentium. Quamvis enim ordine naturæ prius accidens debeat esse in subiecto, quàm operari incipiat: tamen si crearetur albedo v.g. extra subiectum, mitteret species intentionales. Quod, & de facto in albedine Eucharistiæ contingit.

11. Sed

11 Sed *Suarez. disp. 40 sect. 3. Vazq. Lorca, Hurt. Cabrera, Alvarez, Mont. sinos, & noster Fabro disp. 44. cap. 5. num. 56.* oppositum defendũt; & obijciunt, quòd actiones sunt suppositorum. Respond. hoc esse de facto; de possibl si tamen posset operari natura substantialis sine suppositalitate: sicut operantur accidentia Eucharistiæ sine subiecto. ¶ Sed Lorca *disp.* 20. intendit, illud axioma (*actiones sunt suppositorum*) debere esse verum etiã de possibili. Ad quòd expendit, quòd Ioannes Theologus *in Concilio Florentino sess.* 18. *dixit, essentiam divinam non generare; benè tamen Patrem: quia actiones sunt suppositorum:* & tamen nullus ex concilio ei reclamavit: ergo prædicta propositio (*Actiones sunt suppositorum*) etiam de possibili est vera. Respond. cum nostris *Castillo disp. 9. quæst. 2. num. 11. & Felix cap. 9 diff. 2.* negando consequentiam: quia Ioannes ille loquebatur secũdũ sententiam propriã. Nec Patres debuerunt reclamare; quia loquebatur secũdũ sentententiam probabilem Thomistarũ: quam fortè admittebant Græci, contra quos disputabat. ¶ Ratio autem, quæ secũdũ omnes debet admitti, quare essentia divina non generat, & generat Pater, est, quòd generans, & genitum debent realiter distingui: & essentia nõ distinguitur realiter, à Filio, bene tamen Pater.

12 Insuper expẽdit Lorca, quòd sublata dicta propositione, (*actiones sunt suppositorũ*) aufertur, quòd Virgo sit mater Dei: quia, si generatio solùm terminatur ad naturã & nõ ad suppositum, solũ erit mater naturæ humanæ, & non suppositi divini, seu Dei. Resp. negando totũ: quia, sicut aliæ matres (imò & homo) dicuntur generare hominem, etsi nõ generent animam rationalẽ; eoquòd ministrant materiam, & eam disponunt ad introductionem animæ: ita Beata Virgo dicitur mater Dei; eoquòd ministravit materiam, & eã disposuit ad introductionem animę, ex qua, & ex illa materia resultavit humanitas, cum qua Verbum fuit vnitum. (Recolantur dicta *cap. 3. diff. 2. à num.* 40. Huc etiam aliqualiter spectant dicta *cap. 1. diff 7. n. 19.*) Insuper sicut mas, & fæmina verè dicuntur parentes suppositi, seu filij suppositati, quamvis nõ attingant sua actione emanationẽ, seu resultantiam supositalitatis, aut personalitatis: (cũ enim sit modus, non producitur per se; sed resultat ad positionẽ humanitatis) eoquòd sua actione ponũt & disponũt materiã, in quã Deus introducit animã rationalem; ex qua, & ex prædicta materia cõstat humanitas: vnde resultat, seu consurgit personalitas. Ita Beata Virgo dicitur vera mater Dei, seu personæ divinæ supplentis personalitatem creatam; eoquòd posuit omnia illa, quæ ponunt aliæ matres ad hoc, vt resultet personalitas creata, cuius loco substituta est divina. ¶ Relinquitur ergo ex dictis in hoc dubio,

bio, humanitatem Christi Domini ante vnionem potuisse illam promereri.

DVBIVM IV.

13 Peres quartò, an prædictum meritum possibile, sit congruū tantùm; an etiam condignū? Respondetur hoc in præsenti non posse commodè decidi. Pēdet enim ab illa quæstione, vtrùm acceptatio, seu pactum non solùm inducat obligationem implendi promissum; sed etiam conferat valorem operi? De quo in tractatu de Merito; & de quo nihil est certum inter Scotistas. Qui enim dicunt, pactum solùm inducere obligationem implendi promissum, dicent consequenter in præsenti materia, meritum possibile humanitatis ante vnionē non potuisse esse de condigno: quia deficeret æqualitas meriti cum primo. Vnio enim incomparabiliter excederet in æstimabilitate quodcūque opus; imò & omnia simul, quæ ab illa humanitate ante vnionem fieri potuissent, etiam si à summa gratia sanctificante, seu à charitate procederent.

14 Dices; si procederet ab infinita gratia, & charitate haberent æqualitatem cùm infinita æstimabilitate vnionis: ergo potuit illud meritum esse de condigno. Resp. negando, esse possibilē gratiā (idē dic de quacunque qualitate) infinitè intensam. De quo; capite sequēti latè agemus. ¶ Resp. secūdò negādo antecedens: adhuc enim admissa gratia infinitè intensa, opus ab illa non exhauriret tātam æstimabilitatem; ac habet opus personæ divinæ: quia, cū infinitas personæ divinæ sit substantialiter absolutè, & simpliciter talis, cōmunicat operi æstimabilitatē seu valorē infinitatis, substantialis, absolutè, & simpliciter talis. Quod in opere elicito à subiecto dignificato ab infinita gratia non cotingeret: quia, cùm gratia in sua subsistētia sit accidens, infinitas ei accrescens solū secundùm quid est talis: & hanc tamen cōmunicaret operi prædicto. Hac quasi ratione excludunt cōmuniter Logici Deum à prædicamento substātiæ; (nempe quia est absolutè, substantialiter infinitus) etiam si admittant, lineam infinitæ longitudinis, & calorem infinitæ intensionis in prædicamento collocari. Quia horum infinitas solùm secundùm quid est talis. De quo præcipuè legatur Merinero *in logica cap. de Substantia q. 4. nu. 7. & 12.*

15 Qui autem affirmant, pactum etiam conferre valorem, (in quod non parum inclinat Scotus *in 1. dist. 17. quæst. 3. §. & vers. De secundo articulo*) dicent consequenter, quòd per acceptationem, aut pactum ita potest accrescere valor operis eliciti ab humanitate, vt adæquet præmiū: & consequenter meritum illud possibile humanitati ante vnionē potuit esse condignum.

16 Nunc

16 Nunc iam commodius res-pondebimus cuidam obiectioni, quæ fit contra conclusionem *n.* 1. positā. Obijcies ergo: omnis perfectio possibilis est concedenda Christo D. & eius gloriosissimæ Matri. (*ex diff.* 1. *à num.* 18.) Sed possibile fuit, quòd humanitas Christi D. mereretur suam vnionem: & aliàs hoc cedit in excellentiam Christi D. ergo illam meruit de facto. Respondetur negando consequentiam: quia minor solùm est vera, quando non invertitur rerum ordo: sicut inverteretur, si natura operaretur, antequā haberet personalitatem propriam vel alienam.

17 Ex dictis in hàc difficultate habemus, potuisse quidem humanitatem Christi D. ante vnionem hypostaticam, ipsam promereri; de facto tamen eam non promeruisse. Restat agendum de meritis humanitatis post vnionem. Sed quia hæc merita, aut opera sunt humanitatis iam personatæ personalitate Verbi: ideo deinceps non quæremus; an humanitas; sed an Christus D. meruit, &c.

DVBIVM V.

18 PEtes quintò, an Christus D. potuerit mereri suam vnionē hypostaticam? Respondetur affirmativè. Quia in hoc non apparet aliqua repugnantia: vt ex dicendis constabit.

19 Claritatis tamē gratia præmittendum est pretium, seu solutionem pretij dupliciter posse cōferri. Primo quando iam absolutè debetur: eo quòd est iam tradita res, quæ pretio emitur. Secundò, quando etsi debeatur; non tamen absolutè; sed sub conditione aliqua. Vt si conveniat inter venditorem, & emptorem tritici v. g. pretium esse solvendum cras; vsque tunc pretium nō debetur absolutè. Quòd si emptor hodiè solvat pretium; solutio ista dicitur anticipata. Quæ solutionis pretij distinctio inconfesso est apud omnes. Et ex illa, Theologi occasionē sumpserunt affirmandi in præsenti præmium aliquod dupliciter posse conferri. Primò per modum pretij, & solutionis absolutè. Qua ratione necessariò requiritur, quòd meritum præcedat præmium, seu quòd præmium sit post meritum, cuius intuitu confertur. Secundò potest conferri præmium per modum anticipatæ solutionis. Hac ratione Rex confert militi arma, & equum, cum quibus posteà pugnando meretur eademmet arma, & equum. Quādo autem præmium sic cōfertur, non est necessarium, quòd meritum præcedat in re, vel absolutè prævisum; sed sufficit prævisio meriti futuri in spe præmiantis. Quo supposito, claritatis gratia, & propter maiorem explicationem nostræ conclusionis eam in duas dividendo.

20 Dico primò: per modum anticipatæ solutionis potuit Christus D. mereri suam Incarnationē quan.

quantum ad executionem, & quantum ad electionem, seu intentionem. Quia non apparet aliqua repugnantia in hoc, quod De decerneret Incarnationem ductus meritis Christi D. quasi in spe futuris: etenim quamvis pro illo signo cognoscebat Deus, tàm illa merita, quàm Christum D. esse in statu possibilitatis; tamen certò sciebat, se posse taliter disponere res, vt merita illa, quibus tunc ducebatur, elicerentur à Christo D. in alio posteriori signo decernendo, & posteà in tempore extituro, & merituro.

21 Hac ratione potest Deus decernere pœnitentiam antè prævisionem culpæ futuræ: vt Deo dante, dicam *in tract. de Pœnitent.* Item potest decernere adventum Christi D. vt Redēptoris antè prævisionē peccati absolutè futuri: vt dicūt multi; quibus subscribimus. Insuper potuit decerni gloria, vt corona antè absolutam prævisionem meritorum in statu absolutæ futuritionis: vt etiam dicunt multi quibus consentio. Necnon, & hac ratione decreuit Deus, Christum D. matrem habiturum, antequam decerneret matrem: vt plausibilis, & communis fert opinio à nobis infra propugnanda. Et omnium eadem est ratio, nempè quòd ad prudenter decernendū, seu intendendum aliquem finem sufficit, vt decernens prœcognoscat, possibilem sibi esse consequutionem rei decretæ. Sed Deus antè omne decretum certo certiùs scit, quòd, si decernat Incarnationem, vt præmium meritorū Christi D. quæ tunc, seu pro illo signo solùm sunt in statu possibilitatis, potest disponere, quod Christus D. in tempore infallibiliter ponat merita illa: ergo propter illa in spe, (vt ita dicam) potuit decernere Incarnationem, & illam ponere in re. Sicut Rex decernit conferre, & in re confert militi arma, & equū, cum quibus posteà elicit opera, propter quæ solutione anticipata receperat eadēmet arma, & equū.

22 Nec est inconveniens, quòd Incarnatio fuerit prior, & posterior respectu meritorū, seu quòd dependeat à meritis, quæ posteà causatura est. Sicut non est inconveniens, quòd finis sit prior, & posterior medijs, (consideratis in diversis statibus) seu quòd in executione dependeat salus v. g. à medio, quod ipsa causaverat in intentione.

23 Dices, esse differentiam inter causam finalem, & meritoriā: ista enim est efficiens; quæ ad causandum requirit existentiam: ergo, quandiù præmians non prævidet existentiam meritorum, nequit moveri ad dandum præmiū. Resp. existentiam causæ efficientis solùm requiri in causis physicè causantibus. In causantibus autem moraliter sufficit, quòd existentia in re ponenda prævideatur ab operante ductu illius bonitatis, vel convenientiæ. Sicut sufficit in cau

sa

sa finali: quarum vtraque habet influxum metaphoricum tantùm & non physicum. Non enim dant physicam entitatem effectui; sed moveat causam physicè efficientem, vt tali effectui præstet physicam entitatem. ¶ Instabis: ergo iam requiritur necessario, quod existentia meritorum prævideatur à præmiante, antequam propter illa merita decernat præmium. Respondetur ita esse. Claritatis tamen gratia est distinguendum. Vt enim præmium absolutè decernatur per modum pretij, & solutionis, requiritur necessariò prævideri à decernente absolutam existentiam meritorum. (inquiũt communiter; à quo supersedeo) Vt autem detur per modum anticipatæ solutionis, sufficit, prævideri merita cum existentia quasi in spe præmiantis. Quam existentiam habent quæcumque merita possibilia, quorum absoluta existentia pendet à præmiante: qui, eo ipso ac decernit rem aliquam (gloriam Beatorum v.g.) in præmium omnibus meritis quibus consequi potest, præstat quãdam existentiã vagam. Sicut qui efficaciter vult aliquem finem, vi talis intentionis præstat omnibus, & singulis medijs vagam existentiam: cum vi illius intentionis necessitatus maneat ad ponendum aliquod medium.

24. Dices secundò: respectus causantis ad causatum debet esse realis; ergo meritum illud non habens absolutam existentiam nequit esse causa alicuius præmij. Patet cõsequentia: sequeretur enim, relationem realem existere sine vno ex extremis realiter existente. Respondetur distinguendo antecedens: causa enim, quæ causat per influxum realem, fundat respectum realem ad suum effectũ; secùs autem, quæ causat per influxum moralem, seu metaphoricũ; qualiter causant causa finalis, & quæcumque merita. Huius autem ratio differentia est, quam *num.* 26. assignavimus, nempè quòd causa finalis (idem est de meritoria) respicit effectum, non quatenus ei tribuit physicè entitatem; (sicut illi eam præstant causæ efficiens, materialis, & formalis) sed quatenus movet efficiens, vt talem effectum operetur. Ad movendum autem efficiens solùm requiritur habere esse in apprehensione operantis, vt suppono, & convincunt innumeræ instantiæ. Sufficiat exemplum salutis apprehensæ, vt consequibilis; quæ movet, tàm infirmum, quàm medicum ad quærendum media, & ad illa exequenda. Fortè aptius est exemplum Regis; qui movetur ad dandum equum, & arma militi propter facinora aliàs facienda. Et demum aptissimum est exemplum meritorum Christi Domini propter quæ existentia tantùm in prævisione divina dedit Deus antiquis Patribus gratiã ad operandum.

25 Dico

25 Dico secundò: per modū pretij absolutè, & solutionis potuit Christus D. mereri hanc numero vnionem hypostaticā quam de facto habuit: potuit (inquam) in statu præscientiæ, prævisionis, & ordinationis divinæ. Quia non implicat; quòd postquàm per sciētiam simplicis intelligentiæ cognovit Deus, Incarnationem esse possibilem, necnon & esse possibilia merita hominis Dei, priùs vellet merita hominis Dei, seu Theandrica (Recolantur dicta c. 4. *diff.* 2. *à num.* 11.) non determinando, à qua persona essent eliciēda; & postea vellet propter illa merita futura, seu existentia iam in sua prævisione determinare, quòd ab ista persona constante hac numero materia, forma, & humanitate, necnon & hac numero vnione elicerentur illa merita prævisa. Sicut enim potuit decerni, esse Christum D. à matre non determinando illam pro illo signo; potuerunt decerni merita naturę personalizatę personalitate divina nō determinando personā pro illo signo. Immo potuit decerni meritū huius naturæ terminatæ ab hac persona divina (nempè filio) non determinando pro illo signo hanc numero vnionem. Et vtriusque ratio est, quòd effectus non petit determinatè hanc causam efficientem. Quare sicut fuit de facto ab ista potuit esse ab alia eiusdem virtutis: ergo sicut idem numero Christus potest subsistere essendo ab alia matre: ita idem numero meritum Christi D. potuit salvari essendo ab alia natura terminata per aliam personam divinam; aut ab illa numero natura, & persona, sub alia vnione numero distincta.

26 Dico tertiò: in statu realis existentiæ in tempore executæ nō potuit Christus D. mereri suam vnionem hypostaticam per modū pretij, & solutionis absolutè debitæ. Quia meritum istud realiter exequutum debet præcedere præmium; (saltem prioritate naturæ) sed nullum meritum Christi D. executum in tempore præcessit ad vnionem hypostaticam: ergo istā non potuit Christus D. mereri per modum pretij, & solutionis absolutè debitæ. Consequentia est legitima. Minor est certa: nullum enim meritum Christi D. seu hominis Dei fuit in tempore executum ante vnionem hypostaticam, Maiorem autem concedunt omnes; immo in hoc distinguunt præmium collatum per modum pretij, & solutionis absolutè debitæ à præmio collatum per modum anticipatæ solutionis, quòd ad illud necessariò debet præcedere meritum realiter executum; non autem ad istud.

27 Ex dictis *à num.* 18. constat, qui Auctores nobis faveant, quivè adversentur in huius dubij resolutione. Suarez enim *disp.* 10. *sect.* 4. docet, quod Incarnatio, vt intenta non potuit cadere sub meritum Christi D. benè tamen, vt exequuta. Quare partim pro nobis, partim vero contra nos est. Nos quip-

quippè affirmamus, Christum D. potuisse promereri suam Incarnationem non solum executam, sed etiam intentam, non quidem per merita in tempore elicita, sed in præscientia, & ordinatione diuina præuisa futura, vel absolutè, vel saltem quasi in spe præmiantis. Vnde à fortiori reijcimus *Vazquez, Medinam, Aluarez, Lorcà, Montesinos, & Gaspar Hurtado, quos citant, & sequuntur Castillo disp. 9. quæst. 3. num. 1. & Felix c. 9. diff. 3.* affirmantes, substantiam Incarnationis adhuc vt executam non potuisse cadere sub meritum Christi Domini. ¶ Pro quibus obijcies: Christus D. potuit mereri suam Incarnationem? Ergo de facto illam meruit. Patet consequentia: quia spectat ad excellentiam illius tale meritum de facto illi attribui. (Recolantur dictæ *diff. 1. num. 18. & 19.*) Respondetur, ita esse. Sed de hoc redibit sermo *à n. 30.*

28 Obijcies secundò D. Augustinum *de Dono perseuerantiæ c. 15.* dicentem: *Eadem gratia fit ab initio fidei suæ homo quicumque Christianus, qua gratia ab initio homo ille factus est Christus.* Sed homo fit Christianus absque meritis adhuc possibilibus: ergo Christus Dominus suam Incarnationem non potuit promereri. Respondetur negando minorem: etsi enim de facto prima vocatio (quæ vocatur prima gratia, eo quòd ab illa sumitur iustificationis exordium; nullamque aliam supponit in subiecto illo) detur sine proprijs meritis; non tamen repugnat, Deum illam dare propter merita quasi in spe futura, & solutione anticipata. Immo & potuit Deus disponere, quod etiam per modum pretij, & solutionis absolutè debitæ homo mereretur (in statu præscientiæ; & ordinationis Dei) primam vocationem: non secùs ac de merito possibili Christi Domini respectu suæ vnionis explicuimus *num. 25.*

29 Immo hoc argumentum retorqueo sic, ad confirmandum meam sententiam. Nulla est repugnantia in hoc, quòd prima vocationis gratia (quam vocitant omninò gratiam) detur propter merita, aut quasi in spe futura, aut absolutè futura. Quia certissimè scit Deus, me v. g. positurum esse merita in tempore, seu in reali executione; si ipse decreverit, primam vocationem mihi conferre propter merita; quæ etsi pro illo signo abstrahant à futuritione; futuritionem tamen habebunt vi alterius decreti à se necessario in alio signo posteriori ponēdi. Qua ratione ego scio, eum, qui efficaciter intendit aliquem finem, (salutem v. g.) & in tali intētione immobilis perseverat, finem consequuturum (suppono consequutionem esse in eius potestate) per media; quæ etsi pro signo illo intentionis non sunt determinata, seu futura, sed quasi possibilia; in alio tamē posteriori habitura sunt determinationem, futuritionem, &

& tandem realem existentiam. ¶ Potuit insuper Deus visis per scientiam simplicis intelligentiæ possibilitate primæ vocationis Petro v.g. conferendæ, necnon, & possibilitate meritorum Petri v.g. priùs velle meritum efficaciter; & visa iam per scientiam visionis absoluta futura existentia talis meriti; quam futuritionem illi merito contulit Deus per decretum: potuit (inquam) Deus propter illud meritum velle conferre Petro (solutione quidem anticipata) primam vocationem in præmiũ illius. In hoc enim nulla apparet repugnantia. Quamvis ergo prima vocatio de facto detur sine meritis potuit tamen cadere sub meritum. ¶ Adde, quòd prima vocationis gratia (sicut, & quæcunque alia) de facto datur nobis propter merita Christi Domini merentis nobis illam de condigno; vt notat Scotus *in 4.d.2.quæst. 1.§. Ad primum, Vers. Ad tertium.* Igitur à simili possibile fuit, quòd Incarnatio daretur propter merita. Sed de hoc redibit sermo à numero. 30.

DVBIVM VI.

30 PEtes sextò, an Christus D. de facto meruerit suam vnionem hypostaticam? Respõd. affirmativè. Quia gloriosiùs est aliquid habere ex meritis, quàm sine illis; vt docet Scotus in *3.d.18. §. Hoc viso, vers. Ad primum istorum.* Secundò, quia Christus D. illam potuit mereri per modum solutionis anticipatæ: ergo illam de facto saltèm sic meruit. Antecedens constat ex dictis *à num. 18. præcipuè num. 20.* Consequentiam autem probant dicta *diffic. 1. numero 18.* Tertiò, quia in statu præscientiæ, & dispositionis divinæ merita Christi D. fuerunt prævisa, vt absolutè futura, antequàm videretur hæc numero vnio hypostatica: ergo potuit hæc vnio decerni propter illa merita ergo de facto sic fuit decreta. Patet vltima cõsequẽtia: quia hoc conducit ad excellentiam Christi D. Antecedẽs quoad possibilitatem constat *ex num. 25. & 26.* Quoad factum autem probat quòd hoc spectat ad laudem, & excellentiam Christi D.

31 Sed contra hanc conclusionem innumeri conspirant Authores: & obijciunt, quod Incarnatio fuit summa misericordia, & gratia: ergo nullum meritum ad illam præcessit. Patet consequentia: aliàs enim illud meritũ, propterquod Incarnatio decerneretur à Deo, aut in tempore poneretur in executione, derogaret summæ misericordiæ, & gratiæ. Pro probatione autem antecedentis multa Scripturæ, & Patrum coacervantur testimonia. Nobis verò sufficiant illud *Luc. 1. n. 78. Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto:* atq; illud *August. 13. de Trinit. c. 19. In rebus per tempus ortis illa summa gratia*

tio est, quòd homo in vnitate personæ iunctus est Deo. Hùc spectat Scotus in 4. dist. 2. quæst 1. §. Ad primum versic. Et si obijcis dicens: Posset dici, quòd in vniversis operibus Dei non fuit aliquod opus merè gratiæ, nisi sola Incarnatio filij Dei.

32 Sed antequam huic argumento respondeamus, à Scoto me expediam. Igitur nobis non parum favet: cùm præcitatis verbis illa annexuerit. *Et hoc, si ad illam nulla merita præcesserunt. Quod vtique verum est in ordinatione divina de illa Incarnatione. Quia si tempore conceptionis præcesserunt aliqua merita Mariæ; tamen non erant bona absolutè respectu Incarnationis; sed fortè accelerationis; vt impleretur illa Incarnatio præordinata.* Patet ergo quòd etsi Scotus statuat, quòd nulla merita B. Mariæ, aut alterius in tempore præcesserint ad Incarnationem, tamquam meritoria substantiæ Incarnationis: nihil tamen determinat de meritis existentibus in prævisione divina: vt clarè demonstrant verba illa: *si ad illam nulla merita præcesserunt. Quod vtique verum est in ordinatione divina de illa Incarnatione.* ¶ Adde, posse ad hoc intentum adduci Scotum in 3. d. 13. quæst. 4 §. & vers. *Quantum ad secundam quæstionem*, quatenus docet, Christo D. semper esse concedendum quidquid ad eius laudem, & excellentiam conducit. Verba Scoti sunt: *In commendando Christum malo excedere, quàm deficere à laude sibi debita; si propter ignorantiam oporteat, in alterum incidere.* In principijs ergo Scoti semel statuto, possibile esse, Christum Dominum potuisse mereri suam vnionem, (vt iam statuimus à num. 18.) necessarium est concedere de facto illam meruisse. Longè ergo abest, quòd Scotus militet contra nostram conclusionem.

33 Igitur ad præfatum argumentum, Incarnatio fuit summa misericordia, & gratia: ergo ad illam nullum meritum antecessit) Respondetur distinguendo antecedens: est enim verum de Incarnatione in tempore executa; falsum autem de illa in statu præscientiæ, & ordinationis divinæ. Itaque ad Incarnationem in tempore exequutam nullum meritum realiter exequutum præcessit, tamquam causa illius. Immo omnia, & singula merita elicita, vel elicienda postquàm Incarnatio in tempore fuit executa, ab illa causantur: cum Deus gratiam ad prædicta merita necessariam contulerit propter merita Christi Domini iam realiter in tempore existentia. Adde, quod propter eadem merita prævisa, & nondum executa in tempore contulerit Deus gratiam omnibus illis, qui ante Incarnationem in tempore executam meruita elicuerunt. Igitur cùm nullum meritum realiter exe-

cu-

executum in tempore moverit Deum ad ponendum in rerum natura vnionem hypostaticam, verū est, quòd Incarnatio sit summa misericordia, & gratia. Falsum autem est, quòd in statu præscientiæ, & ordinationis divinæ sit summa misericordia, & gratia: cùm Deus decreverit Incarnationem propter merita Christi D. prævisa iam sub futuritione. (aut absoluta, aut saltem quasi sub spe) Quòd enim propter merita Christi D. fuerit decreta cedit in laudem, excellentiam, & gloriam illius: est quippè gloriosius aliquid habere ex meritis, quàm sine illis: vt acutè viditScot. citatus *n.* 30.

34 Nec mirum est, quòd Incarnatio in statu præscientiæ, & ordinationis divinæ causetur à meritis, & posteà in tempore sit causa ipsorum meritorum. Medicamentum enim in statu præscientiæ operantis causatum fuit à salute existente in præscientia, & voluntate illius: & tamen in statu realis existentiæ executæ causat ipsammet salutem. Prætereà in æternitate decrevit Deus dare B. Virgini gratiam ad merendum propter merita Christi D. prævisa: & tamen ipsa Virgo in tempore fuit vera causa physica humanitatis Christi D. à qua merita illa prævisa fuerunt elicita, seu causata.

35 Item non mirum debet apparere, quòd in diversis statibus eadem res modò respiciat merita, tamquam causam sui; modo autē nulla respiciat merita pro causa. Quia quid simile concedit communior sententia non solùm Scotistarum, sed etiam plurium aliorum. (quos præcipuè citat Felix *in primo principio tract. de Prædest. c.4. diff. 6. num. 5.*) Hi ergo dicunt, gloriam Petri v. g. fuisse à Deo efficaciter intentam in æternitate ante prævisionem alicuius meriti illius in esse futuri: & tamen dicunt, eamdem gloriam in tempore, seu in statu existentiæ realiter executæ conferendam esse Petro propter merita illius. A simili ergo potest componi, quòd Incarnatio in statu præscientiæ, & ordinationis divinæ decernatur propter merita; (vel quasi in spe, vel absolutè futura) & quòd in tempore, seu in statu existentiæ realiter executæ detur sine meritis realiter existentibus, seu per modum pretij, & solutionis; quæ sint causa meritoria illius.

36 Igitur firma est solutio *n.* 33. allata, nempè, quòd Incarnatio vocatur summa misericordia, & gratia, non in statu prævisionis, & ordinationis divinæ, sed in statu realis existentiæ tempore executæ. Quam solutionem satis innuunt præcitatæ auctoritates. Ad quod expendantur verba illa Lucæ *visitavit nos oriens ex alto*: necnon & illa Augustini; *in rebus per tempus ortis*: solū ergo de visitatione (sub qua vocè *Incarnatio*, gratia, & misericordia significatur) tempore executa loquuntur prædictæ auctoritates.

DV-

DVBIVM VII.

37 Petes septimò, an Christus D. meruerit revnionem in resurrectione? Atque partiales vniones, quæ per nutritionem fiebant? Respondetur affirmativè. Quia respectu illarum opera Christi D. habuerunt sufficientem valorem; necnon & in reali executione tempore exhibita antecedentiam. Insuper, & credendum est, pactum non defuisse. Hoc quippe meritum spectat ad excellentiam Christi D. Ita Suar. *disp.10. sect.4. Castillo disp.9.q.3.num.2. & Felix c.3.diff.3.*

DVBIVM VIII.

38 Petes octavò, an Christus D. meruerit conservationem suæ vnionis? Respondetur affirmativè. Quia hoc est possibile, sine inversione ordinis rerum. Primum enim opus Christi D præcedit conservationem vnionis; atq; habet sufficientem valorem, aut æqualitatem cum illo præmio; & demum est credendum, intervenisse pactum: quia cedit in excellẽtiam Christi D. Ita *Suar. & Felix nuper citati.* ¶ Sed *Vazq. Lorca, & Becanus, quos citat, & sequitur G. Hurt. disp.*14. *diff.* 10. oppositum defendũt, & obijciunt, quòd vnio data est primò sine meritis: sed ex natura sua est perpetua: ergo continuatio nequit cadere sub meritum. Resp. (omissa maiori) explicando minorem: non enim dicitur perpetua, quia Deus nequeat, illam destruere, aut quia teneatur, illam conservare, sed quia non habet intraneum principium corruptionis, (sicut habent res sublunares, corporeæ) & quia à nulla creatura potest destrui. Cùm ergo liberè conservetur à Deo; potest ista conseruatio cadere sub meritum.

¶ Contra: ergo etiam continuatio gratiæ sanctificantis, & gloriæ Christi D. fuit ex meritis. Respondetur, ita esse.

39 Respondetur secundò, negando maiorem: vt enim constat ex dictis *à n.* 30. defacto meruit Christus D. suam vnionem saltem per modum solutionis anticipatę.

¶ Sed contra hanc solutionem obijcies primò. Prima infusio gratiæ sanctificantis (quæ gratia etiã fuit principium merendi in Christo D) fuit illi collata omninò gratis, & sine meritis: aliàs non erit gratia: ergo & vnio hypostatica collata fuit illi omninò gratis, & sine meritis. (Idem argumentum formo de prima collatione gloriæ.) Respondetur negando antecedens, vt tamen constet, quo iure negetur antecedens: nec non vt magis confirmata maneat conclusio *num.* 30. posita, (nempè, quòd Christus D. per modum solutionis anticipatæ meruit suam vnionem hypostaticam) duplex sequens dubium quasi incidenter est examinandum.

DVBIVM IX.

40 PEtes nonò, an prima infusio gratiæ sanctificantis collata fuerit Christo D. ex meritis? Respondetur affirmativè. Quia, cùm gloriosiùs sit, habere aliquid per merita, quàm sine illis: (vt cū Scoto notabamus *num.* 30.) & consequenter cedat in excellentiam, laudem, & gloriam Christi D. omnia habere ex meritis; dicimus; quòd ipsammet gratiam sanctificantem (quæ simul cum vnione hypostatica fuit in ipso principium merendi) meruit per modum solutionis anticipatæ, sicut meruit ipsammet vnionem. Imò, si possibile fuisset, quòd illam gratiam (idem dico de vnione) meruisset per modum pretij, & solutionis; sic diceremus, illam meruisse per merita realiter executa in tempore. Sed quia ad merendum per modum pretij, & solutionis, requiritur ab omnibus, (à quo supersedeo) quòd meritum realiter executum in tempore (vel saltē in prioritate naturæ) præcedat præmiū: nullumque opus meritoriū Christi D. seu humanitatis vnitæ realiter executum in tempore potuerit præcedere gratiam sanctificantem, (hæc enim est vnum ex principijs saltem connaturaliter, & de lege ordinaria concurrentibus necessariò ad eliciendū opus meritorium) aut vnionem hypostaticam: cogimur dicere, Christū D. non potuisse mereri per meritū realiter executum in tempore gratiā sanctificantem quoad primā infusionē per modū pretij, & solutionis absolute debitæ; quāvis illā meruerit per modū solutionis anticipatæ. Vniformiter enim philosophamur de gratia, ac de vnione hypostatica.

41 Nec propterea gratia sanctificās desinet, esse gratia, aut gratia denominari. ¶ Pro quo nota, quòd illud, quòd gratis, aut sine debito cōceditur, gratia vocatur, sūpta denominatione ab affectu gratioso, seu nō debito, quo à cōcedēte donatur. Propter hoc vnio hypostatica vocatur gratia vnionis: illa forma, qua media peccatū mortale expellitur, & subiectū (Angelus, vel homo) iustificatur, dicitur gratia sanctificans: & prima vocatio ad resurgēdum à culpa dicitur prima gratia. Etenim gratis, & sine debito dedit nobis filium; hominē factum. Itē gratis, & sine debito infundit nobis gratiā sanctificātē; largiturque nobis primā vocationē ad resurgendum à peccato. ¶ Insuper nota, non omnino derogare rationi gratiæ, quòd res cōcessa sit aliqualiter debita; dūmodò nō sit debita de toto rigore iustitiæ. Et ideò primam vocationē absolutè vocant gratiam, immo primam gratiā; quamvis aliàs detur nobis propter merita Christi D. vt notat Scotus *in 4. d. 2. q. 1. §. Ad primum vers. Etsi obijcis.* Quare solùm dicitur gratia comparatione illius, cui confertur: cui nullo modo est debita, sed omninò gra-

gratis confertur. Sic etiam vnio hypostatica dicitur gratia vnionis, quamvis aliàs illam meruerit Christus D. merito per modum solutionis anticipatæ (vt constat ex dictis a n. 30.) Quare solum dicitur gratia respectu generis humani (& fortè Angelorum) cui nullo modo erat debita. Aut si respectu ipsius Christi D. dicatur gratia, dicetur gratia in radice: vt n. 42. explicabo. Insuper gratia sanctificans, quę confertur adulto, dicitur gratia, quamvis sit debita de congruo actui contritionis, aut receptioni sacramenti, quo ad talis gratiæ receptionem se disposuit. Imò gratiæ augmentum est per meritum de condigno; & tamen gratia quæ tunc infunditur, gratia nuncupatur. ¶ Verum est, quod, cùm debitum opponatur gratioso affectui, seu gratiæ; quo strictius, aut maius fuerit debitũ, tanto minor, aut debilior erit titulus gratiæ, quo res collata gaudet.

42 Item nota, posse rem aliquam dici gratiam proximè, & remotè, seu formaliter, & radicaliter. (gratiam in radice vocant) Gratiam proximè, aut formaliter vocant rem illam, quæ gratìs, seu sine debito interueniente donatur. Vt si alicui pecunias gratìs, & liberaliter concedam. Gratiam verò in radice, quando etsi res aliqua sit modò debita; tamen debitum istud ortum habuit à gratia. Hac ratione etsi peccatori elicienti actum contritionis sit debita de congruo gratia sanctificans, ista tamen dicitur gratia, nẽpè in radice; eo scilicet, quòd Deus gratis, seu sine meritis contulit primam vocationem. Idem patet in prima vocatione: quæ etsi sit debita meritis Christi D. etiam respectu ipsiusmet Christi D. potest dici gratia in radice: etenim ex affectu omninò gratioso ipsi⁹ Dei ortum habuit meritum Christi D. omnino quippè gratis, & sine omni prorsus debito, aut merito disposuit Deus, quòd Christus Dominus mereretur suam vnionem hypostaticam: & consequenter reliqua omnia, quæ tàm sibi, quàm Angelis, & hominibus promeruit.

43 Ad rem ergo: etsi prima infusio gratiæ Christo Domino collatæ fuerit ex meritis per modum solutionis anticipatæ; non propterea desivit prorsus esse gratuita, & gratia denominari, saltem in radice. Ex affectu enim Dei vndequaque liberali & nulla ex parte debito ortum duxit, decrevisse Deum, illam gratiam conferre Christo Domino propter merita ipsius per modum anticipatæ solutionis; Ex nullo quippè capite potuit Deus cogi ad talem dispositionem. Et ideò, etsi semel supposita illa divina dispositione conferendi gratiam Christo Domino in præmium suorum operum per modum solutionis anticipatæ, illa gratia sit aliquomodo debita proximè, & formaliter: tamen affectus gratuitus in tali gratiæ col-

llatione resplendet nempe conferendi illam per modum anticipatæ solutionis: non enim exiguam gratiam involvit conferre præmium ante realem operis, aut meriti exhibitionem: ergo ex isto affectu, prima collatio gratiæ gratuita dicitur, & gratia in radice, remotè, aut radicaliter. Eodem prorsus modo loquendum est de vnione hypostatica, cùm primò fuit executa: etsi enim data fuerit in præmium meritorum Christi D. per modum anticipatæ solutionis; & consequenter proximè non sit omninò gratia: tamen remotè, radicaliter, seu in radice est vndequaque gratia: cum ibi resplendeat ille affectus nuper assignatus in prima infusione gratiæ. Nullum ergo argumentum assumitur ex prima infusione gratiæ Christo D. facta ad probandum, Christum D. non meruisse suam vnionem hypostaticam.

DVBIVM X.

44 PEtes decimò, an prima collatio summæ gloriæ Christi D. fuerit ex meritis? Respond. affirmativè. Quia est possibile, & cedit in laudem, & prærogativam Christi D. sic *Albertus*, *Mairon*, *Bassolius*, *& alij*, *teste nostro Hugo Cavello in 3. d. 18. in Scholio ad §. Hoc viso.*

45 Sed oppositum defendunt *D. Th. 3. p. q. 19. art. 3. Durãd. Gab. necnon, & nostri D. Bonau. Alens. &* *Ricard.* Imo, & Scot. à §. *illo Hoc viso* expressissimè videtur esse nobis oppositus. Respond. tamen, ibi loqui solùm de merito realiter præcedenti præmium: vt legenti constabit: præcipuè expendatur, sic concludere Scot. *Igitur Deus liberaliter, sine aliquo merito præcedente coniunxit voluntatem istam per fruitionem vltimo fini; & ita nõ meruit sibi fruitionem.* Non ergo loquitur de merito respectu præmij habiti per modum anticipatæ solutionis. Quomodo nos dicimus meruisse suam fruitionem; sicut in antecedentibus loquuti sumus de gratia sanctificãte, atque de vnione hypostatica, etiam in primo nunc sui esse consideratis. Igitur inefficax sumitur argumentum ad probandum Christum D. non meruisse suam vnionem ex prima collatione summæ gloriæ Christi D. etenim etiã hanc promeruit per modũ anticipatæ solutionis, nõ minus quã primã infusionẽ gratiæ, atque ipsãmet hypostaticã vnionem.

46 Dices, quòd Scot. *ibi vers. Ad primũ istorũ.* affirmat, fruitionẽ animæ Christi D. sibi fuisse infusã: ergo non potuit esse meritoria. Patet consequentia: quia actio meritoria debet elici ab illo, qui per illã meretur: cùm debeat esse sub potestate illius. Resp. Scotũ solũ probabiliter loqui declarando modũ defendendi, quòd summa gloria Christi D. nõ poterat cadere sub meritũ respectu præmij habiti per modũ pretij, & solutionis. Et ideò *vers. Aliter* aliã adhibet solutionẽ declarãs, talẽ fruitionẽ potuisse esse pro me-

meritam non tamen fuisse de facto: hoc enim exigebat perfectio status Beatorum, vt ibi *esset beatitudo alicuius personæ sine omni merito præcedente:* (ait Scotus) In qua solutione satis insinuat, beatitudinem Christi D. ab ipso fuisse elicitam. Sed, quidquid sit de hac explicatione respondetur negando consequentiam. Ad probationem dico, me posse mereri per dilectionem mihi infusam: quia etsi infusio non sit in mea potestate, possum tamen liberè operari per illam. Quamdiù enim illam liberè conseruo; liberè dicor per illam operari, seu attingere obiectum illius. Quare etsi absolutè concedamus, fruitionem Christi D. fuisse sibi infusam; in eodem instanti reali infusionis in posteriori naturæ potuit liberè operari per illam. Immo etsi pro toto illo integro instanti temporis, non potuisset liberè operari per fruitionem: cùm sine dubio potuerit operari in alio sequenti; & tunc potuit mereri ipsamet fruitionem solutione anticipata iam possessã.

DVBIVM XI.

47 PEtes, vndecimò, an antiqui Patres (hoc est iusti, qui adventum Christi D. præcesserunt) potuerunt mereri substantiam Incarnationis? Respondetur affirmativè. Quia non apparet in hoc aliqua repugnantia. Quod diversimodè à diversis probatur. Dicunt enim aliqui, ideò non repugnare; quia etsi antiqui Patres meruerint per opera elicita ex gratia collata ex meritis Christi D. prævisis; & propter hoc de facto, seu stante hac rerum dispositione, nõ potuerint mereri Incarnationẽ; alioqui principiũ meriti caderet sub meritum: potuit tamen Deus illis conferre gratiam liberaliter, & nõ ex meritis Christi D. cum qua elicuissent opera meritoria (saltem de congruo) Incarnationis. Quo fundamento hanc nostram conclusionem defendunt communiter.

¶ Alij vero dicunt, antiquos PP. potuisse mereri Incarnationẽ per merita elicita ex gratia collata per Christum D. non enim apparet aliqua repugnãtia in hoc, quod in statu præscientiæ, seu ordinationis divinæ decreverit Deus Incarnationem propter merita antiquorum Patrum prævisa sub futuritione absoluta, vel saltẽ quasi in spe; iuxta dicta de merito Christi D. respectu suæ vnionis *à n. 18. vsque ad 36.* Quo fundamento hanc conclusionẽ nos defendere tenemur consequenter ad dicta de merito Christi D. *ab illo n. 18.* & à fortiori hanc conclusionem defendere tenentur Suar. & alij citandi *num. 49*

¶ Si autem aliquid contra illam militare videatur, vel solutũ manet ex dictis *à n 18.* de Christi D. meritis possibilibus, & actualibus respectu suæ vnionis hypostaticæ: vel cõmodiùs solvetur ex dicẽdis *à n. 48.* dum sermo sit de actuali merito antiquorum PP. respectu substantiæ Incarnationis.

DVBIVM XII.

48 PEres duodecimò, an antiqui PP. (hoc est, iusti, qui adventum Christi D. præcesserũt) defacto meruerint substantiam Incarnationis? Respondetur negativè. Quia Incarnatio fuit summa gratia, & misericordia: ergo ad illam nulla merita præcesserunt. Antecedens constat ex. dictis *à n. 30. usque ad 36.* vbi statuimus, illud esse verum, & intelligendum de Incarnatione in tempore executa. Vnde apertè infertur, quòd etsi merita antiquorum PP. (sub quorum nomine etiam B. Virginem comprehendo) tempore antecesserint merita Christi D. non tamen præcesserunt, vt causa meritoria Incarnationis: eo quòd De⁹ disposuit, quòd Incarnatio Verbi in tempore executa, vel exequenda esset principium, fons, origo, & causa cuiuscumque gratiæ, & meriti cuiuslibet puræ creaturæ. Et ideò nulla gratia fuit ab initio mũdi puræ creaturæ collata, aut aliquando est conferenda; quæ non conferatur propter merita Christi D. tempore iam exhibita, aut saltem in mente, & ordinatione divina existentia, & aliquando in tẽpore extitura. Sic *Scotus num. 31. citatus, D. Bonav. Ricardus, Sotus, Vazquez, Lorca, & alij, quos citant, & sequuntur G. Hurt. disp. 6. diff. 7. Castill. disp. 9. q. 4. num. 4. & Felix. cap. 9. diff. 4.*

49 Sed oppositum defendunt (loquendo de merito de cõgruo) *Suar. disp. 10. sect. 6. Medina, Valẽcia, Alvarez, & Ragusa citati à prædicto Hurtado.* Pro qua sententia obijcies: opera antiquorum PP. habuerunt conditiones requisitas ad merendum Incarnationem: ergo illam meruerunt. Probatur antecedens: fuerunt enim elicita ex gratia supernaturali: ergo habuerunt aliqualem proportionem cũ Incarnatione: ergo saltem de cõgruo illam potuerunt mereri. Præterea antecesserunt non solum natura, sed etiã tẽpore Incarnationẽ. Et demum credendum est, nõ defuisse pactum, seu permissionem ponendi Incarnationẽ, si talia opera elicerentur. Immo expresiè videtur, hoc contineri Genes. 22. verbis illis: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes: quia obedisti voci meæ,* & alibi. Respondetur negando antecedens. Ad probationẽ dico, gratiam, qua illi PP. elicuerũt opera meritoria, illis fuisse collatã propter merita Christi D. & consequenter supponere Incarnationẽ, vt causam sui: atque ideò illã mereri non potuisse iuxta præsentem rerum ordinem, & dispositionem.

50 Contra: nullum est incommodum, quòd Incarnatio in diversis statibus sit principium merendi, & cadat sub meritum. Sicut salus in intentione est causa medicinæ, & in executione ab ipsa medicina causatur. Et sicut ipsamet Incarnatio in ordinatione divina fuit decreta propter merita Christi

sti D. prævisa futura absolutè, vel saltem quasi sub spe: iuxta dicta à *num.* 33. & tamen in statu existentiæ in tempore executæ fuit causa cuiuscumque meriti puræ creaturæ. Similiter ergo, etsi gratia, qua PP. mererentur Incarnationem, data fuisset propter merita Christi D. prævisa, quæ supposuisset Incarnationem; potuisset tamen eadem gratia esse principiũ, & causa operum, quibus PP. mererentur Incarnationem in statu realis existentiæ in tempore executæ. Respondetur concedendo totum. Vnde solùm habetur, PP. potuisse mereri Incarnationem; (quòd *n.* 47. affirmavimus) non tamen, quod defacto illam meruerunt.

51 Instabis: ex eo, quòd conducit ad excellentiam Christi D. & & aliàs est possibile, quòd meruerit suã Incarnationem, seu vnionẽ hypostaticam, concedebamus *n.* 30. quòd illam de facto meruerit. Sed etiam est possibile, quòd illam meruerint PP. ceditque in illorũ excellentiam: ergo illam de facto meruerunt. Respondetur negando consequẽtiam: potiùs enim attendenda est excellentia Christi D. quã antiquorũ PP. Cũ ergo cedat in excellentiam Christi D. quòd Incarnatio sit principium, fons, origo, & causa meriti cuiuscumq; puræ creaturæ; iuxta dicta *n.* 30. fit, vt nullũ meritũ ad ipsam præcesserit, tamquã causa illius. Igitur fatemur, potuisse Deum disponere, quòd PP. mererentur substantiam Incarnationis, nõ solùm per gratiã eis liberaliter collatam; sed etiam per gratiã illis collatam ex meritis Christi D. prævisis sub absoluta futuritione. De facto tamen disposuit, quòd Incarnatio foret principiũ cuiuscũque meriti: & consequenter Patrũ opera nõ ordinavit ad merẽdũ Incarnationẽ, nõ obstante, quòd habuerint antecedẽtiã; necnon & aliqualẽ proportionem respectu Incarnationis.

DVBIVM XIII.

52 PEtes tertiodecimò, an Christus D. meruerit Incarnationis circumstantias? Resp. affirmativè. Quia hoc est possibile, & cedit in eius excellentiam: ergo illas de facto meruit. Antecedens probant omnia dicta à *num.* 18. *& deinceps*: si enim meruit suam vnionem; potiori ratione dicemus meruisse circumstãtias. Vnde cõstat, quod si loquamur de merito Christi D. in statu prævisionis, & ordinationis divinæ, meruit omnes, & singulas circũstantias antecedẽtes concomitantes, & subsequentes per meritũ prævisum sub futuritione absoluta, vel saltẽ quasi sub spe. Si autẽ loquamur de merito Christi D. in statu realis existentiæ intẽpore executę, meruit per illud omnes circumstantias consequẽtes, seu quæ Incarnationẽ executã supponunt per modũ pretij, & solutionis absolutè debiti: alias autẽ circũstantias, quæ incarnationẽ præcedunt, vel ipsam necessariò comitãtur, solũ meruit per modũ solutionis anticipatæ. Est enim de

de istis sicut de substantia Incarnationis philosophandum. Recolantur dicta *à n.* 18.

53 Pro clariori verò intelligētia noto, circumstantias Incarnationis esse in triplici differentia. Aliæ enim sunt antecedentes; vt quod Incarnatio fuerit vaticinata à Prophetis, annuntiata ab Angelo; &c. Aliæ sunt concomitantes; vt fieri in tali loco, tēpore, & modo; fieri ex Virgine, &c Aliæ sūt cōsequentes; vt quod Christus D. adoraretur à Magis; videretur à pastoribus; laudaretur ab Angelis; &c. Dicimus ergo Christum D. meruisse postremas circumstantias absolutè, seu per modum pretij, & solutionis: reliquas verò per modum solutionis anticipatæ: quia sicut nullum meritum Christi D. in statu realis existentiæ in tempore executæ potuit dari ante vnionem hypostaticam; ita neque ante illas circumstantias, quæ illam vel præcesserunt de facto, vel de facto ipsam sunt concomitatæ.

54. Vnde reijcio Vincentium *de Gratia Christi q.* 5. *art* 3. *dub.* 2. *concl.* 4. dicentem, nullam circūstantiam meruisse Christum D. ¶ Item reijcio Suar. *disp.* 10. *sect.* 4. negantem meruisse antecedentes & concomitantes. ¶ Insuper reijcio Castillo *disp.* 9. *q* 5. *num.* 5. & 6. dicentem, meruisse quidē, illas circumstantias antecedentes, & concomitantes, quę non respiciūt directè substantiam Incarnationis; sed laudes, prærogativas, & honores: non autem meruisse, quæ directè respiciunt Incarnationem, hoc est, quæ de facto sunt principia, & causæ (in quocumque genere) substantiæ Incarnationis. Denique reijcio Felix, dicentē Christum D. solùm meruisse illas circūstantias, quæ se habuerunt per accidens; non autē illas, quæ se habuerunt per se. Pro qua sententia *cap.* 9. *diff.* 5. citat Vazq. Montesinos, & G. Hurtado. Igitur omnes istos reijcimus: quia, cùm statuerimus, Christum D. merito prævisо sub futuritione absoluta, vel saltē quasi sub spe, meruisse de facto ipsammet substantiam Incarnationis, aut vnionem hypostaticam; dicimus consequenter nullam posse excogitari circumstantiam, quam per talia merita prævisa non meruerit; hoc enim est possibile, & cedit in excellentiam Christi D. Insuper cùm propter idem fundamētū propugnaverimus, quòd merito realiter executo in tēpore meruerit Incarnationis substātiā, seu vnionē per modū pretij, pręmij, aut solutionis anticipatæ: dicimus consequenter, saltem hoc modo meruisse Christum D. quascumq; circumstantias antecedentes, & concomitantes, etiam si directè respiciant Incarnationem, seu vnionem hypostaticam; seu etiam si per se se habeant.

55 Quia tamen in hac difficultate loquendo de meritis Christi Domini respectu suæ vnionis, & quoad substantiam, & quoad circumstantias non semel libavimus statum prævisionis, & ordinationis

nis divinæ; pro completa intelligentia dictorum, & dicendorum; tam in ista, quàm in sequenti difficultate, necessarium duxi explicare divina decreta, quæ circa Incarnationem habuit Deus.

DVBIVM XIV.

56 PEtes (obiter) quartodecimò ordinem, quem Deus in sua æternitate servavit decernendo Incarnationem. Respondetur hoc pendere ex tractatu de voluntate Dei. Vnde suppono, quòd ex illo tunc æternitatis, in quo concipimus, Deum aliquid decrevisse, seu efficaciter voluisse; res decreta, seu obiectum volitũ habuit futurionem, & habitura est realem existentiam in aliqua temporis differentia exequutam. In quo nulla est controversia. Et quãvis nonnulla sit in declarando, an ponendum sit non solùm decretũ intentivum, sed etiam exequutivum? Mihi dicendum est, vtrumque esse necessarium. Vi enim decreti intentivi res decreta solùm initiativè, seu remotè accipit futuritionem: vi autem exequutivi recipit illam proximè, seu completivè. Sicut homo intendens efficienter salutem, illam in re nõ consequeretur, si nõ haberet decreta executiva necessaria de medijs, seu de rebus omninò necessarijs ad consequutionem illius.

57 Vnde sicut homo, posito decreto intentivo circa salutem v.g quantumvis efficaci ex parte sua, non daret existentiam saluti decretæ, si postea non poneret decreta circa media. Ita Deus, si, (per impossibile) posito decreto efficaciter intentivo, non poneret decretum executivum, non tribueret rei decretæ completam futuritionem ex tunc, nec postea realem existentiam in aliqua temporis differentia. Rem exemplo declaremus. Vult Deus in intentione efficaciter educere Adam de esse possibili ad esse realis existentię. Per hanc volitionem, aut decretum intentionis non intelligimus, Adam habere cõpletè, & proximè esse futurum, & habiturum realem existentiam in aliqua temporis differentia, quoadusque Deus decernat omnia, & singula, sine quibus Adam existere, aut adæquatè concipi non potest. Et consequenter quoadusque determinet producere hãc numero materiam, hanc numero formam, illasque vnire.

58 Insuper noto, quòd statim ac concipimus, Deum posuisse decretum intentivum circa substantiam alicuius rei, debemus dicere, quòd transit ad executivum antequàm incipiat decernere aliquid, quod ad substantiam illius non pertineat. V.g. vult Deus decreto intentivo educere Adam de esse possibili; quoadusque decernat omnia necessaria ad illud esse decretum, non decernit aliquem modum, circunstantiam, aut accidens illius. Et ideò immediatè

post illud decretum intentivum ponit decreta executiva necessaria decernendo scilicet producere hanc numero materiam, hanc numero formam, & vnionē; & fortè non impedire resultantiā tertiæ entitatis, (quam ponimus Scotistæ distinctā realiter ab omnibus partibus simul sumptis, & vnitis) si hoc cadit sub distinctum decretum. ¶ Postquàm autem completus est ordo decretorum intentionis, & executionis circa substantiam Adæ; incipit ordo decretorum circa modos, circumstantias, & accidentia illius. Et sic decernit, Adam habere esse per creationem, & non per eductionem, aut generationem; (quomodo habent esse omnes descendentes illius) quòd producatur hoc, vel illo tempore, & loco, quòd habeat hanc, vel illam quantitatem, qualitatem, &c. Et ratio est, quòd sicut in actuali existentia priùs est esse completum substantiæ rei, quàm modus, aliqua circumstantia, vel accidens illius. Ita prius est in ordine decernendi, quod Deus cōpletè decernat rem, quàm modum, circumstantiam, vel aliquod accidens illius.

59 Ex quibus colligo, ordinem decretorum sic fuisse in Deo, (quantum ad præsens attinet) Cognitis omnibus, & singulis possibilibus per scientiam simplicis intelligentiæ, primum, quod voluit Deus intentione efficaci, fuit dare existentiam realem huic numero Christo, qui de facto extitit. Cùm autem eius humanitas posset recipere esse per creationem, (sicut illud recepit Adamus) vel per generationem; in hoc, vel illo tempore; ab hac, vel illa matre; in hoc, vel illo loco; sub hac, vel illa quantitate, forma, figura, colore, &c. antequàm ad aliquod istorum faceret transitum efficax divina voluntas, decrevit in executione omnia, & singula, quæ ad realem existentiam Christi Domini prævolitam iam ordine intentionis erāt necessaria. Quare determinavit producere hanc numero materiam, vel corpus; hanc numero animam, atque hanc numero vnionem materiæ cum forma; & demùm hanc numero humanitatem inde resultantem vnire personalitati Verbi. Et cum ex tunc, seu ex illo signo iam prævideret Deus Christū Dominū sub esse futuro completè, seu existentiam habere, habiturumque esse extra causas pro aliqua temporis differentia, decrevit efficaciter omnia, & singula eius merita, quæ non erant dependentia à carne passibili, hoc est, à passione, & morte; quæ pro tunc, seu pro illo priori decretorum non erat decreta, nec decernenda prævidebatur. Quare tunc voluit, quòd Christus Dominus haberet actus charitatis, religionis, atque his similes.

60 His omnibus peractis, seu completè decreta existentia Christi Domini, & eius meritis independentibus à carne passibili, seu à

à cruce, & paſsione, vel ab alio poſteriùs decernendo; tranſivit divina voluntas ad decernendum efficaciter totum hunc mundum viſibilem, necnon, & Angelos propter illa merita prævisa iã ſub completa futuritione; decrevitq; dare gloriam, & gratiã, immo, & eſſe naturale prędeſtinatis; multaque alia efficaciter decrevit vi prædictorum meritorum. Deinde cepit Deus etiam vi illorum meritorum decernere omnia illa, quæ in tempore prædictam humanitatem fuerunt concomitata, nempè modos, circumſtantias, & accidentia illius: vt ſunt, quòd haberet eſſe per hanc numero generationem; ab hac numero matre; in hoc numero loco; hoc numero tempore; ſub hac numero quantitate, figura; colore, &c.

62 Ratio autem ſic ordinandi divina decreta eſt, quòd hic modus eſt poſsibilis; & aliàs neceſſarius, vt ſalvemus excellentiam, quæ accreſcit Christo Domino ex hoc, quòd Deus propter eius merita quoàd ſubſtantiam prævisa, omnia, & ſingula alia creata decreverit; præcipuè (ad noſtrum intentũ propriùs accedendo), circumſtantias Incarnationis, immo, & ipſammet vnionem hypoſtaticam; iuxta dicta à *n.* 30. Et vt affirmemus, quod meritis in tempore executis meruit per modum anticipatæ ſolutionis omnia prædicta; & per modum prætij, & ſolutionis circumſtantias ſuæ Incarnationis, quas conſequentes appellant, iuxta dicta à *num.* 51. & ſingula omnia alia, quæ prædictam Incarnationem ſupponunt, & conſequenter poſſunt cadere ſub meritum per modum prætij, & ſolutionis abſolutè debitæ. Item ſic de diſpoſitione divinorum decretorum theologizamus, vt ſaluemus excellẽtiam, quæ Beatiſsimæ Virgini accreſcit, ex hoc, quòd meruerit eſſe mater Christi Domini, quæque accreſcit antiquis Patribus ex hoc, quòd aliquam, aut aliquas circumſtantias Incarnations fuerint promeriti.

DVBIVM XV.

63 PEtes quintodecimò ſolutionem argumentorum, quæ fiunt contra concluſionem *num.* 52. poſitam. Reſpondetur merito nos illorum ſolutionẽ huc remiſiſſe; vt cognito iam ordine decretorum, quàm facilem habeant ſolutionem, appareat. Igitur concluſio erat, quòd Christus Dominus meruit circumſtantias ſuæ Incarnationis. Et conſtat ex dictis ab illo *num.* 52. necnon & ex dictis à *num.* 18. ſic hoc eſſe intelligendum, quòd, ſi loquamur de meritis Christi D. in ſtatu præſcientiæ, & ordinationis divinæ, (præcipuè recolantur dicta *n.* 25.) ſeu per merita ab æterno prævisa meruit ſuam Incarnationem in executione, ſeu quòd illa Incarnatio ab ęterno prævisa in tempore exequutionem habe-

ret;

iet; & consequenter hoc modo meruit omnes & singulas circunstantias suæ incarnationis. Sin autem loquamur de meritis Christi Domini in tempore iam executis respicientibus præmium dandum per modum pretij, & solutionis absolutè debitæ, solū meruit illas circunstantias, quæ ipsam Incarnationem supponunt executam. Demum si loquamur de eisdem meritis in tempore iam executis, prout respiciunt præmium per modum solutionis anticipatæ, sic meruit Christus Dominus omnes, & singulas circunstantias suæ Incarnationis; ipsammet vnionē hypostaticam, necnon & omnia alia, ad quæ se extendebant sua merita in statu præscientiæ, & ordinationis divinæ. Sic enim theologizare extollit meritum Christi Domini sine aliquo incommodo.

64 Igitur contra conclusionē *num.* 52. positam (quæ talis est: Christus Dominus meruit circunstantias suæ Incarnationis) objiciunt Auctores *nu.* 54. *citati.* Et in primis objicit Vincentius: omnes circūstantiæ Incarnationis cadūt sub prædestinationem divinam: (hoc est fuerunt ab æterno à Deo dispositæ) ergo non cadunt sub meritum alicuius. Patet consequē tia: quia prędestinatio est ante prę visa merita. Respondetur negando cōsequentiam. Ad probationē dico, non esse statutum, quod præ destinatio electorum ad gloriam fuerit ante prævisionem meritorum: etsi enim communior opinio hoc affirmet: Vazquez tamē 1. *parte disp.* 89. *cap.* 2. oppositum defendit: quibus subscribit inter alios noster Fabro *in additionibus ad* 1. *disp.* 58. *à num.* 36. asserens, esse sententiam Scoti *in* 1. *dist.* 41. §. *Potest aliter Vers. De istis.* Quare si cum his auctoribus negaremus probationem illā Vincentij, corrueret argumentum. Illa tamen admissa cum communiori sententia, (de quo videatur noster Felix *tract. de Prædest. cap* 4. *diff.* 6. *à nu.* 5.) dicimus, esse longè diversam rationem de proprijs vniuscuiusque prædestinati meritis, ac de meritis Christi Domini. Per hoc enim, quod ante prævisionem meritorum Divi Petri v. g. Deus ad gloriam ipsum prædestinaverit, resplendet liberalitas Dei erga Petrum ex vna parte; & ex alia nihil derogatur meritis Christi Domini, cùm proter merita prævisa illius omnes electos prædestinaverit Deus: iuxta prælibata *num.* 60. & iuxta fusè dicenda *cap.* 9. dum de meritis Christi Domini fiat sermo. Multum autem derogaretur meritis Christi Domini, quod non meruerit circumstantias suæ Incarnationis: cùm hoc sit possibile non solùm loquendo de meritis ab æterno prævisis, sed etiam loquendo de meritis in tempore iam executis modo *num.* 62. explicato.

65 Suarez autem objicit: circūstantiæ concomitantes & antecedētes fuerūt priores natura sua,

quàm

quã merita Christi D. ergo nõ potuerunt cadere sub meritũ illius. Probatur antecedens: quia fuerũt necessariæ ad ponendum Christũ Dominum in rerum natura in statu, in quo operari posset. Respondetur negando antecedens: quamvis enim verum sit, quòd illæ circumstantiæ in tempore prę cesserint merita Christi Domini in tempore executa: tamen natura sua non erant priores ipsis meritis: cùm eadem merita potuerint poni in rerum natura sine illis; quare solùm de facto, & de per accidens fuerunt priores. Nõ secùs ac Pater iste numero solùm de facto, & de per accidens est prior filio: cum iste potuerit poni in rerũ natura, si loco talis patris applicata fuisset quæcumque alia causa eiusdem activitatis, & virtutis. Adde: quòd in prævisione divina omnia merita Christi Domini quæ non erant dependentia à carne passibili, seu à morte, & passione fuerunt prævisa ante illas circumstantias; imò & ante ipsam Incarnationem; iuxta dicta *num.* 30. Et demum, quòd admisso, illas circumstantias esse natura sua priores meritis Christi Domini, hoc non tollit, quòd Christus Dominus illas meruerit per modum solutionis anticipatæ.

66 Objicit Castillo, quod de facto est principium alicuius rei (etiam si de per accidens sit, quòd de facto sit principium, eo quòd potuerit esse ab alio) nequit simul esse effectus eiusdem rei. Sed tales circumstantiæ de facto sunt principium Incarnationis, (v. g. hæc numero mater) necnon, & meritorum eius: ergo nequeunt esse effectus Incarnationis. Respondetur distinguendo maiorem: est enim vera de principio, & principiato in eodem statu, & ordine: & falsa in diverso. Itaque quod est principium physicum alicuius, nequit esse physicè principiatum illius. Et ideò cùm Incarnatio, seu Christus Dominus physicè fuerit dependens ab hac numero matre v.g. nequit physicè esse causa, seu principium illius. Benè tamen potest contingere, vt illud, quod in prævisione movet, seu est causa moralis positionis alterius, posteà in exequutione in re exhibita sit effectus physicus illius (vt cõtingit in præsenti: & convincit instantia causæ finalis, salutis v, g. quæ movet, seu moraliter causat medicamentum; & ab ipso physicè causatur) Et ratio est, quod non sunt opposita effectus physicus, & causa moralis. Et consequenter quãvis multæ Incarnationis circumstantiæ, vt principium physicum, ipsam antecedant; illam tamen subsequantur, vt morales effectus illius, seu vt cadunt sub meritum Christi Domini, quem supponebãt iam habentem futuritionem cõpletam in prævisione divina. ¶ Adde quod, toto illo argumento admisso, nõ convincitur, Christum Dominum non meruisse illas circumstantias per modũ solutionis anticipatæ.

67 De-

67 Denique obijciunt cum Suar. Incarnatio non cadit sub meritum: sed circumstantiæ antecedentes, & concomitantes cõiunguntur cum Incarnatione per modum vnius: ergo non possunt cadere sub meritum. Respondetur negando maiorem iuxta dicta *à num.* 30. Respondetur secundò (admissa maiori) distinguendo minorem: est enim vera de Incarnatione, & eius circũstantijs realiter executis in tempore: falsa autẽ de Incarnatione, & illius circumstantijs in prævisione divina, seu in ordine decretorum. Itaque quàmvis in tempore, seu extra causas non potuerit poni Incarnatio, quin sit in hoc numero loco, ab hac numero matre, &c. & cõsequenter omnia ista concurrunt physicè per modum vnius. Tamẽ in prævisione divina prius fuit visa Incarnatio, seu Christus Domin⁹, & multa illius merita, vi quorum decretæ fuerunt prædictæ circũstantiæ. ¶ Adde, illam consequentiã solũ esse veram de merito respiciente præmium per modũ pretij, & solutionis absolutè debitum; non autem per modum solutionis anticipatæ.

DVBIVM XVI.

68 Peres decimosextò, an antiqui Patres (hoc est, iusti, qui præcesserunt adventum Christi Domini) meruerint Incarnationis circumstantias? Respondetur affirmativè saltem loquendo de aliquibus. Quia ex vna parte opera antiquorum præcesserunt illas circumstantias: & ex alia gratia ad prædicta opera requisita collata fuit illis propter merita Christi Domini prævisa: & consequenter meritum illorum fuit per modum pretij, & solutionis. ¶ Notant communiter, hoc meritum solùm fuisse de congruo: quia non habebat æqualem valorem cum præmio. Ego autem etsi de meritis aliorum hoc admittam; non tamen de merito Beatissimæ Virginis: existimo enim de condigno meruisse has circumstantias: vt loquendo de munere maternitatis patebit *à n.* 85.

69 Ex nostra conclusione inferunt communiter, B. Virginem meruisse circumstantias aliquot, nempè annuntiationẽ Incarnationis, seu quòd sibi annuntiaretur hoc mysterium. Item quòd Incarnatio facta fuerit in sua civitate Nazareth. David autem meruit, quod nativitas Christi Domini fieret in sua civitate Bethlem. Simeon, & Anna meruerunt vide re ante mortem Verbum incarnatum. Et aliqui Patres vaticinari Incarnationem in solatium mundi: atque alias similes circumstantias. In quo convenire Theologos testatur G. Hurtado *disput.* 6. *diff.* 8. Addo ego, quòd etsi non omnibus antiquis, sit concedendum meruisse aliquas Incarnationis circumstantias: sicuti neque singulis Patribus, de quorum merito constat meruisse

se aliquam, aut aliquas; concedendum est meruisse omnes Incarnationis circumstantias: solùm enim est cócedendum tale meritum illis Patribus, respectu quorum aliqua specialis ratio hoc exigere videatur. Quod etiam est attendendum ad concedendum, illos meruisse hanc, & non illam circumstantiam. Tamen gloriosissimæ Virgini absolutè est concedendum meritum respectu omnium, & singularum circumstantiarum huius mysterij. Quia etsi non esset alia specialis ratio, sufficiebat, fuisse matrem Christi Domini. Quòd & ex dicendis de merito maternitatis ampliùs constabit.

70 Sed quamvis Auctores quasi conspirent in hoc, quòd aliqui antiqui PP. (hoc est, iusti, qui adventum Christi D. præcesserunt: sub quorū numero etiam B. Virginem comprehendimus) meruerunt aliquas Incarnationis circumstantias. De tribus tamen extat inter Doctores controversia, nēpè de circumstantia temporis; maternitatis, & stirpis. De quibus est singillatim disputandum.

DVBIVM XVII.

71 Petes decimoseptimò, an antiqui PP. meruerunt circumstantiam temporis, seu accelerationis Incarnationis? Respondetur affirmativè. Quia *propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus Psal. 11.* ergo istorum meritis Deus venit in mūdū *nunc*, seu in illo tempore potiùs, quàm in alio longiori: ly enim *nunc* accelerationem denotat. Quare, supposita possibilitate huius meriti, (vt suppono *ex num. 68.*) immeritò illis negaretur hoc meritum. ¶ Confirmatur: quia PP. petebāt talem accelerationem: ergo signum est illam potuisse mereri, & impetrare. Antecedens constat ex *Psal. 78. Veni domine, & noli tardare; cito anticipet nos misericordia tua.* Ita Scotus *in 4. disp. 2. q. 1. §. Ad primum argumentum vers. posset dici*; vbi id meritis Virginis cōcedere non renuit. Et proter eamdem rationem idem concederet meritis aliorum Patrum. Expressè autem tenent hanc conclusionem *Vazquez, Suarez, & Gasp. Hurtado, quos citat, & sequitur Felix cap. 9. diff. 1. addens Montesinos.*

72 Sed *Lorca disp. 12. num. 31. Castillo disp. 9. q. 7. num. 3. & Cabrera disp. 4.* oppositum defendunt: & obijciunt, quòd in illo signo, pro quo decreta fuit incarnatio quoàd substantiā, decreta fuit cū omnibus circūstantijs. Sed quoàd substantiam decreta est ante prævisionem Patrum: ergo sub illorū meritū cadere non potuit circūstantia accelerationis, aut quęvis alia. Maiorē probant ab incōveniente: sequeretur enim ex opposito, decretum ilud non fuisse perfectæ providentiæ. Respond. negando maiorem propter sæpè

pe conculcata in hac difficultate, præsertim à *num.* 59 Ad probationem dicimus perfectam providentiam postulare quidem quòd ab æterno decreverit Deus rem, & omnes eius circumstantias. Quòd autem hoc fiat vnico, vel multis decretis; in vno, vel pluribus signis rationis, non pertinet ad rectã providentiam; sed relinquitur exigentijs rerum: quæ sicut petunt, quòd priùs naturaliter existãt, quã quòd sint in loco, tẽpore, &c. ita petunt, quòd decretum de earum existentia præcedat ad decretum de circumstantijs essendi in hoc, vel illo loco, tempore, &c.

73 Obijciunt secundò, quòd Incarnatio fuit decreta ab æterno pro determinato tempore: ergo mutari nõ potuit propter aliquod meritum. Respondetur distinguẽdo antecedens: per primum decretum, nego: per aliud posterius supponens iam merita Patrum prævisa, concedo. Quare nego consequentiam, si intendat Incarnationem non potuisse decerni in hoc, vel illo tempore dependẽter à meritis Patrum: illam tamen concedo, si intendat, quòd posito iam decreto de circumstantia tẽporis, nequit mutari talis circumstantia per aliud decretum.

74 Obijciunt tertiò: merita Christi Domini, & eius Incarnatio pro quocumque signo æternitatis fuerunt prævisa sub singularitate: (semel posito decreto de earum futuritione(ergo sub determinato tempore. Probatur consequẽtia: singularitas enim pendet à tẽpore. Respondetur negando consequentiam, & eius probationem: quia ex nullo capite probari potest tempus primi mobilis, aut imaginarium esse necessarium ad singularitatem actionum, etiam si successivæ sint: vt benè vidit G. Hurt. *disp.* 6. *diff.* 8.

DVBIVM XVIII.

75 PEtes decimooctavò, an PP. ex quibus Christus Dominus descendit, meruerint circumstantiam stirpis, seu originis? Respondetur afrmativè. Quia sic à Deo fuisse dispositum, commendat & benignitatem illius, & merita Patrum. Confirmatur specialiter loquendo de Abraham, cui dictum est *Genesis* 22. *quia obedisti voci Dei, in semine tuo* (hoc est, in Christo Domino) *benedicentur omnes gentes.* Idem promititur Davidi *Ps.* 131. eo quod voluit ædificare templum Deo: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Ita *Vazq. disp.* 23. *cap.* 5. *Suar. dis.* 10. *sect.* 6. *Gasp. Hurtad. disp.* 6. *diff.* 10. *&* *Felix. cap.* 9. *diff.* 7.

76 Sed. *Lorca disp.* 22. *n.* 29. *Silvius q.* 2. *art.* 11. *&* *Castillo disp.* 9. *q.* 9. *num.* 28. oppositum defendũt & obijciunt, quòd progenitores Christi Domini fuerunt eius principium efficiens: ergo priùs fuerũt prævisi, quàm Deus decerneret Incarnationem: ergo ex gratia collata ex meritis Christi Domini

non

non potuerunt illam promereri. Respond. negando consequentias; quia physicum principium Incarnationis potuit esse effectus moralis illius: vt dicebamus n.66. Igitur Patres, & illorum merita decrevit Deus intuitu meritorum Christi Domini prævisi independenter ab his, vel illis progenitoribus: & postea intuitu illorum meritorum Patrum decrevit Deus, quòd Christus Dominus determinatè descenderet ab illis, seu quòd illi essent progenitores Christi D.

DVBIVM XIX.

77 PEtes decimononò, an B. Virgo meruit esse mater Christi Domini? Respond. affirmativè. Quia sic docent multi PP. *citati præcipuè à Lorca disp. 22 num. 2.* Nobis autem sufficiat illud Ecclesiæ tempore paschali. *Regina cœli lætare. Alleluya: Quia, quem meruisti portare, &c.* Secũdò, quia hoc est possibile sine aliqua inversione ordinis rerum: ceditque in excellentiam, & commendationem Virginis: ergo est illi concedendũ. Antecedens quoàd primã partem probant dicta *à num. 59.* Quoàd secundam autem in confesso est apud omnes. Consequentiã vero probant dicta *diff. 1. à. n. 18.* Tertiò, quia maternitas Virginis sic fuit dependens à consensu illius, vt sine eo (quem Virgo expressit verbis illis *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuũ:*) Verbũ nõ fieret homo ex vi præsentis decreti: vt passim dicũt Patres: ergo pra bendo consensum meruit esse mater Christi D. Sic D. Bonav, *in 3. d.4. art. 2. q. 2. Almainus, Altisiodorẽsis, Vazq. Suar. & G. Hurt. quos citat, & sequitur Felix c.9. diff.6.*

78 Sed oppositum defendunt *Siluius q. 2. art. 11. & Sotus.* Quod tamquã probabilius defendit Lorca *disp. 22. num* 9. & videtur hoc sequi Ragusa: quibus multum favet D. Thom. *3. p. q. 2. art. 1. in solutione ad 3.* Quam sententiã expressè defendit Castillo *dis. ., q. 6. num. 5.* citans Scotum *in 4. dist. 2. q. 1. §. Ad primum argumentũ vers. Posset dici.* Tamen Scotus ibi solùm negat Virginem meruisse ipsam Incarnationis substantiam, non tamen munus maternitatis: vt benè vidit præcitatus Felix. gitur hi objiciunt multos PP. dicentes, maternitatem non fuisse concessam Virgini ex meritis. Resp. hos PP. loqui de meritis factis ex libero arbitrio: vt notat Felix citatus; & constat ex D. Fulgentio *lib. 1. de incarnatione cap. 7.* dicẽte *Deum hominem factum concipere, ac parere, non humanis meritis;* (expẽde) *Sed potiùs nascentis, summaque Dei dignitate promeruit.*

79 Objiciunt secundò, quòd relatio maternitatis præsupponit, quòd Virgo habuerit aliquam causalitatem in humanitatem Christi Domini ergo causatio ista antecessit Christum Dominum; ergo non potuit esse ex meritis Christi Domini gratia collata Vir-

gnii ad merendum maternitatem ac per consequens, si Virgo meruit maternitatem, non fuit per merita facta ex gratia collata ex meritis Christi Domini. Respond. distinguendo secundā consequentiam; est enim vera de meritis in tempore executis; & falsa de prævisis. Itaque cùm B. Virgo fuerit causā physica efficiens humanitatis Christi D. gratiam, qua meruit esse mater illius, non recepit propter eius merita in tēpore executa: ista enim fuerunt elicita post merita, quibus Virgo meruit esse materRedēptoris. Recepit tamen ipsa B. Virgo gratiam ad illa merita necessariā propter merita Christi D. prævisa indepēdenter ab hac numero matre. Recolantur dicta. *n.59.56.*

DVBIVM XX.

80 PEtes vigesimò, an Virgo gloriosissima meruerit electionē ad maternitatē? seu maternitatē in intētione? Resp. affirmativè: Quia fuit possibile; & commendat excellentiam Virginis: idque probant verba illa Ambrosij *Epist. 28. Quid loquar? Quāta sit virginitatis gloria, quæ meruit à Christo eligi, vt esset etiā corporale Dei templum?* Sic *Valencia disp. 2. q. 2. puncto 8. & Vazq. disp. 23. cap. 4.*

81 Sed à fortiori oppositum defendunt Auctores *num. 78. citati Quibus adde Suarez, & montes. quos sequitur Felix cap. 9. diff. 6.* Et obijciunt, quòd ex Scoto *in 1. dist. 40. §. Ad quæstionem, & dist. 41. §. Potest aliter* ordinatè volens prius vult finem, quàm ea, quæ sunt ad finem. Sed maternitas est finis meritorum Virginis: (subdit Felix) ergo prius fuit volita, quàm merita: ergo intentio illa nō potuit esse propter illius merita. Probatur minor: quia ideò tanta gratia Virgini fuit collata, vt mereretur esse digna mater Dei. Respondetur negando minorem. Ad probationem dico, potiùs contrarium evenisse. Ideò enim electa est in matrem, quia prævisa est cum tantis meritis. ¶ Dices, quo fine Deus tot merita accumulavit in Virgine? Respondetur, quòd ad ostendendum divitias suæ liberalissimæ misericordiæ, &c.

82 Itaque ficut in Christo Domino priùs voluit Deus summam gloriam, & gratiam, quàm vnionem hypostaticam, teste Scoto *in 3. dist. 7. quæstion. 3. §. Sed hic sunt, versic. Secundum. dubium:* ita, in Virgine priùs voluit gloriam, gratiam, & merita, quàm quòd esset mater Christi Domini. Quare sic mihi est in præsenti philosophandum. Primum, quòd Deus voluit efficaciter ad extra fuit summa gloria, summaque gratia communicanda creaturæ; seu humanitati sibi vniendæ in vnitate personæ. Posteà completa tota serie, & ordine prædestinationis Christi Domini fecit transitum divina voluntas ad puras creaturas; & primò voluit

ex meritis Christi Domini communicare maximam (immo, & summam; vt ego opinor, & non semel publicè propugnavi in hac celebri Complutensium academia) gloriam, gratiam, & merita illi gloriæ correspondentia B. Virgini cum omnibus illis excellentijs; & privilegijs sibi convenienter possibilibus: quibus iam prævisis, & futuris decrevit, vt eadem esset mater sui filij dilectissimi. ¶ Quando autem PP. dicunt tantam gratiam, tantaque merita fuisse Virgini collata, vt esset digna mater Dei; non loquuntur de ordine decretorum, seu de meritis in æternitate dispositis, & à Deo prævisis sub absoluta futuritione; sed de gratia, & meritis realiter in tempore exhibitis. In quo statu multa quidem merita Virginis præcesserunt antequàm assumeretur, seu in executione temporali eligeretur in matrem Dei; & præcipuè præcessit humillima illa resignatio Virginis in voluntatem Dei: de cuius excellentissimo valore, & merito ferè incredibilia dictant PP. sufficiat pro nunc noster D. Bernard. Senensis tom. 2. serm. 51. art. 3. cap. 1. sic fatus: *B. Virgo, quando præbuit consensum illis verbis: Ecce ancilla Domini, &c. plus meruit, quàm omnes homines per omnia opera sua.* Igitur PP. attendentes hæc merita Virginis, quæ realiter fuerunt in tempore exhibita ante Incarnationem, dixerunt, tantam gratiam, tantaque merita fuisse Virgini collata, vt esset digna mater Dei. Cum quo benè cohæret, quòd in æternitate, seu in prævisione, & dispositione divina gratia Virgini collata fuerit antequam decerneret Deus, quòd esset Christi Domini mater: & consequenter, quòd propter eximia illius merita in matrem fuerit electa.

83 Potest etiam aliter responderi prædicto argumento, nempè concedendo vltimam consequentiam de meritis prævisis, vt absolutè futuris: & negando de meritis prævisis quasi sub spe futuritionis. Fuit enim maternitas efficaciter intenta, vt præmium per modum anticipatæ solutionis, seu vt præmium meritorum, quæ sciebat Deus, se posse disponere, quòd haberet Virgo; quàmvis pro tunc, seu pro illo signo non prævidebātur futura absolutè, sed solùm quasi in spe. Recolantur dicta à *num.* 19.

84 Ex *num.* 28. constat B. Virginem priùs fuisse electam ad gloriam, & gratiam; priùsque elicuisse multa, & eximia merita, quàm eligeretur in matrem Dei; immo quia visa est cum tot, tantisque meritis electa est in matrem Christi D. sed quoniam contrariū defendunt *Suar. Vazq. & Montesinos citati à nostro Felix cap. 9. diff. 6. necnon & Lorca cum Siluio*: quibus non parum favere videtur *D. Thom. 3. par. quæst. 2. art. 11. in solutio-*

lutione ad tertium teste Gasp. Hurt. disp. 11. *in principio.* Necessarium est, solvere quod nobis obijciunt. Igitur existimant hi, B. Virginem priùs fuisse electā ad maternitatē, quàm ad gratiam, & gloriam; & obijciunt, quod maternitas fuit finis meritorum Virginis, seu quòd merita Virginis fuerunt ei collata, vt esset digna mater Christi Domini: ergo priùs fuit electa ad maternitatem. Respond. negando antecedens propter dicta *num.* 82. ¶ Obijciunt secundò, quòd maternitas est maius donum, quàm gloria, & gratia collata Virgini: ergo Virgo priùs fuit electa ad maternitatem. Resp. negando antecedens propter dicta *cap.* 1. *diff.* 0. *àn.* 6.]

DVBIVM XXI.

85 PEtes vigesimoprimò, an B. Virgo meruerit de condigno maternitatem Christi Domini? Respondetur affirmativè Quia hoc est possibile sine aliqua inversione ordinis rerum, ceditque in excellentiam Virginis: ergo sic est propugnandum. Confirmatur: quia id sonant multæ Patrum auctoritates. Sufficiat D. Ambrosius *lib.* 2. *de Virginibus parùm post principium* dicens: *Quid in singulis morer? digna fuit, ex qua filius Dei nasceretur:* Et Ecclesia in quadam collecta: *dignum filij tui habitaculum effici meroretur.* Et iterum: *Quæ sola fuisti digna portare Regem cælorum.* Hanc conclusionem defendunt *Abulensis parado*xo 1. *cap.* 34. *&* 38. *Almaynus in* 3. *dist.* 4. *q.* 1. *dub.* 3. *Maior, & Gab. citati à Suarez disp.* 10 *sect.* 7. His adde eruditissimum Henricum de Villegas primarium Cathedraticum huius Complutensis academiæ, à quo anno 1635. (tunc tēporis Scoti Cathedram moderabatur) egomet audivi, eamque docuit super 3. *dist.* 4. *quæst. vnica citans etiam Basolium n* 3. *dist.* 4. *q. vnic. art.* 3.

86 Sed oppositum defendiit. *Suar.* 10. *sect.* 7. *Vazquez disp.* 23. *cap.* 4. *Gasp. Hurtado. disp.* 9. *& communis sententia,* quæ affirmat, hoc meritum Virginis solum fuisse de congruo. Item *D. Bonav. in* 3. *dist.* 4. *art.* 2. *q.* 2. *Marsilius in* 3. *q.* 5 *art.* 3. *dub* 3. *conclusione* 2. *&* 3. *& Ricardus in* 3. *dist.* 4. *art* 3. *q.* 1 dicentes, hoc meritum fuisse de digno. Huc etiam possunt vocari Auctores *num.* 78. citati, quamvis enim illos citaverimus pro sententia, quæ negat, Virginem meruisse esse matrem Christi Domini, & in re sic sentiant prædicti Auctores. Tamen adeò apertè dictitant PP. meruisse Virginem esse matrem Dei, vt nullus Catholicus sine temeritatis nota, hoc auderet negarè absolute. Quare prædicti Auctores dicunt absolutè, Virginem non habuisse meritum respectu maternitatis; sed quòd meritum à Patribus passim assertum, seu Virgini attributum respectu maternitatis, est meritū improprium. Legatur Lorca *disp.* 22 *n.* 21. vbi dicit, proprium meritū esse

esse actionem dignam præmio. Improprium autem meritum dicit significare coaptationem quãdam, & correspondentiam vnius ad alterum. In qua significatione Ecclesia canit in benedictione cerei Paschalis: *O Felix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem*: & D. Cyprianus *Epist.* 8. dicit, paruulos meruisse, vt assumerentur ad æternam beatitudinem. ¶ Tamen, vt benè vidit G. Hurt. *disput.* 11. *in principio*, cum Diuo Gregorio, & alijs PP. citatis à Vazquez. *disp.* 23. *cap.* 2. *à num.* 6. absolutè dicant, B. Virginem meruisse, esse matrem Dei, sine sufficiente fundamento explicãtur de merito improprio, quod in rigore non est meritum. Et ideò nos *n.* 78. Auctores huius sententiæ adduximus pro sententia quæ absolutè negat, Virginẽ gloriosissimam meruisse maternitatem. Sed, hoc omisso, prædicti Auctores etiam militant contra hanc nostram conclusionem numero præcedenti probatam.

87 Igitur hi omnes conspirant contra nostram conclusionem; & obijciunt, quòd aliquando ab Ecclesia, & Patribus meritum sumitur impropriè: (vt nuper dicebamus, & probabamus) ergo non est certũ, quòd Virgo propriè meruerit maternitatem. Respond. negando consequentiam. Auctoritates enim Scripturæ, Ecclesiæ, & Patrũ solùm tunc sunt accipiendę in sensu improprio, quando, si accipiãtur in sensu proprio, sequitur aliquod incõmodum: quod nullũ est in præsenti. Et ideò Patres dicẽtes, gloriosissimã Virginẽ meruisse esse matrẽ Christi D. ad vnguem, & vt sonant intelliguntur.

88 Dices, hinc nos incidere in sententiam D. Bonav. & c. affirmantium, Virginẽ solùm de digno meruisse esse matrem Christi D. Patet; quia illæ auctoritates sanctorum, vel saltem illarum multæ, illam appellant dignam vt esset mater Dei: si ergo auctoritates illę vt sonant, sunt accipiendæ, solũ meritum de digno, & nõ de codigno debemus Virgini cõcedere. Resp. negando sequelam: quia theologicè loquendo ly *condignum* adaptatur merito, non autem personæ merenti. Vnde si persona merens dignificata fuerit per gratiam sanctificantẽ, & opus eius habeat alias conditiones ad meritum condignum requisitas *in tract. de Merito*; (nempè quòd opus sit honestum; factum ex auxilio gratiæ; liberum libertate cõtingentię, & adsit pactum de præmio pro tali opere cõferendo) opus euadet meritorium de cõdigno. Et ideò Auctores cõmuniter reijciunt meritum illud dignũ, aut de digno D. Bonav. & c. affirmant enim, quòd, suppositis dictis conditionibus, & dignitatę personę per sanctitatẽ, vniuersum illius meritum est condignum.

89 Instabis, nõ constare de pacto, seu acceptatione diuina, qua Deus promiserit Virgini maternitatẽ: ergo illã nõ meruit de cõdigno. Resp. negãdo antecedẽs: quia

sufficienter cõstat ex locis Scripturæ, in quibus facta est promissio adventus Christi Domini (vt est ille: *Benedicentur omnes gentes in semine tuo Genes. 26. n. 4. & alibi sæpè*) Etenim manifestata est Incarnatio, seu manifestatum est, Christũ D. nasciturum, vt singulæ fæminæ excitarentur benè operari ad merẽdũ bonis operibus, vt ex earũ stirpe Christus D. duceret originẽ, & vt fæminæ se disponerẽt ad merendum munus maternitatis. Sicque se disposuisse Virginem, dictitant PP. ¶ Resp. secundò, pactũ contineri Verbis illis: *Ecce virgo concipiet, & pariet, &c. Isaiæ 7. n. 14.* ¶ Resp. tertiò, quòd quavis nõ constaret expressè de pacto, præsumendũ foret, non defuisse. Non enim alia ratione dicimus, fore credendum, nõ deesse pactũ, (de quo non constat) vt concedamus, Christũ D. meruisse vniones partiũ, quas per nutritionẽ acquirebat; necnõ & cõservationẽ suæ vnionis; vt dicebamus *n. 37. & 38.*

DVBIVM XXII.

90 PEtes vigesimosecundò, an B. Virgo meruit de cõdigno nõ solũ maternitatẽ, sed etiã electionẽ in matrẽ? Resp. affirmativè propter dicta *n. 80. & 85.*

DVBIVM XXIII.

91 PEtes vigesimò tertiò, quibus actibus præcipuè meruit Virgo munus maternitatis Dei? Resp. quod præbendo cõsensum ad opus Incarnationis: qui cõsensus fuit adeò valorosus, & meritorius apud Deum, vt per eum plus meruerit, quã omnes aliæ creaturæ per omnia opera sua: vt expressè fatetur D. Bernardinus *n. 82.* citatus. Igitur (vt ego opinor) per talem consensum B. Virgo de condigno meruit non solũ gloriam tanto merito correspondentem; sed etiam simul esse mater Dei. ¶ Nec est inconveniens, vnum, & idem Virginis opus mereri vtrumq; præmiũ. Sicut enim opus Christi D. fatemur esse dignum, & meritorium cuiuscũque præmij possibilis ob eius summã, vel infinitam acceptabilitatem: pariformiter dicimus consensum Virginis ob dignitatẽ, & quasi infinitã excellẽtiam illius potuisse à Deo ordinari, seu acceptari ad vtrumque præmium simul condignè merendum. Sicque cõtigisse de facto in tantæ Reginæ, & reparatricis perditi orbis (ita eam appellat Anselmus *de laudibus Virginis c. 8.*) excellentiã, & cõmendationem piè credo, & probabiliter propugno.

92 Ex quibus omnibus concludo, B. Virginem meruisse de condigno (saltem per modum anticipatæ solutionis) omnia illa, quæ in ipsa reperiuntur, & absque incõmodo de eius excellentia possunt affirmari. Quare sic meruit (inter alia) præservationẽ à peccato originali: quæ fuit remota dispositio, seu congruentia ad hoc; vt esset digna mater Dei: cuius præcibus salvari speramus.

DIFFICVLTAS III.

De spectantibus ad causam finalem, seu motivum Incarnationis.

NOn pauca huc spectantia discussa sunt *cap.1.diff.4.* vbi de necessitate Incarnationis fuit sermo. Quibus suppositis reliqua omnia, quæ de motivo, aut causa finali Incarnationis desiderari possunt, comprehendemus disputando hanc difficultatem; vtrum Adamo non peccante, Verbum fieret homo? aut Christus Dominus veniret ex vi præsentis decreti?

DVBIVM I.

1 PEtes primò, quæ sint certa in hac difficultate? Respondetur in primis esse certum, quòd *vniversa propter semetipsum operatus est Dominus. Proverb. 16. num.4.* Et meritò: vilesceret enim Deus, si ab aliqua creatura moveretur. ¶ Item est mihi certum, doctrinam illam Tridentini *sess.6 cap. 7.* loquentis de iustificatione esse extendendam ad vniversa Dei opera. Sicut enim causa finalis nostræ iustificationis primo loco assignata *est gloria Dei*. Ita respectu cuiuscumque operis primò, & tamquam principalissimum finē vult Deus gloriam, & ostensionē suorum attributorum.

2 Vnde constat, quòd quando in præsenti quærimus finem Incarnationis, non loquimur de fine primo loco, seu generaliter à Deo intēto per Incarnationem; (quem constat esse gloriam Dei) sed de fine specialiter intento, seu quem per Incarnationem proximè immediatè, & specialiter consequitur Deus. Recolantur dicta *cap.1.diff. 3. num. 15.* ¶ Insuper constat, quòd in præsenti nō sumimus *motiuum* strictè: à nullo enim creato, sed à semetipso motus est Deus ad operandum Incarnationem; sicut & quodcumque opus ad extra; sed sumimus motivum latè, nempè pro illa occasione, à qua non quidem motus est Deus; sed concipimus fore movendum, si esset capax motionis ab extrinseco; sicut sunt creaturæ. In qua lata acceptione vocamus motivum, seu occasionem obiectum illud, quod in executione primò, proximè, & immediatè attingit divina volitio prout terminata ad creaturas.

3 Demum certum est, motivum, seu occasionem decernendi adventum Christi Domini, vt redemptoris per crucē, & passionē fuisse redemptionem generis humani: & consequenter, quòd deficiente peccato Adæ, & consequenter deficiente congerie omnium aliorum peccatorum (vniversa quippè hominum peccata à peccato Adæ duxerunt originem) deficeret hoc decretum de adventu Christi Domini vt re-

redemptoris : & consequenter Christus D. non venisset, vt redēptor ex vi præsentis decreti. Quo saltèm modo sunt intelligendæ multæ auctoritates Scripturæ, & Patrum, quibus perspicuè dicitur, non venturum Christum D. deficiente peccato : quarum aliquot infra adducemus.

DVBIVM II.

4 Petes secundò quid dixerint Auctores in hac difficultate? Respond. tres esse sententias. Prima dicit, Verbum factum fuisse carnē occasione peccati. Quare affirmat ; quod si Adamus non peccaret, Christus Dominus non veniret ex vi præsentis decreti. Ita *D. Thom. 3. p. q. 1. art. 3. & in 3. d. 1. q. 1. D. Bonav. Argentina, Azor, Caiet. Capreolus, Ferrara, & communiter Thomistæ, quos sequitur Vazq. disp. 10. cap. 4.* ¶ Secunda sententia dicit, Christum Dominum fuisse quidem prædestinatū ante prævisionem peccati : addit tamen, non venturum ex vi præsentis decreti, Adamo non peccāte: quoniā quamvis prædestinatio Christi D. decreta fuerit independēter à peccato Adæ, vt ab occasione, & motiuo; fuit tamē decreta depēdēter ab illo, tāquam à medio necessario, vt executioni mādaretur. Ita *Suar. disp. 5. sect. 2. Lorca disp. 10, memb. 2. & insinuat Val. 3. p. disp. 1. q. 1. punct. 7. estque sententia plausibilis non paucis Recentioribus; eamque significare Irinæum, Cirillum, testatur Villegas citatus n. 85.* ¶ Tertia sententia affirmat, ita primariò Deū in gloriam suam decreuisse Incarnationem, vt, quamvis Adamus non peccasset, Filius Dei sumeret carnem ex vi præsentis decreti. Ita *Scotus in 3. dist. 7. § Sed. hic sunt, vers. c. Sine præiudicio, & dist. 19. §. In ista quæstione versic. Quantum ad primum; & in Report. dist. 7 quæst. 4. §. Tertiò declarandum est, versic. Dico tamen, Mafroni, Bassolis, Lichetus, Tratarctus, Orbelis, Aretinus, Nisse, Rada, Fabro, & reliqui Scotistæ. Idem docent Alensis, Albertus Magnus, Albertus Pigius, Catharinus, Galatinus, Valentia, Viguerius, Genebrardus, Fevardentius, & Mendoza citati præsertim à prædicto Henrico de Villegas.*

DVBIVM III.

5 Petes tertiò quid sit tenendū? Dico primo : Incarnatio decreta fuit independenter à peccato, tamquàm à motivo. Quia in Scriptura Incarnatio dicitur primum opus Dei : vt constat ex illo *Ecclesiastici 24. Ego ex ore altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam.* Quòd de Christo Domino intelligit Concilium Sardicense in Epistola ad omnes Episcopos. Constat etiam ex illo *Proverb. 8. Dominus possedit me initio viarum suarum.* Vbi Septuaginta legunt. *Dominus creavit*

me initium viarum suarum. Quæ verba de Sapientia Incarnata intelligunt omnes ferè antiqui PP. teste Suar. *disp. 5. sect. 2* Sufficiat nobis Cyrillus Alexand. *lib. 5. Thesauri cap. 4. & 8.* dicens. *Quærendum est, quis est, qui dicit: Dominus creavit me?* Et respondet: *Christus homo iam factus*. Igitur cùm hæ auctoritates non possint intelligi de prioritate, seu prioritate existentiæ temporalis; (multa enim extiterunt ante Incarnationem) intelligendæ sunt de antecessione, seu prioritate in ordine decretorum. Modo sic argumentor. Incarnatio fuit primum opus à Deo decretum: ergo in illo signo non fuerat decreta permissio peccati: ergo non habebat esse futuritionis: ergo non potuit esse motivū, seu occasio decernendi Incarnationem. Probatur vltima consequentia: quia motivum, seu occasio decernendi aliquod debet præcedere in cognitione decernentis ad decretum illius, cuius est motiuum, seu occasio.

6 Secundo probatur ex Scoto citato, num. 4. (& est ratio, quare Incarnatio est primum opus Dei) Ordinatè volens primò vult finē, & postea immediatiùs vult illud, quod est immediatius ad finem. Sed Incarnatio longè superat in perfectione omnia opera ad extra: & consequenter magis appropinquat Deo, seu est immediatior Deo: ergo primum, quod Deus (postquam se dilexit) efficaciter voluit ad extra, fuit Incarnatio.

¶ Nota, quòd *Incarnatio* in hac probatione non sumitur præcisè pro vnione hypostatica, sed quatenus etiam involvit summam gratiam, summam gloriam, necnon & reliquas alias perfectiones in Christo D. repertas. Si enim cōpararemus vnionem præcisè sumptam cum summa gloria Christi D. non illam superat in perfectione; sed potiùs è contra; iuxta dicta *c. 1 diff. 6 à num 6.*

7 Tertio probatur: si enim lapsus esset causa prædestinationis Christi D. sequeretur, quod summum opus Dei esset occasionatum; & quòd tantum opus non fieret in casu, quòd Adamus benè operatus fuisset: quod videtur valde irrationabile. (concludit Scotus *vers. Item si lapsus*) Quare *vers. Dico tamen* dicit, *quòd si non fuisset Angelus lapsus, nec homo; adhuc fuisset Christus D. prædestinatus: immo, etsi non fuissent creandi*. Et meritò: est enim Incarnatio primum Dei opus, quod supponitur efficaciter volitum independenter ab alijs.

8 Dico secundò: Incarnatio fuit decreta independenter à peccato, tamquam à medio. Quia efficax intentio finis nullum mediū determinat, quando sunt plura media ad consequutionem illius. Sed Incarnatio supponitur efficaciter volita ante prævisionem peccati; (ex prima conclusione) & alias generī humani redemptio nō est vnicum medium ad exequendum Incarnationem: ergo, Incarna-

natio fuit decreta independenter à peccato tamquàm à medio. Probatur minor quoàd secundam partem. Primum enim decretum, quo Deus decrevit fieri homo, poterat impleri sine posteriori de redimendo mundum; vel quia homo non ceciderit: vel quia (in supositione, quòd cecidisset) nolebat Deus hominem reparare: sicut noluit reparare Angelum.

¶ Confirmatur, & declaratur: quia sicut in reali existentia physica substantia rei non determinans modum potest salvari sub isto, aut sub illo modo: (vt patet in motu, qui salvatur sub velocitate, aut sub tarditate; in qualitate, quæ salvatur sub remissione, aut sub intensione; &c.) ita in ordine decretorum, decretum respiciens substantiam rei salvatur, seu salvari potest cum isto, vel illo decreto de isto, vel illo modo rei. Et consequenter efficax decretum de adventu Christi *D.* quod abstrahebat ab hoc, quòd redimeretur, vel non redimeretur homo, æquè benè fuisset completum sine decreto redimendi hominem, ac impletum est cum illo.

9 Dico tertiò: ex vi præsentis decreti Christus Dominus veniret, Adamo non peccante. Quia si Deus efficaciter decrevit fieri homo independenter à peccato tãquam à motivo, aut occasione; (vt probavimus in prima conclusione) necnon, & tamquam à medio determinato; (vt probavimus in secunda) planè infertur, quòd deficiente peccato Deus exequeretur tale decretum.

DVBIVM IIII.

10 PEtes quartò, solutionem argumentorum, quæ cõtra prædictas conclusiones fiunt. Igitur multa Scripturæ, & Patrum testimonia sonant, Christum Dominum non venturum, deficiente peccato; vt sunt illud Matth. 18. *Venit filius hominis salvum facere, quod perierat.* Et alibi sæpe. Pro testimonijs Patrum sufficiat Augustinus; *serm. 9. de verbis Apostoli* dicens: *Nulla causa fuit Christo veniendi, nisi vt peccatores salvos faceret. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla est causa medici:* ergo Adamo, non peccante, Christus D. non veniret. Respondetur negando consequentiam: quia prædictæ auctoritates sunt intelligendæ de Christo Domino in carne passibili, & vt Redemptore, iuxta notata *num.* 3. Itaque non venisset, vt Redemptor, & vt passurus, aut redempturus, nisi aliquis priùs peccasset; neque fuisset gloria carnis dilata, nisi fuissent redimendi homines; sed statim fuisset totus Christus glorificatus. (inquit Scotus *in Repotat. in 3, d. 7. quæst. 4. §. Tertiò declarandum vers. Dico, quòd*)

11 Sed contra hanc solutionem insurgit Vazquez: ergo secundùm hanc responsionem hæc propositio tantùm est vera: *Christus Dominus vt passibilis, venit prop-*

propter redemptionem hominum: ista autem est falsa: *Christus Dominus venit propter redemptionem hominum.* Probatur, quia quod est causa solius circumstantiæ (v. g. quòd Petrus veniat nudus, vel pauper) non est sufficiens, vt absolutè dicatur causa veniendi. Respondetur, absolutè loquendo vtramque illam propositionem esse veram: quia quamvis substantia Incarnationis decreta fuerit independenter à redemptione: & consequenter foret ponenda in rerum natura, quamvis peccatum, non foret redimendum: tamen de facto prædictæ substantiæ accessit modus passibilitatis per aliud novum decretum. Vnde fit, quod quæcumque auctoritates, & quæcumque propositiones absolutè acceptæ debeant intelligi, non de Incarnatione secundùm se, seu præcisa à modo; sed de illa sub illo modo, quem de facto habuit. Quare propositio illa, *Christus Dominus venit propter redemptionem hominis*, absolutè est vera; essetque falsa cum restrictione ista: *Christus Dominus quantùm ad substantiam*, seu cum ista. *Christus Dominus quatenus abstrahit à modo passibilitatis*, aut cum alia simili.

12 Objiciunt præterea argumenta, quorum multa ex ordine, quem servavit Deus in decernendo Incarnationem, & nos explicuimus *diff. 2. à num. 56.* facilè solvi possunt. Tamen vnum, aut alterum, & proponemus, & solvemus. Igitur objiciunt, quòd omnia, & singula opera Christi Domini fuerunt opera redemptionis: ergo etiam actus amoris, religionis, &c. abstrahentes à carne passibili supponebant captivitatem, & peccatum. Sed Adamo non peccante non foret captivitas per peccatum: ergo neque illa merita, neque Incarnationis substantia. Respondetur distinguendo primum consequens: absolutè nego: extensa ad satisfaciendum pro peccato, concedo.

13 Itaque sic ego intelligo, Christum Dominum satisfecisse pro peccatis hominum per actus charitatis, religionis, & cæteros omnes, quos præviderat Deus, & decreverat ante prævisionem peccati. Pro illo namque priori signo decreverat prædestinare Angelos, & homines, totumque hunc mundum visibilem creare propter illa merita Christi D. prævisi tunc abstrahentis à carne passibili, & sine meritis crucis, & passionis. Videns tamen in alio posteriori signo, eum futurum esse Redemptorem per nova merita crucis, quasi extensa fuerunt præcedentia merita ad ipsummet præmium, quod Christo Domino erat dandum propter merita crucis. Fuit autem facta hæc quasi extensio præcedentium meritorum Christi D. non quia merita in carne passibili essent insufficientia pro redẽptione hominũ, (quodcũque enim erat superabundans: cùm

cùm esset opus Theandricum) sed vt sic verum esset Christum D. per omnia, & singula opera nostrã redemptionem meruisse; immo, & quodcumque præmium, ad quod poterat ordinari. ¶ Dices: ergo propter eamdem rationem quasi per retrotractionem (vt sic loquar) extendenda sunt merita crucis, & passionis ad merendum prædestinationem Angelorum, & hominum, omniaque alia, quæ supponebantur prævisa, & volita ante talia merita. Respondetur, me haud ægrè concessurum consequentiam. Adverte tamen, quãdo à Scoto, vel ab alio Classico negetur, prædestinationem, vel mundi creationem factam fuisse propter merita crucis, & passionis, loquuntur de his meritis sine prædicta extensione per retrotractionem; & solùm volunt declarare, ante decreta, & prævisionẽ meritorum Christi D. in carne passibili, decretam fuisse prædestinationem, mundi creationem, &c.

14 Omissa ergo ista posteriori extensione meritorum passionis, & regrediẽdo ad priorem de meritis quoàd substantiam, talem extensionem posse contingere, probat exemplum visionis beatæ. Dicunt enim multi, videri creaturam, quam Deus de novo manifestat Beato, per eandemmet visionem, qua videbat Deum, addita quadam extensione eiusdem visionis ad illud novum obiectũ. Simili ergo modo meritum Christi D. quoàd substantiam, quod in priori signo nõ attingebat redemptionem hominum, illam attingere potest in alio posteriori signo per quamdam quasi extensionem sui ad novum illud præmium; seu per hoc, quòd Deus de novo ordinet illud quasi antiquum meritum Theandricum ad istud novũ meritum. ¶ Vnde patet solutio *n.* 12. allata. Si enim non forent peccata, merita Christi D. quoàd substantiam (scilicet actus charitatis, religionis, &c.) absolutè forent; non tamen fuissent extensæ ad merendum hominum redemptionem.

15 Sed specialiter adhuc obijcit secunda sententia aliquas instantias. Medicus enim priùs vult sanitatem infirmi, quàm media ad illam; & tamen non erit sanitas, si non adhibeantur media. Itẽ Deus priùs vult, terram fructificare, quàm seminari; & tamen non erit fructificatio, si non fuerit seminatio. Insuper, & in Deo est voluntas dandi gloriam prædestinatis prior quàm voluntas dandi gratiam, & merita; & tamen non erit à parte rei consequutio gloriæ sine meritis, & gratia. Igitur à simili ex eo quòd prædestinatio Christi *D.* facta fuerit ante prævisionẽ peccati, non sequitur, quòd, deficiente peccato, Christus *D.* veniret. Respondetur nullum horum vrgere. Medicamenta enim sunt media omninò necessaria ad consequendum salutem intentam: & consequenter efficax intentio salutis dependet ab illis, tamquam à

à medijs. (Idem dico de semine, vt terra fructificet; necnon & de meritis ad consequendum gloriã intentam, vt coronam.) Incarnatio autem, seu adventus Christi D. (quam decreverat Deus propter gloriam suam; ad manifestandum sua attributa; ad nobilitandum genus humanum; ad excitandum hominum amorem erga se ipsum, &c. iuxta dicta *cap.* 1. *diff.* 3. *a num.* 11.) poterat exequi redimendo homines, & illos non redimendo; sicut de facto fuit executus non redimendo Angelos.

16 Dices: de facto fuit executa Incarnatio redimendo homines: ergo extat decretum de redemptione hominum: ergo ex vi præsentis decreti non veniret Christus D. deficiente peccato. Respondetur distinguendo vltimum consequens: ex vi præsentis decreti respicientis substantiam tantùm Incarnationis, seu adventus Christi D. nego: quia eademmet substantia Incarnationis, seu adventus Christi D. poneretur in executione, etiam si per subsequens decretum Christus Dominus fuisset decretus impassibilis. Ex vi præsentis decreti respicientis modum passibilitatis, concedo. Supposito enim, quòd decretum de modo pendebat, tanquam à motivo, seu occasione à peccato, isto deficiente, Christus Dominus non veniret cum isto modo, sed cum opposito (sive ad hoc sit necessarium novum decretum, sive non; sed impassibilitas quasi naturali sequela sit ponenda ad positionem gloriæ animæ in corpore cum illa coniuncto) Hoc tamen non est contra nos, qui solùm dicimus, quòd ex vi præsentis decreti, quo decreta est Incarnatio, quoad substantiam veniret Christus D. etiam si Adamus non peccaret; licèt, non cum modo passibilitatis per mortem, & crucem.

DVBIVM V.

17 PEtes quintò, quodnam peccatum fuerit motivũ, seu occasio decernendi advẽtum Christi Domini passibiliter? Respondetur, cumulum seu congeriem omnium peccatorum, tam originalium, quàm personalium, tàm mortalium, quàm venialium fuisse occasionem, & motivum. Itaque adventus Christi D. per crucem, & passionem non fuit decretus quoadvsque vidit Deus peccatum Adami, necnon, & omnia, & singula aliorum hominum. Quia *sanguis Christi Domini emundat nos ab omni peccato* 1. *Ioan.* 11. *& ipse est propitiatio pro peccatis nostris, & totius mundi c.* 2. & alibi sæpè: ergo decrevit De⁹, quod nos mundaret per passionem, & sanguinem: ergo omnia, & singula peccata fuerunt motivum, aut occasio decernendi passionem, & mortem Christi D. seu quòd veniret passionem, & crucẽ subiturus.

18 Dices, intervenisse plura decreta,

creta, per quorum primum statim ac Deus vidit peccatum Adami, & quòd posteris imminebat, decrevit adventum Christi Domini morituri: postea vero positis decretis permittendi transfusionem illius peccati in posteros, & consequenter visis iam posteris infectis peccato originali, necnon & positis multis alijs decretis permittendi omnia, & singula peccata actualia singulorum hominum, de novo decrevit redemptionem ad omnia illa, seu decrevit, quòd Christus Dominus, non solùm veniret, vt Redemptor peccati Adami, sed etiam totius posteritatis, quasi extendendo munus Redemptoris ad omnia hominum peccata. Ad modum quo *à num.* 13. dicebamus, merita Christi D. quoàd substãtiã fuisse extẽsa ad prę miũ, quod Christo D. dandũ erat vi Redemptionis. Resp. immeritò in præsenti multiplicari decreta; cùm necessitas non cogat. Sicut cogit ad ponendum diversum decretum circa modum, aut medium, ac circa substantiam, aut finem. Itaque sicut in rebus ipsis substantia rei habet esse completum per diversam actionem, ac habet suus modus. (vt patet in Petro v. g. & eius subsistentia; in motu, & eius tarditate, aut velocitate; in qualitate, & eius intensione, aut remissione; &c.) res enim habet esse per actionem agentis per se terminatam ad ipsam rem; modus autem habet esse per quamdam resultantiam, seu pullulationem ab ipsa re, cuius est modus. Ita ponendum necessariò est vnum, & aliud decretum, per quorum primum res accipiet esse futurum; & per posterius modus accipiat futuritionem. Pariformiter loquendum est de fine, & medio: volitio enim efficax, qua intendo finem, non attingit expressè medium; (præsertim quando sunt plura media) & ideò est necessarius alius actus voluntatis, (electionem vocant) qua expressè assumam hoc medium præ alijs ad consequendum finem. Propter quod, cùm efficax volitio Dei de adventu Christi Domini præcesserit ad prævisionem cuiuscumque peccati; possetque adimpleri prædicta volitio sivè redimendo hominem, sivè illum, non redimendo: (vt ex supra dictis suppono) fit, vt necessariò cogamur ad distinguendum decreta diversa, quorum vno Deus decreverit adventum Christi D. independenter à peccato; & alio decreverit, quòd esset Redemptor per crucem, mortem, & passionem. In præsenti autem nihil nos cogit ad distinguendum diversa decreta, per quorum primũ Christus D. decernatur Redemptor, viso tantùm peccato Adami; & per aliud visis iam reliquis peccatis, decretus fuerit omnium peccatorum Redemptor.

19 Dices: quomodò ergo salvabitur præservatio Virginis ex passione prævisa? Respondetur

tur facilè salvari hoc modo. Propter merita Christi Domini quoad substantiã (nempè propter actus charitatis, religionis, &c.) præservata fuit B. Virgo ab omni peccato, tàm originali, quàm actuali. Postquàm autem Deus vidit merita Christi Domini in carne passibili, decrevit, quòd etiam propter illa merita crucis, & passionis præseruaretur in executione in tempore exhibenda: vt sic B. Virgo diversis meritis, & titulis præseruata existeretà peccato. Quòd ad excellentiam, & cõmendationem Christi Domini merentis; necnon, & ipsius immaculatæ Parentis fruentis tali præservatione non mediocriter spectat. Habere enim aliquid diuersis titulis, & meritis cedit in excellentiam, & possidentis, & illius cuius meritis possidetur.

20 Vnde patet, quomodò sint intelligendi diversi modi philosophãdi in præsenti, quos referunt præcipuè Castillo *disp. 4. q. 2. num. 5. & Felix cap. 4. diff.* 2. Itaque dixerunt aliqui; Christum Dominum venturum, ut Redemptorem; etiam si non fuisset peccatum originale, dummodò fuissent actualia mortalia tot, vt inficerent omnes homines, aut maiorem partem illorum. ¶ Econtra autem alij negarunt, venturum, vt Redemptorem; deficiente peccato originali. ¶ Dicunt alij, venturum vt Redemptorem propter vnicum peccatum mortale, dummodo esset alicuius prædestinati; non tamen propter vniversa peccata reproborum. ¶ Alij autem aliter philosophantur. Quos omnes modos prætereo. Cùm enim ratio Redemptoris possit salvari redimendo ab vno tantùm peccato; necnon, & redimendo à multis; redimendo ab originali; necnon & redimendo à personali: prædicti modi philosophandi spectare videntur potiùs ad quæstionem de possibili, quàm ad quæstionem de facto, & ex vi præsentis decreti; in quo sensu procedit nostra conclusio *n.* 17. posita.

21 Quare resolutoriè dicendum nobis est, non decrevisse Deũ passionem, & mortem Christi D. seu (quòd idem est) non fuisse decretum adventũ Christi D. in carne passibili quoadvsque per scientiam visionis vidit Deus omnia, & singula peccata totius generis humani, tam originalia, quàm personalia; tàm mortalia, quàm venialia. (& consequenter priùs decreuisse Deum permittere omnia prædicta peccata, quàm decreverit passionem, & mortem Christi D.) Quia sic philosophando evitamus pluralitatem decretorum: quam sine necessitate admittunt aliter philosophantes.

22 Dices; ergo, deficiente vnico peccato, adhuc veniali, non veniret Christus Dominus, vt Redemptor ex vi præsentis decreti. Patet, quia motivum, seu occasio decernẽdi hunc advẽtũ integratũ fuit ex omnibus, & singulis peccatis; & cõsequenter; quolibet deficien-

ciente, non maneret integrum motivum, aut occasio prædicti decreti. Respondetur omittendo consequentiam. Est enim incertum, an decretum, quo Christus D. vt Redemptor fuit determinatus, sic indivisibiliter attigit congeriem omnium peccatorum, vt aliquo deficiente, non subsisteret tale decretum. Sicut ex admittentibus, omnipotentiam esse connexã cum possibilibus, dicunt, quòd, si deficeret vnum possibile, deficeret omnipotentia. Et sicut deficit portatio põderis, quæ fit à duobus, quorum quilibet illud portare non potest, si vnus illorum deficiat. Est item incertum, an prædictum decretum sic respexit cumulum peccatorum, vt deficiente vno, vel pluribus, adhuc subsisteret decretum. Sicut etsi de facto Beatus eadem numero visione, qua videt Deum, simul videat creaturas; (vt multi opinantur) invariata tamen maneret, si ei occultaretur vna, vel multæ creaturæ, dummodò maneret visio essentiæ. Et sicut non deficit portatio ponderis, quæ fit à duobus quorũ quilibet illud portare potest, etiã si vnus illorũ deficiat. Cùm enim munus Redemptoris salvari possit redimendo ab vno peccato tãtùm; necnõ, & redimendo à multis. Et cùm aliàs pendeat ex libera voluntate Dei, fecisse decretum cum dependentia necessaria circa vnum tantùm peccatum; aut cum dependentia ab omnibus simul: incertum omnino est an deficiente vno, vel pluribus peccatis, subsisteret decretum illud. Propter quòd supra dicebam, hoc potius spectare ad quæstionem de possibili, quàm ad quæstionem de facto. De facto enim sicut Scriptura dicit, quòd sanguis Christi nos emundat ab omni peccato. Sic nos dicimus, congeriem omniũ peccatorum fuisse obiectũ vnici decreti, quo Christus Dominus decretus est omnium peccatorum Redemptor, ne multiplicemus decreta sine necessitate. Et hæc de prima parte huius tractatus: seu de spectantibus ad substantiam mysterij Incarnationis.

POSTERIOR PARS HVIVS

Tractatus, in qua agitur de perfectionibus Christi D. ex parte humanitatis.

APERVIMVS in priori parte huius tractatus quidquid spectat ad substantiam huius mysterij. In hac posteriori declarabimus quidquid conducit ad perfectionem naturæ assumptæ.

CAPVT

CAPVT VII.

De creata gratia Christi D.

EXCELLENTIA, & perfectio gratiæ collatæ sacratissimæ Redemptoris humanitati postulat, vt alijs eius perfectionibus tractationē illius præferamus. Igitur in hoc capite comprehēdemus omnia, quæ spectant ad gratiam Christi D. non solùm vt est quidam homo particularis; sed etiam vt est caput Ecclesiæ. Item nomine gratię amplectimur non solùm gratiam vnionis; sed etiam habitualem, & actualem; necnon & dona Spiritus Sancti, atque virtutes tàm infusas, quàm acquisitas: omnia enim ista, aut gratis conferuntur, aut ortum duxerunt ab actuali gratia, seu auxilio gratis, aut indebitè collato: ideoque aptè nomine gratiæ significantur.

DIFFICVLTAS I.

De spectantibus ad gratiam vnionis Christi D.

1 VNionem hypostaticam AA. passim vocant gratiam vnionis; eo quòd gratis, & absque vllius meritis humanitatis ei fuerit vnitum diuinum Verbū: atque adeò ipsa vnio, rem, & nomen gratiæ iure sibi vsurpat. Huius vnionis naturam explicuimus *cap. 1. diffi. 5 à num. 20.* Vnde constat, quòd est relatio extrinsecùs aduenìens; quæ spectat ad prædicamentum passionis, &c. Item *capit. illo 1. difficul. 6. à num. 1.* explicuimus aliqua ad eius excellentiam spectantia: vnde constat, quàm magna sit eius vis vnitiva & quam excellentiam habeat in ratione doni, & beneficij. Insuper *cap. prædicto diffic. 7. à num. 1.* Explicuimus terminos huius relationis. Quibus, & multis alijs ex prædicto capite suppositis, in præsenti quærimus, quam vim habeat vnio hypostatica ad dignificandum, seu sanctificandum humanitatem.

DVBIVM I.

2. PEtes primò, an gratia vnionis sit forma de facto sanctificans humanitatem? Respondetur negativè. Quia vnio gratiæ sanctificantis non est forma sanctificans: ergo, quamvis daremus, personalitatem Verbi, Deitatem, aut aliquod attributum diuinum esse sanctificativum humanitatis; non propterea foret concedendū, ipsam vnionem esse formam sanctificantem. Nulla enim conditio dat formaliter effectū illius, cuius est conditio. Vt patet inductione: approximatio enim ignis, non ignis facit formaliter; approximatio caloris non calefacit formaliter; & in cæteris simili modo. Sic Sco-

 tus

tus *in 3. dist. 2. quæst. 1. §. Ad argumenta principalia; vers. Ad rationem probantem; & vers. Ad secundam, & alibi & cum eo omnes Scotistæ* tenentes, ad sanctificationem esse necessariam gratiam habitualem. De quo præcipuè legantur *Castillo disp. 11. q. 2. n. 10. & Felix c. 11. diff. 2. qui citant, præter Scotistas D. Bonau. D. Thomam, Durandum Marsilium, & alios.*

3 Sed oppositũ defendit Suar. *disp. 18. sect. 1. cui subscribunt aliqui Recentiores.* Itaq; affirmant, quòd etsi Christ⁹ D. fuerit sanctus sanctitate accidentali per gratiã habitualem; fuit tamen sanctus substantialiter per vnionẽ hypostaticã, ita vt per ipsam redderetur potens meritoriè operari. Et obijciunt D. August. *15. de Trinit. c. 26.* dicentem: *tunc vnctam fuisse inuisibili Deo humanam naturam, quando diuinæ iun ctæ est personæ.* Sed ly *vnctam* apud Augustinum, & alios PP. significat humanitatẽ fieri sanctam: ergo humanitas, aut anima ipsa vnione sanctificatur. Respond. (admissã minori) negando consequentiã. Itaq; admisso, quòd vnctio apud Augustinum, & alios PP. sit fieri sanctum formaliter, non sequitur, quòd humanitas ipsa vnione sit formaliter sancta, ex eo quòd ex tunc vnionis, seu ab instãti vnionis fuerit formaliter sancta: cùm enim ex tunc habuerit gratiam habitualẽ, ab illa fuit formaliter sancta.

4 Contra, quòd aliquando PP. dicunt, Christũ D. esse sanctũ à natura, seu naturaliter: ergo quia existimant fuisse sanctũ ipsa vnione; quæ saltẽ tãquam conditio, est necessaria ad esse Christi, seu personæ constantis natura diuina, & humana. Antecedens probãt diversa Patrum testimonia v. dẽda apud Recentiores, præsertim apud Vazq. *disp. 41. c. 3.* Resp. negando consequentiã: PP. enim sic loquũtur vel quia Christus D. quatenus Deus, est naturaliter sanctus. Vel si loquuntur de ipsa vnione, solùm volunt, quòd Christus D. ab illa, seu vi illi⁹ habebat quãdam congruentiã, seu debitũ congruentiæ, vt sibi conferretur gratia habitualis, à qua fuit formaliter sanctificata eius humanitas. Vel demũ sic loquuntur, vt declarent Christũ D. secundũ humanitatẽ fuisse sanctum ab instãti suæ conceptionis, aut nativitatis. Sicut nos homines dicimur *natura filij iræ (ad Ephes. 2. n. 3.)* eoquòd ab instanti conceptionis habuimus originale. ¶ Vnde etiã constat solutio auctoritatũ, quibus dicitur, sanctitatẽ non fuisse gratis collatã Christo D. Item patet solutio auctoritatũ, quib⁹ dicitur, sanctitatẽ nõ fuisse externã, seu extrinsecam Christo D. si enim auctoritates prędictæ explicãtur de Christo D. quatenus Deus est, vt sonant sunt accipiendæ. Sin verò explicãtur de ipso secundùm humanitatẽ, intendunt, vi vnionis habuisse debitũ cõgruentiæ, vt sibi conferretur gratia sanctificans. Vel solùm intendunt, quòd illam habuit ab instanti suæ conceptionis: & ideò nõ dicitur externa aut extrinseca; cùm

fue-

fuerit cùm ipsa natura collata.

5 Obijciunt secundò, quòd humanitas Christi D. vi vnionis cōstituitur intrinsecè diligibilis Deo, seu obiectū dignū dilectionis Dei: ergo sanctū. Patet cōsequētia: quia hæc diligibilitas est primarius effectus, quē sanctitas præstat in genere causæ formalis. Respon. distinguendo antecedens: enim est verum de diligibilitate radicali, remota, seu per modū cōgruentiæ: falsum autē de proxima, & formali; quod solū à gratia habituali potest provenire in creatura. Vocamus diligibilitatē radicalē, seu remotam debitum illud cōgruētiæ, quod habet humanitas Christi D. ex vi vnionis hypostaticæ: eo enim, quòd est vnita divino Verbo debito cōgruētiæ, est illi debita infusio gratię habitualis (& aliorū donorū sibi possibiliū) à qua proximè, & formaliter subiectū redditur diligibile à Deo, seu dignū amore Dei.

¶ Dices: vnio hypostatica in ratione doni est maior, quàm gratia habitualis: ergo reddit humanitatē non minus diligibilē, quā ipsa gratia. Resp. (omisso antecedēti, fortè falso iuxta dicta *c. 1. diff. 6. præsertim n. 8.*) negando consequētiā: est enim collatio alicuius effectus mensuranda cum natura causæ, à qua provenit, nō autē cū maiori, vel minori perfectione alteri⁹ rei. Et ideò calefactio, v. g. provenit formaliter à calore; & prouenire nō potest à gratia, lumine glorię, vel ab alio ente perfectiori. Quod & in multis alijs potest exēplificari.

6 Dices secundò: vnio hypostatica est magis supernaturalis, quā gratia habitualis: ergo sicut gratia habitualis reddit humanitatē proximè diligibilem; ita vnio. Respōdetur negando consequentiam: (quidquid sit de antecedenti) non enim à maiori, vel minori supernaturalitate provenit diuersitas effectuum supernaturalium; sed à diuersitate naturarum entitatum. Et ideò quamvis beatitudo nostra formalis fortè sit minùs supernaturalis, quàm habitus fidei, spei, & charitatis; (etenim secūdū aliquos ex nostris; quibus facilè subscriberem, Beatitudo est supernaturalis solùm quoad modum: habitus autem prædicti sunt supernaturales quoad substantiam: vt communissimè fatentur) pręstat tamen effectum beandi: quem nullus illorū habituum præstare potest.

7 Obijciunt tertiò: per gratiam efficimur consortes diuinæ naturæ, (vt est ferè Theologorum proloquium propter multa Patrum testimonia) ac per consequens sancti: sed humanitas per vnionem efficitur particeps, & consors divinæ naturæ: ergo & sancta. Respondetur distinguendo, aut declarando maiorem, & minorem, & negando consequentiam. Maior (inquam) est vera; eoquòd gratia habitualis est forma physica subiectum, cui inest, reddens gratum Deo, non solùm physicè, (hoc est se physicè communicando) sed etiam moraliter; hoc est, ratione parti-

quo Deus se alligavit expellere peccatum à subiecto, cui gratia insit; & illud acceptare in consortium divinæ naturæ per intuitivam visionem, & fruitionem sui ipsius. Quare ex positione gratiæ habitualis rectè infertur, subiectum esse formaliter sanctum: secùs autem ex positione vnionis hypostaticæ: quia pactum de expulsione peccati mortalis, & de acceptatione in consortium divinæ naturæ nō est alligatum vnioni. Et ideò physicè tantùm (vt ita dicam) humanitas Christi D. redditur consors divinæ naturæ vi vnionis: sicut redderetur lapis, si ipsi vniretur Verbū. In forma ergo respondendo dico, quòd maior illa (*per gratiam redimur consortes diuinæ naturæ*) est vera physicè, & moraliter: & ideò benè sequitur consequens illud. (*ergo Sancta*) Minor autem illa (*humanitas per vnionem efficitur particeps, & consors diuinæ naturæ*) solùm physicè est vera: & ideò non tenet consequentia illa. (*ergo & sancta*).

8 Dices: vnde constat, gratiā habitualem physicè, & moraliter efficere nos consortes divinæ naturæ; vnionem autem hypostaticam physicè tantùm? Respondetur ex determinatione Ecclesiæ constare nos iustificari per gratiā (præsertim legatur Tridentinum *sess. 6. per totam. & præcipuè Can. 11.*) Vnde benè infertur, quòd nō solùm physicè, sed etiam moraliter nos reddit consortes divinæ naturæ. De gratia autem vnionis nullibi docet Ecclesia iustificare, aut sanctificare. Atq; adeò solùm physicè vniet cum Deo. Ista autē physica vnio nihil conducentiæ moralis habet respectu beatitudinis. Vt patet in casu, quòd Deus sibi vniret lapidē, aut leonem, v. g. Igitur sicut solùm attenditur affēctuosa vnio, & nihil prodest physica ad beandum: immo neque ad supplendum lumen gloriæ ad eliciēdum actum beatificum necessarium: ita ad formaliter iustificandum necessaria est vnio per habitum gratiæ, & nihil prodest physica, seu hypostatica.

DVBIVM II.

9 Petes secundò, an vnio hypostatica saltem sit conditio, vt personalitas Verbi, divinitas, aut attributum sanctitatis Dei de facto sanctificet humanitatem Christi D? Respondetur negativè. Quia nullum illorum potest sanctificare humanitatem: ergo unio nequit esse conditio ad hoc, vt aliquot illorum sanctificet. Probatur antecedens de personalitate, & de [illegible]ate: neutra enim istarum est formalis sanctitas: ergo nequeunt formaliter sanctificare, seu se ipsas cōmunicādo. De attributo autem sanctitatis etiam probatur: ipsum quippè, neque aliquod aliud divinum potest esse forma: ergo quamvis sit formalis sanctitas respectu Dei, humanitatem, cui vnitur, non reddet formaliter sanctam. Et confirmatur: sicut

sicut enim humanitati vnitur sanctitatis attributum vnitur deitas, omnipotentia, immensitas, sapiẽtia, &c. Sed humanitas Christi D. non est formaliter Dea à deitate; neque omnipotens ab omnipotẽtia; neque immensa formaliter ab immensitate, &c. ergo neque est formaliter sancta ab attributo sanctitatis.

10 Hanc nostram conclusionem defendere tenentur quotquot affirmant, Christum D. indiguisse gratia habituali, vt esset gratus Deo iustus, & sanctus sanctitate iustorum; de qua tantùm loquimur in præsenti. Hi sunt Scotus *in 3. dist. 2. quæst. 1. §. Contra istam opinionem, vers. Præterea. Quod, & dist. 12. §. Ad primum, vers. Ad secundum, & alibi, D. Tho. 3. p. q. 7. art. 1. ad 1.* & omnes antiqui: nullus enim illorum agnovit, sanctitatem provenire ab vnione hypostatica, sed à gratia sanctificante: vt benè obseruat Castillo *disp. 11. q. 2. num. 8.* vbi pro hac sententia (quam ipse sequitur) citat *ex nostris Fabrum, & Obandum; dicitque communiter sentire Scotistas: ex aliis autem citat Palud. Richardum, Marsilium: num. 9. addit D. Bonav. Durandum, Capreolum, & Medinam. Quos etiam citat, & sequitur Felix cap. 11. diff. 2. addens nostrum Radam.*

Sed vt nostra sententia firmior existat, & vt Solvamus, quæ contra nostram conclusionẽ *n. 9.* probatam obijci possunt, sciendum multorum esse in hac tempestate sententiã affirmantẽ, Christũ D. non indiguisse gratia habituali, vt esset gratus Deo, iustus, & sanctus, sed totum hoc habuisse ex vi vnionis hypostaticæ, seu vi vnionis ad Verbum divinum. Vnde affirmat hæc sententia, gratiã habitualem fuisse quidem de facto in Christo D. non tamẽ fuisse illi simpliciter necessariã ad prædictũ effectum, sed solùm secũdùm quid, & ad melius esse. Pro qua sententia *nostri Castillo disp. 11. q. 2. n. 1. & Felix c. 11. diff. 2. citant Dominicum Soto, Vazq. Palacios, Vincentiũ, Valentiam, Toletum, Bannez, Pesantiũ, Lorcam, Basilium de Leon, Montes (in manuscriptis) Torres, Ragusam, Becanum, G. Hurtado, & Suar.* Imò istorum aliqui sic mordicus adhærent huic sententiæ, vt Vazq. cùm aliquibus alijs existimet, oppositũ esse exprẽsse contra PP. & Concilia: & Vincẽtius iudicet, oppositũ non posse cùm probabilitate, aut cum securitate affirmari. ¶ Est tamen inter AA. huius sentẽtiæ dissidium in assignando illud, cui, vt formæ tribuendus est effectus formalis sanctitatis. Vazq. enim, Torres, Ragusa, Becanus, Montes, & G. Hurtad. tribuunt deitati. Valẽtia verò, & Lorca personalitati. Suarez autem vnioni, quæ (secundùm Thomistas) est modus substãtialis. Alij demum omnibus, & singulis; nempè deitati, personalitati, & vnioni. Vnde constat, qui AA. sint oppositi nostræ conclusioni *num. 9* probatæ. Si enim omittimus Suarez *num. 3.* citatũ, qui asse-

rit, ipsammet vnionẽ sanctificare formaliter: de quo iam diximus dubio præcedenti; reliqui omnes pro hac sententia citati nobis opponuntur. Cùm enim affirment, deitatem, personalitatem, aut attributum sanctitatis sanctificare humanitatem; dicent consequenter vnionem esse conditionem ad talem effectum necessariam.

12 Igitur contra nostram conclusionem *num.* 9. positã obijcies pro his Authoribus diversa scripturæ testimonia, quibus satis insinuatur, Christum D. ab ipso Deo immediatè fuisse sanctificatũ. Vt constat ex illo; *propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Psal.* 44. Vt enim docent multi PP. præsertim Nazianzenus *tract.* 2. *de Paschate, & 4 de Theologia,* humanitas sanctificata fuit ipsa divinitate. Et Damasc. *lib.* 5. *cap.* 15. nõ solùm dicit, Christum vt hominem, fuisse deitate vnctum; sed etiã deitatem ipsam appellat vnctionem humanitatis: ergo ex scriptura, & Patribus constat humanitatem Christi D. fuisse sanctam ab aliquo divino: & consequenter per vnionem, tanquam per conditionem. Respon. negando consequentiam: quia prædicta scripturæ, & Patrum testimonia accipienda sunt in sensu causali, non autem in formali: sicut cùm Christus D. dicitur sanctificatio, iustitia, & redemptio nostra; eo scilicet, quod in nobis causat iustitiam, & sanctificationẽ, qua mediante liberamur, seu redimimur à peccato. Itaque non intendunt, vnionem humanitatis ad personalitatem Verbi fuisse formam, sanctificationis humanitatis; neque conditionem, vt ab aliquo divino immediatè sãctificaretur: sed fuisse originem, fontẽ, & causam (cogentem ex congruentia Deũ) vnde derivata fuit gratia habitualis, à qua fuit formaliter sancta prædicta humanitas.

13 Vel dico prædicta testimonia esse intelligenda de oleo, chrismate, vnctione, aut sanctitate, quã habet humanitas Christi D. in ordine ad cultum, & adorationẽ: etenim propter vnionem ad Verbũ debetur ei adoratio latria. Itaque duplex est sanctitas: alia est propria iustorum; estque principium morale operationum, quæ de condigno sunt meritoriæ: alia verò solũ attenditur in ordine ad cultũ, reverentiam, & adorationem. Quæ sanctitas resplendet in reliquijs sanctorum, in vestibus sacris, &c. & quam duplicem sanctitatẽ in Christo D. distinguunt multi PP. præsertim *Cyrillus in epistola ad solitariam vitam, Bernardus hom.* 4. *in Missus est; & serm.* 16. *in cantica, Hieronymus, & Ambrosius videndi apud Recentiores, præsertim apud nostrum Castillo dis.* 11. *q.* 2. *num.* 23. Igitur quæcumque scripturæ, & Patrum testimonia, quib⁹ dicitur, Christum D. ipsa divinitate fuisse sanctificatum (si talia inveniantur testimonia) explicãda sunt de sanctitate, aut sanctificatione in ordine ad cultũ, reverentiã, & adoratio-

tionem; non autem de sanctitate, aut sanctificatione in ordine ad meritū, seu ad operationes supernaturales, quæ sunt propriæ iustorum. ¶ Potest etiam hic applicari, quod diximus *num.* 4. respondendo ad alias similes sanctorum authoritates.

14 Obijciunt secundò: Deus est formaliter sanctus per deitatē, aut per attributum sanctitatis: (secundùm diversorum placita) ergo & humanitas media vnione hypostatica fuit sancta per ipsammet deitatem, aut sanctitatem. Respond. negando consequentiā; quia deitas, aut attributum sanctitatis (sicut & quodcumque aliud) identificatur cum Deo: & consequenter reddit Deum formaliter sanctum: cùm in illo sit formaliter. Itaque vt aliquid sit formaliter tale requiritur, quòd sit formaliter in illo prædicatum denominans; necnon & quod cùm illo identificetur, vel quod informet illud. Vt patet in Deo; quem attributum sapientiæ facit formaliter sapientē; attributū iustitiæ iustum, &c. etsi enim sapientia, v.g. non informet Deum, est tamen in illo, necnon & cùm illo realiter identificatur. Petrum autem album, v. g. albedo reddit formaliter album; quia & est in illo, & aliàs informat illum. Cùm autem deitas, aut attributū sanctitatis non identificatur cùm humanitate; solùm per informationem potest illā reddere formaliter sanctā. Et cùm aliàs cuicumque divino repugnat informatio; fit, vt humanitas nō possit esse formaliter sancta per deitatem, aut per attributum sanctitatis.

15 Instabis: personalitas Verbi personalizat humanitatē sine informatione: ergo etiā deitas, aut attributū sanctitatis humanitatē reddet sanctam, sine informatione. Respond. negando consequentiam: personalitas enim (creata, aut increata) præstat suum effectū sine informatione, per hoc scilicet quòd terminet naturam: in qua terminatione nulla reperitur imperfectio. Deitas autē, aut sanctitatis attributum nequit sanctificare nisi per informationē humanitatem; & cùm aliàs in hoc reperiatur imperfectio; illam non reddit sanctam formaliter. Sicut neque omnipotentia reddit illam formaliter omnipotentem; immensitas immensam, &c. ¶ Dices; quodcumque divinum est sanctitas: sed personalitas est quid divinum: ergo est sanctitas: ergo sicut præstat effectum personandi, reddet sanctam humanitatem. Respond. distinguendo maiorem: identicè, concedo; formaliter, nego: eodē modo distinguendum est primū consequens, & neganda est secunda consequentia: quæ si aliquid valeret, probaret, naturam humanam per personalitatem reddi formaliter omnipotentem, iustam, immensam, &c. Sicut enim identificatur realiter cum attributo sanctitatis, identificatur cū n... omnipotentia, &c.

DVBIVM III.

16 Petes tertiò, an gratia vnionis sanctificet de possibili? Respon. negativè. Quia non sanctificat de facto: ergo neque de possibili: est enim efficax cōsequētia (loquendo de Christo D.) quòd perfectio, quæ ei negatur de facto, negetur de possibili. Sicut quòd omnis perfectio sibi possibilis est ei concedēda de facto. Hac ratione concedimus, eius gratiā, scientiam, & quamcunque aliam perfectionem illius esse summā; imò & esse infinitam concederemus Scotistæ, si admitteremus infinitudinem in qualitatibus. Est quippè loquēdo de Christo D. semper spectanda pia illa, atque Scoti commēdāda sentētia *in 3. dist. 13. q. 4. §. & vers. Quantū ad secundā quæstionem*: vbi sic loquitur. *In commendando Christū malo excedere, quàm deficere à laude sibi debita, si propter ignorantiam oporteat in alterum incidere*. Quod & ex Augustino 3. *de libero arbitrio* cōfirmat: vbi loquēs de Christo D. dicit: *Quidquid tibi vera ratione melius occurrerit, scias, hoc Deum magis fecisse, quàm non fecisse*. Ex quibus omnibus cōcludo, ideò Scotū, & Scotistas negare, vnionē hypostaticā de facto sanctificare; quia existimant, de possibili sanctificare non posse.

17 Sed Castillo *disp. 11. q. 2 n. 19.* dicit, Christum D. secundùm quòd homo est, potuisse de potētia absoluta sanctificari per aliā formam, quæ nō esset gratia habitualis. Et Felix *c. 11. disp. 2. 3. Quod vnio* (quamvis obiter) affirmat colligi ex Scoto *in 1. dist. 17. artic. 2.* quòd etiam vnione poterat Christus D. sanctificari. Quod à fortiori defendit Pitigianus *in 3. dist. 12. q. 1. art. 4. in dubio, quo movet in fine*, vbi affirmat, vnionē sanctificare de facto. ¶ Pro qua sententia obijcies, quòd gratia habitualis nō sanctificat ex natura sua, seu propter entitatem physicā, sed ratione pacti, quod Deus ipsi alligavit, seu quo decreuit, ad positionē gratiæ expellere peccatum mortale, acceptare ad gloriam subiectum, cui infundit gratiam; & præstare omnia illa, quæ cōmuniter attribuuntur gratiæ: ergo si Deus alligaret simile pactum vnioni hypostaticæ per illam sanctificaret. Respond. negando consequentiam, seu suppositum, nempè, quòd possit pactum fructuosè applicari vnioni: quia ei deficit congruētia, seu naturalis exigētia, (secundùm diversa Scotistarū placita) vt Deus possit ei suum pactum alligare. Quam congruentiam seu naturalem exigentiam (secūdùm diversos Scotistas) habet gratia habitualis. Sicut ergo requiritur pactum ad meritum; & tamen nequit pactū applicari actui non libero, aut non virtuoso: ita in præsenti pactum ad sanctificandum requisitum nequit applicari vnioni hypostaticæ, fidei, spei, aut alteri formæ, quæ non sit gratia habitualis.

18 Obijcies secundò, quòd secun-

cundùm Scotum *in 1. dist. 17. q. 2. §. & vers. De secundo articulo* potest Deus acceptare actum merè naturalem, vt meritorium gloriæ: ergo similiter poterit acceptare, seu disponere, quod sanctificet vnio, aut quæcumq; alia forma, cui annectat suum pactum. Respon. negando consequentiam: quia cùm acceptatio requisita in actu meritorio tribuat valorem operib⁹ ad beneplacitũ acceptantis, seu (propriùs loquendo) valor suppositus in opere accrescat ex acceptatione (vt placet multis Scotistis in tractatu de Gratia) nõ mirum, quòd per acceptationem antecedẽtem (qua, v.g. dicat Deus; *Dabo gloriam elargienti eleemosynam ex motiuo honesto naturali*) sic accrescat valor operis, vt proportionetur cùm gloria, seu habeat æqualem valorẽ cum illa. Itaque talis acceptio reperit saltèm congruentiã in bono opere naturali virtuoso, scilicèt esse virtuosum, & factũ cùm libertate in obsequium præmiantis: & ideò potest super ipsum cadere prędicta acceptatio eleuans prædictum valorem. Quam congruentiam si non reperiret, inutiliter super ipsum caderet acceptatio. Et ideò in confesso est apud omnes, non posse acceptari vt meritoriũ, actũ, qui vel non sit virtuosus; vel sit elicitus sine libertate cõtingentiæ. Igitur cùm in sola gratia habituali reperiatur naturalis congruẽtia, seu exigentia ad sanctificãdũ, idùm super illam potest vtiliter cadere pactum de sanctificando.

19 Quod confirmo ex Scoto *in 4. dist. 1. q. 1. §. & vers. Ad quæstionem ergo* negante posse Deum assumere vt instrumentũ quodlibet ad producendũ quodlibet, nõ alia ratione, nisi quia nõ quodlibet habet virtutem in actu primo, aut proportionẽ cùm quolibet. Aliàs posset assumi musca (infert Scot⁹) vt instrumentũ ad creandũ Angelum ¶ Idem confirmo ex doctrina à Scotistis cõmuniter recepta de actu contritionis; per quẽ Deus nõ potest sanctificare formaliter, eoquòd est dispositio ad iustificandum ex sua natura; idest, eoquòd ex se solùm habet exigentiã naturalem, aut congruentiã, vt acceptetur tamquam dispositio, & non tamquam forma iustificativa.

20 Obijcies tertiò: Deus potest remittere peccatum, ita vt auferatur macula, & omne illud, quod habet rationem culpæ absque infusione gratiæ: vt docet Scotus *in 1. dist. 17. q. 2. §. De secundo articulo, estque sententia Alensis, Bonau. Nominalium, & aliorum, quos citat, & sequitur Suar. lib. 7. de iustificatione hominis cap. 22. num. 6.* Imò & potest Deus iustificare, seu in amicum acceptare sine gratia habituali, & solùm per extrinsecã acceptationẽ: vt communiter defendimus Scotistæ; & conuincit instantia creaturæ, quæ nihil ponendo in re amata ipsam acceptat in amicum: ergo potiori ratione poterit sanctificare per vnionem hypostaticam. Respondetur negando consequentiam: ad sanctifican-

candum enim, seu acceptandum in amicum per aliquid intrinsecū requiritur, quòd tale intrinsecum habeat naturalem exigentiam, seu saltem congruentiam, quam solùm in gratia habituali reperimus.

21 Obijcies quartò quærendo, quid sit hæc naturalis exigentia, aut congruentia reperta in sola gratia habituali? Respondetur consistere in hoc, quòd gratia habitualis in sua physica entitate est quædam spiritualis pulchritudo, seu decor decorans, & ornans animam, alliciensque, & quasi invitans diuinam voluntatem, vt cōplaceat speciali amore in natura sic decorata. Ita Scotus *in* 1 *dist.* 17.*q.*3.§. *Ad solutionē huius vers. Sed dubium est, & vers. Opportet.* Itaque sicut in re corporea pulchritudo habet quandam naturalem exigentiā, aut congruentiā, vi cuius creata voluntas allicitur, & quasi invitatur ad amandum rem pulchram. Ita habitualis gratia est quædam spiritualis pulchritudo, seu decor, vi cuius allicitur, & quasi invitatur diuina voluntas ad amandum naturā tali pulchritudine affectam. Et sicut loquendo de corporalibus in pulchritudine nō reperitur aliquid necessitans ad amorem, sed tantùm vis allectiva amoris creati: ita in spiritualibus in gratia habituali non reperitur aliquid necessitans ad amorem diuinum, sed tantùm quædam congruentia, seu naturalis exigentia moralis alliciens diuinum amorem.

22 Denique obijciunt aliquorum Patrum testimonia asserentium, humanitatem Christi D. sanctificatam fuisse per vnionem. Vnde sic argumentantur. Secundùm PP. de facto humanitas fuit sanctificata per vnionem: ergo hæc potest sanctificare. Respond. negando antecedens. Vt enim benè vidit eruditus Lorca *disp.* 36. *n.*4. (quamvis aliàs probabiliter affirmet, humanitatem fuisse sanctificatā vi vnionis) apud PP. nullū est vestigiū huius sanctitatis per vnionem. Videatur præcitatus Lorca explicans omnia, & singula testimonia, quæ à Recentioribus solent adduci ad hoc probandum. Breuiter tamen nobis respondendum est, quòd si aliqui Patres inveniantur dixisse, per hanc vnionem fuisse naturam sanctificatā, loquuntur in sensu causali, & dispositivo, non in formali. Itaque vnio ista (deitas, aut aliquod ex attributis, vel personalitas) non fuit illud per quod humanitas vnita, aut Christus D. quatenus homo, formaliter sanctificatur; sed præstitit prædictæ naturæ quamdam congruentiam, vt ei conferretur gratia habitualis, per quam formaliter sanctificaretur. Ac ēe, quòd si aliqui Patres videantur loqui in sensu formali, debent intelligi de sanctitate in ordine ad cultum, reverentiam, & adorationem: vt *num.* 13 latè explicabamus.

DIF-

DIFFICVLTAS II.

De spectantibus ad gratiam habitualem Christi D.

DVBIVM I.

1 PEtes primò, quid de gratia habituali Christi D. sit certum apud Authores? Resp. in primis esse certū in tractatu de Gratia, nomine gratiæ habitualis, seu gratū facientis intelligi quedā habitum per se infusum: qui in sua physica entitate est decor, & spiritualis pulchritudo animæ, seu naturæ intellectualis. Quo habitu informatum subiectū inæstimabiles subit denominationes. Dicitur enim Deo gratū, eo quòd est obiectum cōgruum diuinæ dilectionis. Item dicitur sanctū: quia posita habituali gratia expellitur à subiecto quæcumque macula peccati mortalis: & cōsequenter subiectū redditur sanctū: etenim secundū D. Dionysium *de diuinis nominibus c. 12. sanctitas est ab omni scelere libera, & immaculata puritas.* Insuper dicitur iustū, quia gratia ista tribuit ius ad vitā æternā. Dicitur quoque filius Dei: eo quòd Deus subiectum habens gratiam acceptat in filium adoptivū. Dicitur etiam amicus Dei: quia ratione gratiæ habitualis adscribitur in eius amicitiam. Variasque alias excellentissimas denominationes passim attribuūt habituali gratiæ scriptura, PP. & Doctores.

2 Est autem antiqua satis controuersia in tractatu de Gratia in declarando an habitualis gratia ex natura sua præter istos effectus? an ratione alicuius pacti, quo Deus statuerit ad positionē talis entitatis dimittere peccata? acceptare hominem in filium adoptiuum? &c? Imò supposito, tamquam principio Scotistarum, quòd habitualis gratia hoc non habet ex natura sua, seu ratione suæ physicæ entitatis; sed ratione pacti saltem completivè; maximè inter Scotistas controvertitur; vtrùm gratia habitualis habeat naturalem exigentiam; vt Deus prædictum pactum ponat? an solùm habeat quamdam congruētiam, seu proportionem cum prædictis effectibus? ratione cuius congruentiæ habitualem gratiam potius quàm aliam entitatem Deus assumit ad prædictos effectus præstandos?

3 Et quamvis hæc controversia in præsenti non veniat resoluenda: sufficit enim scire, circa hoc bipartitos esse Scotistas: quāvis plures sint, qui gratiæ solùm cōgruentiam concedant. Tamē meā mentem (etsi per transennā) aperire nō desinā. Existimo ergo gratiā ex natura sua exigere prædictū pactū; non quidem ea naturali exigentia, qua calor, v. g. exigit expulsionem frigiditatis; exigentia enim ista est purè physica, & quasi necessitat Deum ad expellendum frigiditatem; adeò vt si illam non expellat violentia contingat, & miraculum

lum. Igitur naturalis exigētia, qua habitualis gratia exigit positionē pacti ad præstandū prędictos effectꝰ, simillima est naturali exigētię, qua pulchritudo corporalis exigit, vt ametur. Quā exigentiā res pulchra habet quidem ex natura sua, seu ex natura rei; non tamē est ita purè physica, sed partim est moralis. Physica, inquam, quia ex natura rei habet res pulchra prædictam exigentiam: moralis autem quia solùm per allicientiam mouet: sicut causa finalis. Et fortè hoc solū significare intendunt Scotistæ, qui affirmant in gratia solùm reperiri congruentiam ad positionem pacti. Non enim negant, (me iudice) gratiam ex natura sua, seu à parte rei habere exigētiam, quam nuper explicabamus. Recolantur dicta *diss præcedenti n.21.*

4 Insuper est certum inter Catholicos in Christo D. fuisse prædictam gratiam habitualem. Passim enim Christo D. tribuuntur denominationes, quæ ab habituali gratia alijs hominibus derivantur: vt constat ex illo, *Hic est filius meus dilectus Matth. 3.* atque ex illo, *Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei Lucæ 1.* & alibi passim. Et ratio est, quod habitualis gratia est perfectio nullam involvens imperfectionem Christo D. repugnantem: ergo est illi concedenda.

5 Dices: Christus D. est Deus per essentiam: sed gratia constituit Deum per participationem; ergo Christus D. non potuit habere gratiam. Minor constat ex illo *epistolæ 2. D. P. cap. 1. reddimur consortes diuinæ naturæ*, nempè per gratiam habitualem: vt fatentur Theologi, apud quos certa est prædicta minor. Consequentia probatur: quia repugnat, esse Deum per essentiā, & simul per participationē. Respondetur negando consequentiā: quamvis enim ratione naturæ diuinæ sit Deus per essentiam, potest tamen esse Deus per participationem ratione naturæ humanæ per gratiam habitualē: quia simul cum vnitate personæ stat pluralitas naturarū. ¶ Contra: ergo sicut Christus D. absolutè dicitur mortuus, albus, &c. potest absolutè dici Deo gratus, sanctus, &c. Resp. ita esse. Imò & posset absolutè dici Deus per participationem, nisi obstaret calliditas hæreticorū, qui in Christo D. non solùm dividebant naturas, sed etiam supposita. Quare, ne ipsis videamur consentire, & cùm Nestorio loqui, semper cū restrictione est loquendum, dicendo, *Christum D secundùm quòd homo est, aut secundùm humanam naturam, esse Deum per participationem.* Huc spectant dicenda cap. 18. diffic. vnica à n. 1. ¶ Dices secundo: Christus D. est sanctus per vnionem hypostaticam: ergo non est sanctus per gratiam habitualem. Respondetur (omisso antecedente falso ex diffic. 1. à num. 2.) negando consequentiam: habebat enim eius humanitas esse sancta omnibus modis posibilibus.

DV.

DVBIVM II.

6 Petes secundò, qua certitudine sit tenendum fuisse in Christo D. gratiam habitualem? Resp. diuisos esse Auctores. Suarez enim *disp.* 18. *sect. & concl.* 2. *& Ragusa disp.* 67. dicunt esse de fide. Vazquez *disp.* 51. *cap.* 1: dicit esse temerarium id negare: quia est contra scholasticos, non autem quia sit contra PP. quia disputatio de habitibus recens est; neq; apud PP. vlla de ea mentio fit. (subdit Vazquez *num.* 11.) Lorca *disp.* 37. *& Felix cap.* 11. *diff.* 1. *citans Montes*, dicunt, esse de fide, in Christo D. præter vnionem hypostaticam esse aliquod donum creatum pertinens ad eius sanctitatem: quod nos (inquiunt) vocamus gratiam. Addunt tamen, quòd negare, tale donum esse habitum, tantùm erit temerarium; (inquit Felix) aut contra conclusionem Theologicam: vt docent Lorca, & Montes.

7 Dico primò: non est de fide fuisse in Christo D. gratiam habitualem. Quia neque alicubi diffinitur ab Ecclesia; neque aliquod extat scripturæ testimonium, tam evidens, vt non possit explicari de gratia vnionis, vel de alijs, quæ fuerunt in Christo D. Legatur præcitatus Vazquez; qui à num. 2. expendit, ex nullo testimonio illorum, quæ ad oppositum probandum solent afferri, hoc efficaciter probari.

8 Dico secundò: non est de fide fuisse in Christo D. præter vnionem hypostaticam, aliquod donũ creatum permanens pertinens ad eius sanctitatem: Probatur sicut præcedens.

9 Obijcies primò sufficienter probari oppositum ex illo: *Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius. Psal.* 132. vbi Scriptura affirmat, idem vnguẽtum fuisse in capite (nempè in Cristo D.) & in vestimento, & barba; quibus significantur membra. Modò sic. De fide est, membra Christi D. seu fideles fieri iustos per aliquod donum creatum: ergo de fide etiam erit, Christum D. præter gratiam vnionis habuisse simile donum. Respond. negando assumptum: ægrè enim probabitur esse de fide, quòd illo vnguẽto exteriori significatur vnctio interna. Præterea hoc admisso poterat quis respondere, vnguentũ, seu donum illud esse in corpore, & in membris eiusdem rationis, seu speciei, non in se, sed quantum ad effectum sanctificandi: (sicut Sol, & ignis quantum ad effectum calefaciẽdi) & cõsequenter, quòd sicut homines fiunt iusti per aliquod donum creatũ permanens: (sivè sit gratia habitualis, sivè quid distinctum ab illa) ita Christus D. per ipsam vnionem fuit sanctus, & iustus. Quæ solutio nequit evidẽter convinci falsitatis.

10 Obijcies secundò illud; *de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratia pro gratiam Ioã* in. 1.

Res-

Respondetur ægrè probari posse tāquam de fide, quòd ly *de plenitudine* significetur aliqua alia gratia distincta ab vnione. ¶ Nec obstat aliquos PP. interpretari illum locum de gratia habituali Christi D. vel de aliquo dono creato permanente, & pertinente ad eius sanctificationem. Hoc (inquam) nō obstat. Tùm, quia Augustinus, Cyrillus, & alij PP. relati præsertim à Lorca *disp. 37. num. 3.* ly *plenum gratiæ* positum in verbis antecedentibus eiusdem capitis exponunt de gratia vnionis; de qua etiā intelligerent prædicta verba *de plenitudine eius, &c.* Tùm, quia expositio Patrum non facit propositionem aliquam esse de fide.

11 Obijcies tertiò illud *ad Rom. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Sed Charitas quæ in nostra iustificatione infunditur (expendit Suarez) est idem realiter cum gratia (secundùm Scotistas) aut ab illa inseparabilis: (secūdum Thomistas) ergo sicut certū est, nos iustificari per gratiam habitualem, certum debet esse, hanc fuisse in Christo D. Respondetur, difficulter cōuinci falsitatis eum, qui prædicta verba explicaret de charitate actuali: quæ infusa dicitur eo quòd non potest elici sine speciali Dei auxilio. ¶ Nec refert, nos iustificari per habitū. (vt expēdebat Suar.) Tùm, quia non est de fide certum, adultos iustificari per habitū. Tridentinum enim sess. 6. cap. 7. & Can. 11. solùm statuit, iustificationē fieri per donū intrinsecè inhærens in iustificato. Tū etiā, quia dato, esse de fide adultū iustificari per habitū gratię, posset quis negare (fallò quidē; tamen quin falsitatis posset euidenter conuinci) Christū D. etiā per habitum gratiæ iustificari; cum ab vnione posset sanctificari. Quę assertio non esset cōtra fidē. ¶ Ex quibus facilè solui possunt omnia alia, quæ contra prædictas duas conclusiones possunt adduci.

12 Dico tertiò: temerarium est negare Christū D. habuisse aliquod donum creatū distinctū ab vnione hypostatica pertinens ad suam sanctificationem, imò etiam erit temerarium negare hoc donū fuisse gratiam habitualem, vel charitatem. Quia hoc negans sine vrgenti fundamento opponeretur torrenti scholasticorum. ¶ Dices, esse aliquos Authores (quos suppresso nomine citat Paludanus *in 3. dist. 13. q. 2.* & quorū sententiā non admodum reprehendit, teste Suar. *disp. 18. sect. 2. in principio*) negātes, gratiam habitualem fuisse in Christo D. Respon. esse paucissimos, & sic innominatos, vt pro nullo reputentur. ¶ Dices secūdò (& est fundamentum prædictorum) gratiā habitualem superfluè poni in Christo D. Patet, quia per gratiā vnionis est infinitè sanctus. Respond. negando assumptū: quia (admissa eius probatione falsa in nostra sententia) conuenit, vt eius humanitas sanctificetur omnibus modis possibilib⁹. Hac enim ratione cō-

cc-

...nt omnes Christũ D. habere ...tiam non solùm beatam, sed n in proprio genere, & expe...entalem.

Dico quartò: ex testimonijs ...m non potest apertè cõuinci ...risto D. fuisse habitualem gra... (atque adeo ex hoc capite id ...re non erit temerariũ) Quia ...t quis respondere (quin falsi ...euidenter conuinceretur) Pa... nomine gratiæ, seu vnctionis ...initatis intelligere gratiã v... ...s hypostaticæ, aut actualem ...ratem: vt in simili dicebamus 11. Legatur Vazq *disp.* 41. ...vbi sigillatim expendit testi...ia, quæ in præsenti solent ad... Vni tamen, aut alteri oppor... ...spondere.

Obijcies Dionysium *lib. de* ...*siastica Hierarchia c.* 6. affir...em, (iuxta versionẽ Ambro... ...aldulensis) Christũ D. fuisse ...no modo sanctificatũ. Sed ...i homines (sub sumũt aduer... iustificantur per gratiã habi... ...m: ergo & Christus D secun... Dionysiũ. Respond. quòd in... ...ne Perionij non ponitur ly ...*ano modo.* ¶ Dices, quòd in ...o est quoddam adverbium, ...omisit Perionius, & signifi... ...odum humanũ. Resp. cùm ...*disp.* 41. *n.* 5. tale aduerbium ...nificare modũ humanũ; sed ...decebat, aut conueniebat; ...ni. Quare sensus Dionysij est: ...*at, hominem à Deo Patre, & ... & Spiritu Sancto sanctificari. ... Christi D. humanitatis sancti*...*ficatione spiritualium Angelorum or... suum cognouit Authorem.*

15 Obijcies secundò Cyrillum Alexandrinum *epistola ad solitariam vitam exercentes (quæ in ordine est prima, & refertur in Concilio Ephesino cap. 1.)* in qua affirmant adversarij; Cyrillum fuisse vsum hac ratione. Si quis propter illam solùm vnctionem dicat, Christum D. appellari, & esse Deum, & vere Deum adorari: eadem ratione dicere debet, nos esse Deos: siquidem etiam Christi, & vncti sumus. Vnde colligunt, ipsum loqui de gratia habituali. Respondetur posse aliquem negare (quin falsitatis conuinceretur) loqui de vnctione per formam eiusdem rationis quantùm ad entitatem; sed quantùm ad effectum sanctificandi: vt num. 9. dicebamus. Meritò autem dicit, quòd si solùm propter vnctionem (abstrahendo à forma, per quam fiat vnctio) Christus D. appellaretur, & esset Deus; nos etiam possemus dici Dij, & esse: siquidem vncti sumus, quamvis per diversam formam: (secundùm hanc solutionem) ille enim per vnionem hypostaticam, nos autem per gratiam habitualem.

16 Has solutiones, quas dixi posse authoritatibus Patrum adhiberi, nullo modo approbo: existimo tamen, nullo modo, aut saltem difficulter posse euidenter conuinci esse contra illorum mentẽ. Quare immeritò affirmãt multi, Patres tamquam dogma fidei

fidei tradidisse, fuisse in Christo D. gratiam habitualem. Imò addo, PP. non adeò apertè statuisse fuisse in Christo D. gratiam habitualem, vel aliud donum creatum distinctum ab vnione, vt sit temerariũ hoc negare; eo quòd negans opponeretur Patrũ auctoritatibꝰ. Propter quod persistendum est in tertia, & quarta conclusione: estque concludendum, absolutè quidem esse temerarium negare in Christo D. gratiam habitualẽ, aut aliquod donum creatum distinctum ab vnione hypostatica, non quidem quia apertè sit contra PP. sed quia sine fundamento sufficienti opponitur torrenti scholasticorum,

DVBIVM III.

17 PEtes tertiò, vtrùm habitualis gratia Christi D fuerit actu infinita? Respondetur negativè. Ita Scotus *in 3. dist. 13. §. Ad primam quæstionem vers. Ad quod ostendendum, & §. Ad argumenta primæ quæstionis, vers. Si primo modo, D. Th. D. Bonau. Richardus, Almaynus, Vazquez, Suarez, Lorca, Valentia, Montes, G. Hurt. & Expositores D. Th. quamvis non omnes hi, eodem modo probent hanc sententiam.* De quo videantur nostri Castillo *disp. 11. quæst. 4. à num. 2. & Felix cap. 11. diffic. 3.* qui & nunc nostram sententiam sequuntur; & citant Auctores prædictos; necnon & qui contrariã sententiã sequuntur; refutantque rationes, quibus multi nostram sententiam inefficaciter probant. Nos autem claritatis gratia prius referemus quid dixerint Auctores nobis oppositi.

18 Igitur Maior *in 3. dist. 13. quæst. 3.* affirmat, gratiam habitualem Christi D. fuisse actu infinitã. Quod probabile reputat Almaynus *ibi quæst. 1.* dicens, fuisse sententiam communem suo tempore in schola Parisiensi. Cui favet D. Tho. *2. 2. quæst. 24. art. 7.* dicens, gratiam posse crescere in infinitum. ¶ Victoria autem, & Sotus *in manuscriptis sup. 3. p. q. 7. art. 11.* dicunt, gratiam Christi D. in esse qualitatis esse finitam; at verò in esse gratiæ esse infinitam: quia reddit Christũ D. infinitè gratum, & vt sic principium merens pro infinitis. Quod declarant exẽplo monetæ: quæ quantũ ad materiale est aurea, vel argentea, tamen quantùm ad formale valor eius à decreto Principis pendet. Ita gratia quantum ad materiale, seu esse qualitatis est finita; quantum autem ad formale, seu esse gratiæ est infinita. Ego autem claritatis gratia.

18 Dico primò: gratia habitualis Christi D. in sua physica entitate, & intensione fuit finita. Quia pugnat dari qualitatem infinitè intensam: cum enim quaelibet illius pars, aut gradus addat perfectionem qualitati præexistenti, si esset infinitè intensa, haberet infinitam perfectionem. Quod creaturæ repugnat: solus enim Deus est infinitè perfectus. ¶ Dices,

s, hanc rationem facilè everti cendo, quòd intensio qualitatis ;non per additionem graduum, d per maiorem radicationem in biecto. Respōdetur ita esse: hæc im probatio supponit, fieri in- nsionem per additionem gra- uum: vt docet Scotus *in 1. dist. q. 2. §. Alia via, vers. Contra is- d, & quæst. 5. §. Ad istam quæstio- n, vers. Ad formam; & communis ntentia contra Thomistas; de quo cæteris legatur Suar. in Meta- ys. disp. 46. sect. 1. num. 29.* Et amvis in præsenti nō sit ex pro- so probandum, intensionem alitatis non fieri per maiorem licationem in subiecto, sed per ditionem novi gradus: hoc quip spectat ad primum librum de neratione, *vbi disp. 3. q. 3.* id probavimus. Tamen vtriusq; idamentum breuiter proponē- m duxi necessarium.

9 Igitur, quòd intensio non t per maiorem radicationem alitatis in subiecto, probo ex , quod accidentia extra subiec- n intenduntur: in Eucharistia m species vini magis calefiunt, frigefiunt. Secundò, quia len- ebris (eticam vocant) aliquan- est magis radicata in subiecto, m magna; & tamen non est in- sior, immo est remissior, quā gna: ergo magnitudo, seu in- sio qualitatis non est petenda maiori radicatione qualitatis ubiecto. ¶ Quòd autem inten- fiat per additionem novi gra- s, probatur ex eo quòd quæcū- que perfectio advenit rei, cui an- teà non conveniebat, ratione ali- cuius novæ entitatis. Sed inten- sio qualitatis est perfectio: ergo qualitati convenit ratione alicu- ius novæ entitatis, seu partis qu ali- tatis; quam vocant gradum quali- tatis. ¶ Solvere autem argumen- ta, quæ contra vtrūque illud fiunt, spectat ad librum primum de Ge- neratione: vbi rem hanc latè pro- secuti sumus. In præsenti enim omnia ista potiùs sunt supponen- da, quam disputanda.

20 Dico secundò: gratia Chri- sti D. in esse gratiæ, seu in munere gratificandi non fuit infinita. Quia gratia secundùm physicam entita- tem est finita: ergo, & in esse gra- tiæ seu in munere gratificandi. Pa- tet consequentia: quia gratificat in genere causæ formalis. ¶ Dices, quòd gratia non habet expellere peccatū; reddere filium Dei, &c. ex natura sua, seu secundùm suam physicam entitatem, sed ratione pacti, & acceptationis divinæ: er- go potest Deus sic acceptare gra- tiam Christi D. vt per illam grati- ficetur infinitè. Respondetur ne- gando cōsequentiam. Deus enim acceptat gratiam iuxta congruen- tiam, aut exigentiam naturalem illius: nulla autem gratia finita in sua physica entitate exigit accep- tationem infinitam, seu quòd ip- sam acceptet Deus ad infinitè gratificandum aliquod subiec- ctum.

21 Sed obijcies pro oppositis sententijs illud *Ioan. 3. num. 34.*

N non

non enim ad mensuram dat Deus spiritum: (subintellige, filio,) ergo gratia Christi Domini fuit sine mẽsura, seu infinita. Respondetur negando consequentiam. Vt enim notat G. Hurtado *disp. 7. diff. 4.* nomine *spiritus* ibi, aut non intelligitur gratia habitualis; sed ipsemet Spiritus Sanctus, qui ratione vnionis hypostaticæ per concomitantiam fuit communicatus humanitati Christi Domini, vel intelligitur diuinitas per æternam generationem Verbo communicata (vt plures PP. exponunt.) Aut si nomine *spiritus* intelligitur gratia habitualis, (vt vult D. Th. *quæst. 7. art. 1.*) dicitur data Christo Domino sine mensura; nõ quia sit infinita; sed quia data fuit in magna copia, & abundantia. In qua acceptione mare, aut cœlum v. g. vocitamus immensum.

21 Obijcies secundò: gratia habitualis data est Christo Domino ad ornandum eius humanitatem propter vnionem hypostaticam, & tanquam dispositio conseruatiua illius: Sed vnio est infinita: ergo, & gratia. Patet consequentia: quia dispositio cõseruatiua sequitur gradum naturæ, ad quam disponit. Respondetur (omissis maiori, & minori) negando consequentiam: quia prædicta conseruatiua dispositio non physicè, aut ex natura rei, sed solùm moraliter, aut ex congruentia petitur ad conseruationem vnionis hypostaticæ. Et ideò sicut sine vlla præuia collatione gratiæ facta fuit (*ex cap. 6. diff. 1. num. 1.*) potest conseruari sine gratia infinita; immo, & sine vlla.

¶ Dices, quòd ex congruentia ponimus in Christo Domino summam gratiam: ergo ex fortiori congruentia debemus ponere infinitam. Respondetur negando esse possibilem.

22 Obijcies tertiò, quòd anima Christi Domini fuit infinitè grata Deo. Sed gratia habitualis est forma gratificans: ergo hæc fuit infinita. Respondetur negando maiorem: solùm enim fuit summè grata: quia erat grata ad mensuram gratiæ habitualis: quæ in Christo Domino, non erat infinita, sed summa. ¶ Contra Christus Dominus fuit principium sufficiens ad gratificandum infinitos homines (si darentur) ergo eius gratia gratificans erat infinita. Patet consequentia: quia nemo dat, quòd non habet. Respondetur distinguendo maiorem: per ordinẽ, aut respectum ad gratiam habitualem, nego: ad suppositum, cõcedo. Itaque Christus Dominus fuit principium gratificans homines saltem (de Angelis enim modò non disputamus) satisfaciendo pro illorum debitis, seu merendo suis operibus, quòd eis conferretur gratia, & remitterentur peccata. Meritum autem Christi Domini aut eius satisfactio diuersos induebat ordines, seu respectus, quibus valor eius operum integrabatur. Respiciebant enim eius opera volun-

luntatem operantem cum libertate contingentiæ; obiectum benè circumstantionatum; habitualem gratiam, qua Christus Dominus reddebatur formaliter amicus, & eius opera digna acceptari, vt meritoria; & demum suppositum divinum, quo supposítabatur humana natura, quæ erat principium elicitivum talium operum. Ad rem ergo: opera meritoria, aut satisfactoria Christi Domini erant quidem sufficientia ad gratificandum infinitos homines, (si darentur) pro ipsorum peccatis satisfaciendo, seu merendo, vt illis conferretur gratia. Tamen sufficientia ista attendenda est, non penès respectum, quem opera dicunt ad gratiam sanctificantem; sed per respectū, quem dicunt ad suppositum divinum, à quo hauriebant quandam infinitatem; ratione cuius poterant acceptari pro infinitis: vt fatetur Scotus *in 3. distinct. 19. §. Quantum ad sufficientiam vers. Tamen ex circumstantia.*

DVBIVM IIII.

23 PEtes quartò, an habitualis gratia Christi Domini potuerit augeri quoad intensionem? Respondetur negativè. Quia gratia Christo Domino collata ab instanti suæ conceptionis fuit summa: ergo intendi non potest. Antecedens probatur ex eo quòd ponere summam gratiam in Christo Domino est possibile: & aliàs commendat eius excellentiam, & perfectionem. Ita Scotus *in 3. distinct. 13. § Ad primam quæstionem, & §. Ad tertiam quæstionem, Pitygianus, Fabrus, Lichetus, Tartaretus, Ovandus, Caiet. D. Thomas, D. Bonaventura, & Lorca; quos citant, & sequuntur Castillo disp. 11. quæst. 5. numero 7. & Felix capite, 11. difficult. 4.*

24 Sed Suarez *disp. 22. Vazq. disput. 47. Becanus cap. 8. quæst. 4. & G. Hurtado disp. 7. quæst. 5. & communiter Thomistæ* affirmant, ex nullo capite repugnare, gratiam habitualem Christi Domini augeri in infinitum. Et obiiciunt: non repugnat, quantitatem permanentem augeri in infinitum: ergo neque augeri qualitatem. Respondetur negando consequentiam: quia quilibet gradùs qualitatis addit perfectionem, perfectioni gradus præexistentis: atque adeò si qualitas non haberet terminum, seu maximum *quod sic* daretur creatura infinitæ perfectionis. Quod non sequitur in quantitate: quia vna pars est extra aliam: & sic illam non perficit, seu illi non addit perfectionem: & consequenter non daretur (adhuc admissa infinita quantitate molis) creatura infinitæ perfectionis. ¶ Respondetur secundò negando antecedens:

N 2 quia,

quia, admissa infinita quantitate, etiam sequeretur, dari creaturam infinitæ perfectionis: etenim quamvis vna pars non addat perfectionem parti præexistenti; tamen in toto quanto reperiretur infinita perfectio, supposito, quod quælibet pars gaudet sua partiali perfectione. Propter quòd *lib. 3. Physicorum* negavi, posse dari infinitum etiam in quãtitate.

25. Objiciunt secundò, quòd infinitum augmentum in intensione non extrahit gratiam à ratione finitæ in essendo, seu in perfectione essentiali, & specifica: ergo non est inconveniens admittere gratiam infinitè intensam. Respondetur negando consequentiã: est enim etiam inconveniens admittere creaturam, quæ sit infinita in entitate individuali: talis quippè verè esset infinita in essendo, seu in entitate sibi intrinseca; quamvis non esset infinita in sua intrinseca ratione specifica. Imo addo, quod cum gradus specificus realiter identificetur cum gradu individuali, etiam in sua ratione specifica esset realiter infinita prædicta gratia, seu creatura. Sicut relationes divinæ, quamvis secundùm suas rationes formales abstrahant à perfectione quantitativa, (secundùm Scotum) realiter sunt infinitæ, & Deus: eoquòd realiter identificantur cum essentia, quæ realiter est infinita.

26. Objiciunt tertiò: gratia Christi Domini est summa? Ergo nequit augeri per opera meritoria. Respondetur ita esse. ¶ Cõtra, quòd de facto fuit aucta iuxta illud *Lucæ 2. Puer Iesus proficiebat ætate, & sapientia, & gratia apud Deum, & homines*: ergo potuit augeri. Respondetur negando antecedens. Ad prædictam auctoritatem diversimodè respondent PP. & Doctores. (quamvis sit omniũ cõvenientia, habitualem gratiam Christi Domini de facto non fuisse auctam) Sufficiat dicere cum Vazq. *disp. 47. cap. 1. à num. 5. & cum G. Hurt. disp. 7. diff. 5.* sic loqui Evangelistam ad significandũ puerum Iesum crevisse iuxta incrementum ætatis quoàd verba, & opera externa procedentia à sapientia, & gratia, qua quotidiè verba sapientiora loquebatur, & opera externa ex obiecto, & circumstantijs meliora faciebat. Solet etiã objici contra prædictam solutionẽ Concilium Vienense damnat Biguardos, & Biguinos dicentes, posse in hac vita perveniri ad statum, in quo neque peccare, neque mereri possint homines. Respondetur non esse ad rem: quia Concilium non loquitur de Christo Domino, qui est impeccabilis (saltèm potentia consequenti) & eius gratia nullum augmentum recepit ex convenientia Theologorum.

27 Divus Bonaventura *in 1. distinctione 17. in secunda parte articulo 1. quæstione 4. Richardus eadem*

eadem distinct. art. 2. & Driedo lib. de Captivitate tit. 2. cap. 2. puncto 3. art. 6. sect. 8. affirmant, quòd quamvis gratia habitualis Christi Domini sit de se infinitè augmentabilis; tamen ratione subiecti, & propter defectum capacitatis illius non potest augeri. Quare affirmant, quod eademmet gratia in Angelo posset augeri: quia in illo est maior capacitas. Et obijciunt contra nostram conclusionem, quòd potest Deus producere naturam intellectualem cum maiori, & maiori capacitate vsque in infinitum; ac est natura humana Christi Domini, ergo gratiâ, quæ est in illo quamvis non sit augmentabilis in eo, quia replet eius capacitatem, de se augmentabilis est, & posset augmentari in alio subiecto maioris capacitatis. Antecedens probatur: quia natura tanto est capacior, quanto est perfectior. Sed Deus potest producere naturam intellectualem magis, ac magis perfectam vsque in infinitum: ergo, & naturam magis, ac magis capacem. Resp. (ex Scoto *in 3. d. 13. §. Ad primam quæstionem à vers. Secundum, quòd magis est*) negando antecedens: in quocumque enim subiecto est æqualis capacitas respectu gratiæ. Ad probationem nego maiorem: vas enim v. g. non habet maiorē capacitatem ex eo quòd sit aureum, vel ligneum. Est etiam falsa minor: non enim est creabilis creatura (præcipuè substantialis) infinitæ perfectionis.

28 Sed vt probent, d'versam capacitatem debere attendi iuxta diversitatem, & perfectionem naturarum, addunt exemplum caloris, qui maior est in igni quàm in aëre: ergo augmentum formæ debet attendi iuxta capacitatem subiecti: quia forma de se semper est augmentabilis. Respondetur tantum calorem posse recipi in aere, sicut in igne, hac observata differentia, quod calor in summo est qualitas conservativa ignis, & destructiva aeris. Gratia autem est qualitas supernaturalis, quæ neque est conseruativa, neque destructiua animæ, aut Angeli.

29 Sed insurgunt, quòd B. Virgo dicitur *gratia plena Lucæ 1.* & Stephanus *Actor 4.* Sed non habuerunt tantam gratiam, sicut habuit Christus Dominus, ergo gratia debet modificari ratione subiecti, seu eadem gratia erit summa respectu huius subiecti, & augmentabilis respectu alterius maioris capacitatis: ergo non omnia subiecta sunt æqualis capacitatis. Respondetur negendo consequētias: quia ly *plenum* ibi, & frequētius in Scriptura non sumitur pro omnimoda, seu rigorosa plenitudine qua exhauriatur capacitas subiecti, quod dicitur plenum, sed pro quadam magnitudine, & abundantia. Qua ratione *Ioan. 21. num. 11.* dicitur: *Ascendit Petrus & traxit rete in terram plenum magnis piscibus, centum quinquaginta tribus: & Matth. 23. num. 2.* de sepulchris dealbatis dicitur,

N3 quòd

quòd *plena fuit ossibus mortuorum, & omni spurcitia.* Et tamen difficilè erit creditu, quòd rete non poterat capere aliquem alium piscem; & sepulchra aliquot alia ossa. Sic respondent communiter.

30 Quam solutionem loquendo de plenitudine gratiæ Stephani, approbo: loquendo tamen de plenitudine B. Virginis solùm permitto: scio enim aliquibus placere affirmare, B. Virginis gratiam fuisse summam, iuxta illud D. Hieronymi: *Mariæ simul tota infudit plenitudo gratiæ.* Et infra: *In Mariam verò totius gratiæ, quæ in Christo est, plenitudo venit, quamquam aliter.* (id est inæquali debito.) Sic habetur in officio Purissimæ Conceptionis, quod nos Minoritæ recitamus, & sumptum fuit ex *tom. 4. serm. de Assumpt. Epist. ad Paulã, & Eustochiũ.* Quæ sũma plenitudo gratiæ debito congruentiæ fuit debita B. Virgini, eo quòd fuit mater Dei; neque tanta gratia excedit eius dignitatem: vt enim dixit Anselmus *lib. de Excellentia Virginitatis. cap. 21. Hoc solùm de Sancta Virgine prædicare, quòd est mater Dei, excedit omnem altitudinẽ, quæ post Deum dici aut excogitari potest.* Igitur loquendo de Gloriosissima Virgine præfatam communem solutionem solùm permitto: siquidem prædicta sententia est mihi satis probabilis. Et nisi Scotus (*in 3 dist. 13. q. 4. §. Quantum ad secundam, vers. Confirmatur,* vbi solùm animæ Christi D. vult concedere summam gratiam creabilẽ) mihi obstare videretur; illam absolutè defenderem. Et ideò, ne Scoto suspectus forem, illam solùm vt probabilem in hac Complutensium celeberrima Academia in publicis concertationibus semel, & iterum in honorem Virginis propugnavi, & propugno modò.

DVBIVM V.

31 PEtes quintò, an pura creatura (hoc est non vnita personaliter Deo.) possit pervenire ad intensionem gratiæ habitualis Christi Domini? Respondetur affirmativè, loquendo de potentia absoluta. Quia gratia Christi Domini solùm negativè est summa. Si tamen loquamur de potentia ordinaria respondetur negativè. Quia ad excellentiam Christi Domini spectat, sibi fuisse collatam intensiorem gratiam, quam de lege ordinaria potest conferri. Hocque exposcit eius excellentissima dignitas Capitis Ecclesiæ Militantis, & Triumphantis. Legatur Scotus *in 3. dist. 13. q. 4. §. Ad primam quæstionem. & §. & versic. Hic iuxta, ibi Scotistæ.* Ego autem etsi concedam, hanc esse Scoti mentem, probabile existimo, de facto Beatæ Virgini summam gratiam sanctificantem fuisse collatam: vt numero præcedenti dicebamus.

DVBIVM VI.

32 PEtes sextò, an gratia habitualis Christi Domini phy-

physicè, & necessariò oriatur ab vnione hypostatica? Respondetur negativè. Quia gratia creatur: ergò à solo Deo potest immediatè procedere. Antecedens suppono cum Scoto *in 4. distinct. 1. quæst. 4. vers. Item Augustinus, & q. 5. § & vers. Contra ista, & alibi.* Secundò, quia eo ipso, quòd est gratia, repugnat, quòd necessario consequatur naturam alicuius: alioqui non esset gratia. Legatur Scotus *in 2. d. 23. §. Dico igitur, vers. Quantumcumque* (sic prosequens) *gratia alicuius naturæ concreetur, semper tamen gratia esset gratia; nec esset naturalis ita quòd de natura sua, vel consequens naturam necessariò.* Hanc nostram conclusionem tenent *Vazq. Suar. Ragusa, & Becanus, quos citat, & sequitur G. Hurtado disp. 7. diff. 7.*

DVBIVM VII.

33 PEtes septimò, an gratia habitualis dicenda sit Christo Domino connaturalis? Respondetur sub distinctione. Si enim loquamur de Christo Domino quatenus homo est, non est dicenda illi connaturalis. Aliàs gratia non esset gratia, aut indebita. Oppositum tamen est dicendum, si loquamur de Christo D. quatenus Deus est. Et tunc sensus est, Christum D. quatenùs Deus est, habere virtutē productivam gratiæ. Ideoque gratiam dici ei cōnaturalē, sicut quicumque effectus dicitur connaturalis suæ causæ. Si autem cōtēdas, gratiam posse dici connaturalem Christo D. quatenùs homo est; eo quòd debito congruentiæ fuit debita illi humanitati in prioritate naturæ vnitæ Verbo collatio summæ gratiæ propter prædictā vnionem. Hoc non renuam cōcedere. Solùm enim negamus in præsenti ferè idem, quod dubio præcedenti, nempè ab humanitate, vt vnita diuino Verbo gratiam habitualē, non dimanare, sicut dimanat passio ab essentia, aut non procedere, sicut effectus procedit à sua causa; ac propterea non posse gratiam habitualem in hoc sensu dici connaturalem humanitati, aut Christo Domino secundùm humanitatē.

DIFFICVLTAS III.

De spectantibus ad gratiam actualē Christi D.

DVBIVM I.

1 PEtes primo, quid nomine gratiæ actualis intelligamus in præsenti? Respondetur multa nos comprehendere. In primis enim nomine gratiæ actualis intelligimus sanctam cogitationem, qua creatura vocatur, seu excitatur ad benè operandum in ordine ad consequendum vitam æternam. Insuper intelligunt nomine gratiæ actualis, subitum voluntatis motum, quo

quam incongruentiam habeant cum dignitate Christi Domini specialeter de multis est disserendum.

De virtutibus Theologalibus.

1 NOta est apud omnes divisio virtutis in Theologales, & morales, Theologales vocant illas, quæ immediate versantur circa Deum. Morales autē quæ occupantur circa mores cōponendos. ¶ *Est autem virtus habitus, qui bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit*: vt docet Arist. *2. æticorum cap. 6. versus finē*: Quibus verbis comprehenduntur virtutes non solùm morales, sed etiam infusæ; quamvis aliàs postremas Aristoteles non cognoverit. Igitur cùm virtus Theologica excellentior sit, quàm moralis, de illa est priùs agendum. Item cùm charitas præstātior sit, quàm fides, & spes; iuxta illud: *Nunc autem manent fides, spes, Charitas; tria hæc, maior autem horum est charitas*: *1. ad Chor. 13. num. 13.* de charitate priùs disputabimus.

De charitate.

2 CHaritatem Theologicam sic definit August. *Lib. 3. de Doctrina Christiana cap. 10. Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum; & se, & proximo propter Deum.*

***

DVBIVM I.

3 PEtes primò, an in Christo D. fuerit charitas? Respond. affirmativè. Quia ex nullo capite incongruit Redēptori. Imò est omnium nobilissima, & cunctarum Regina virtutum. Prętereà de charitate Christi Domini erga Deum communiter accipitur illud: *vt possitis comprehendere, & scire supereminentem scienti e charitatem Christi; ad Ephes.* De charitate autem Christi Domini erga proximos extat illud: *sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos: Ioan.* 15. ¶ Quòd autem in Christo Domino ponenda sit charitas habitualis, constat ex eoquòd non dicit aliquam incongruentiam. Et etiam ex eoquòd est idem realiter cum habitu gratiæ, (secundùm nos Scotistas) aut saltem inseparabilis ab illo; (secundùm Thomistas) sed in Christo Domino fuit gratia habitualis: (*ex diff. 1. à n. 1.*) ergo & habitualis charitas.

De spe Theologali.

DVBIVM II.

4 PEtes secūdo, quid sit spes? Respondetur, quòd est efficax desiderium circa bonum arduum: vt suppono ex tractatu de de spe cum communissima sententia contra paucos asserentes pertinere ad Intellectum. Legatur Scotus *in 3. dist. 26. §. Ad quæstionem*

nem versic. Dico igitur. ¶ In super suppono ex prædicto tractatu de spe, quatuor conditiones requiri, vt aliquòd sit obiectum spei. Prima est, vt sit in se bonum, vel saltem vt tale apprehendatur: mala enim nō speramus, sed fugim⁹. Secūda, quòd sit futurum, absens, vel non possessum: res enim possessas non speramus; sed de illis gaudemus. Tertia, quòd sit nobis possibilis eius consequutio: quia circa impossibile cognitum, vt tale, nequit potentia tendere cū erectione animi; aut cum fortitudine qua ratione spes tendit in suum obiectū. Quarta, quòd eius obiectū sit arduū, aut cū difficultate acquirendū: res enim minimas, aut faciles acquisitu non speramus sed desideramus.

5 Sed cùm ex diversis capitib⁹ possit evenire, quòd obiectū sit arduū, aut acquisitu difficile; molesta satis est controversia in tractatu de spe; an requiratur, quòd arduitas obiecti spei proveniat ex determinato capite? De quo duplex extat opposita sententia. Alia affirmativa; negativa alia. Imò longū est dissidiū inter AA. affirmativæ in determinando caput arduitatis. Etenim *Vazq. 1.2. disp. 84. c. 2. & disp. 235.*, & aliqui alij affirmāt, arduitatē obiecti spei cōsistere præcisè in hoc; quod res sperata sit acquirenda alteri⁹ auxilio, & ope. Tamē cōtra Vazq. stat, quòd secūdū cōmunē modū loquendi dicimur sperare vincere hostes; fieri docti; & plura alia, quæ tamen proprio labore, & virtute debem⁹ acquirere. ¶ Alij affirmant, prædictā arduitatē in cōsistere in hoc, quòd obiectū speratū sit cōtingens, & incertū respectu illius, qui sperat. Tamē contra hos sequitur, in animab⁹ Purgatorij, in Apostolis, & in eo, cui facta est revelatio de sua prædestinatione, non esse spem. ¶ Alij dicunt, prædictam arduitatē stare in hoc, quòd obiectū speratū sit cōsequēdum per labores illius, qui sperat. Sed contra; quòd nos speramus auxilia ad bene operandū, & agēdū pœnitentiā; & tamē prædicta auxilia liberaliter, & sine aliquo labore conferuntur à Deo.

6 Igitur standū est cōmuniori sententiæ quæ affirmat, arduitatē obiecti spei consistere in difficultate consequutionis rei speratæ abstrahendo, seu non determinando caput difficultatis, seu arduitatis obiecti sperati. Quare aliquando orietur ex magnitudine rei speratæ superātē vires nostras; aliquando autem ex alijs circumstantijs, scilicet ex distantia; ex cōtingentia; ex tēporis diuturnitate; ex labore; atque ex aliquo alio capite difficultatū; quæ cōmitantur obiectū speratum. Quæ omnia in prædicto tractatu (Deo dante) fusius examinabimus.

DVBIVM III.

7 PEtes tertiò conditiones requisitas, vt aliqua virtus sit Theologica? Respondetur duas saltem ab omnibus se-

fidei tradidisse, fuisse in Christo D. gratiam habitualem. Imò addo, PP. non adeò apertè statuisse fuisse in Christo D. gratiam habitualem, vel aliud donum creatum distinctum ab vnione, vt sit temerariū hoc negare; eo quòd negans opponeretur Patrū auctoritatibꝰ. Propter quod persistendum est in tertia, & quarta conclusione: estque concludendum, absolutè quidem esse temerarium negare in Christo D. gratiam habitualē, aut aliquod donum creatum distinctum ab vnione hypostatica, non quidem quia apertè sit contra PP. sed quia sine fundamento sufficienti opponitur torrenti scholasticorum.

DVBIVM III.

17 PEtes tertiò, vtrùm habitualis gratia Christi D fuerit actu infinita? Respondetur negativè. Ita Scotus *in 3. dist. 13. §. Ad primam quæstionem vers. Ad quod ostendendum, & §. Ad argumenta primæ quæstionis, vers. Si primo modo, D. Th. D. Bonau. Richardus, Almaynus, Vazquez, Suarez, Lorca, Valentia, Montes, G. Hurt, & Expositores D. Th. quamvis non omnes hi eodem modo probent hanc sententiam.* De quo videantur nostri Castillo *disp. 11. quæst. 4. à num. 2. & Felix cap. 11. diffic. 3.* qui & nunc nostram sententiam sequuntur; & citant Auctores prædictos; necnon & qui contrariā sententiā sequuntur: refutantque rationes, quibus multi nostram sententam inefficaciter probant. Nos autem claritatis gratia prius referemus quid dixerint Auctores nobis oppositi.

18 Igitur Maior *in 3. dist. 13. quæst. 3.* affirmat, gratiam habitualem Christi D. fuisse actu infinitā. Quod probabile reputat Almaynus *ibi quæst. 1.* dicens, fuisse sententiam communem suo tempore in schola Parisiensi. Cui favet D. Tho. *2. 2. quæst. 24. art. 7.* dicens, gratiam posse crescere in infinitum. ¶ Victoria autem, & Sotus *in manuscriptis sup. 3. p. q. 7. art. 11.* dicunt, gratiam Christi D. in esse qualitatis esse finitam; at verò in esse gratiæ esse infinitam: quia reddit Christū D. infinitè gratum, & vt sic principium merens pro infinitis. Quod declarant exēplo monetæ: quæ quantū ad materiale est aurea, vel argentea, tamen quantùm ad formale valor eius à decreto Principis pendet. Ita gratia quantum ad materiale, seu esse qualitatis est finita; quantum autem ad formale, seu esse gratiæ est infinita. Ego autem claritatis gratia.

18 Dico primò: gratia habitualis Christi D. in sua physica entitate, & intensione fuit finita. Quia pugnat dari qualitatem infinitè intensam: cum enim quælibet illius pars, aut gradus addat perfectionem qualitati præexistenti, si esset infinitè intensa, haberet infinitam perfectionem. Quod creaturæ repugnat: solus enim Deus est infinitè perfectus. ¶ Dices,

ces, hanc rationem facilè everti dicendo, quòd intensio qualitatis fit, non per additionem graduum, sed per maiorem radicationem in subiecto. Respōdetur ita esse: hæc enim probatio supponit, fieri intensionem per additionem graduum: vt docet Scotus *in 1. dist. 17. q. 2. §. Alia via, vers. Contra istud, & quæst. 5. §. Ad istam quæstionem, vers. Ad formam; & communis sententia contra Thomistas: de quo præ cæteris legatur Suar. in Metaphys. disp. 46. sect. 1. num. 29.* Et quamvis in præsenti nō sit ex professo probandum, intensionem qualitatis non fieri per maiorem radicationem in subiecto, sed per additionem novi gradus: hoc quippè spectat ad primum librum de Generatione, *vbi disp. 3. q. 3.* id latè probavimus. Tamen vtriusq; fundamentum breuiter proponēdum duxi necessarium.

19 Igitur, quòd intensio non fiat per maiorem radicationem qualitatis in subiecto, probo ex eo, quòd accidentia extra subiectum intenduntur: in Eucharistia enim species vini magis calefiunt, & frigefiunt. Secundò, quia lenta febris (eticam vocant) aliquando est magis radicata in subiecto, quàm magna; & tamen non est intensior, immo est remissior, quā magna: ergo magnitudo, seu intensio qualitatis non est petenda ex maiori radicatione qualitatis in subiecto. ¶ Quòd autem intensio fiat per additionem novi gradus, probatur ex eo quòd quæcūque perfectio advenit rei, cui anteà non conveniebat, ratione alicuius novæ entitatis. Sed intensio qualitatis est perfectio: ergo qualitati convenit ratione alicuius novæ entitatis, seu partis qualitatis; quam vocant gradum qualitatis. ¶ Solvere autem argumenta, quæ contra vtrūque istud fiunt, spectat ad librum primum de Generatione: vbi rem hanc latè prosecuti sumus. In præsenti enim omnia ista potiùs sunt supponenda, quam disputanda.

20 Dico secundò: gratia Christi D. in esse gratiæ, seu in munere gratificandi non fuit infinita. Quia gratia secundùm physicam entitatem est finita: ergo, & in esse gratiæ seu in munere gratificandi. Patet consequentia: quia gratificat in genere causæ formalis. ¶ Dices, quòd gratia non habet expellere peccatū; reddere filium Dei, &c. ex natura sua, seu secundùm suam physicam entitatem, sed ratione pacti, & acceptationis divinæ: ergo potest Deus sic acceptare gratiam Christi D. vt per illam gratificetur infinitè. Respondetur negando cōsequentiam. Deus enim acceptat gratiam iuxta congruentiam, aut exigentiam naturalem illius: nulla autem gratia finita in sua physica entitate exigit acceptationem infinitam, seu quòd ipsam acceptet Deus ad infinitè gratificandum aliquod subiectum.

21 Sed objicies pro oppositis sententijs illud *Ioan, 3. num. 34.*

non enim ad mensuram dat Deus spiritum: (sub intellige, filio,) ergo gratia Christi Domini fuit sine mẽsura, seu infinita. Respondetur negando consequentiam. Vt enim notat G. Hurtado *disp.* 7. *diff.* 4. nomine *spiritus* ibi, aut non intelligitur gratia habitualis; sed ipsemet Spiritus Sanctus, qui ratione vnionis hypostaticæ per concomitantiam fuit communicatus humanitati Christi Domini, vel intelligitur divinitas per æternam generationem Verbo communicata (vt plures PP. exponunt.) Aut si nomine *spiritus* intelligitur gratia habitualis, (vt vult D. Th. *quæst.* 7. *art.* 1.) dicitur data Christo Domino sine mensura, nõ quia sit infinita; sed quia data fuit in magna copia, & abundantia. In qua acceptione mare, aut cœlum v. g. vocitamus immensum.

21 Obijcies secundò: gratia habitualis data est Christo Domino ad ornandum eius humanitatem propter vnionem hypostaticam, & tanquam dispositio conservativa illius: Sed vnio est infinita: ergo, & gratia. Patet consequentia: quia dispositio cõservativa sequitur gradum naturæ, ad quam disponit. Respondetur (omissis maiori, & minori) negando consequentiam: quia prædicta conservativa dispositio non physicè, aut ex natura rei, sed solùm moraliter, aut ex congruentia petitur ad conseruationem vnionis hypostaticæ. Et ideò sicut sine vlla prævia collatione gratiæ facta fuit (*ex cap.* 6. *diff.* ... *num.* 1.) potest conseruari sine gratia infinita; immo, & sine vlla. ¶ Dices, quòd ex congruentia ponimus in Christo Domino summam gratiam: ergo ex fortiori congruentia debemus ponere infinitam. Respondetur negando esse possibilem.

22 Obijcies tertiò, quòd anima Christi Domini fuit infinitè grata Deo. Sed gratia habitualis est forma gratificans: ergo hæc fuit infinita. Respondetur negando maiorem: solùm enim fuit summè grata: quia erat grata ad mensuram gratiæ habitualis: quæ in Christo Domino, non erat infinita, sed summa. ¶ Contra Christus Dominus fuit principium sufficiens ad gratificandum infinitos homines (si darentur) ergo eius gratia gratificans erat infinita. Patet consequentia: quia nemo dat, quòd non habet. Respondetur distinguendo maiorem: per ordinẽ, aut respectum ad gratiam habitualem, nego: ad suppositum, cõcedo. Itaque Christus Dominus fuit principium gratificans homines saltem (de Angelis enim modò non disputamus) satisfaciendo pro illorum debitis, seu merendo suis operibus, quòd eis conferretur gratia, & remitterentur peccata. Meritum autem Christi Domini aut eius satisfactio diversos induebat: ordines, seu respectus, quibus valor eius operum integrabatur. Respiciebant enim eius opera volun-

limitatem operantem cum libertate contingentiæ; obiectum benè circumuantionatum; habitualem gratiam, qua Christus Dominus reddebatur formaliter amicus,& eius opera digna acceptari, vt meritoria; & demum suppositum diuinum, quo suppositabatur humana natura, quæ erat principium elicitivum talium operum. Ad rem ergo: opera meritoria, aut satisfactoria Christi Domini erant quidem sufficientia ad gratificandum infinitos homines, (si darentur) pro ipsorum peccatis satisfaciendo, seu merendo,vt illis conferretur gratia. Tamen sufficientia ista attendenda est, non penès respectum, quem opera dicunt ad gratiam sanctificantem; sed per respectũ, quem dicunt ad suppositum diuinum, à quo hauriebant quandam infinitatem; ratione cuius poterant acceptari pro infinitis: vt fatetur Scotus *in 3.distinct.19. §. Quantum ad sufficientiam vers. Tamen ex circumstantia.*

DVBIVM IIII.

23 PEtes quartò, an habitualis gratia Christi Domini potuerit augeri quoad intensionem? Respondetur negativè. Quia gratia Christo Domino collata ab instanti suæ conceptionis fuit summa: ergo intendi non potest. Antecedens probatur ex eo quòd ponere summam gratiam in Christo Domino est possibile: & aliàs commendat eius excellentiam, & perfectionem. Ita Scotus *in 3. distinct.13. § Ad primam quæstionem, & §. Ad tertiam quæstionem, Pitygianus, Fabrus, Lichetus, Tartaretus, Ovandus, Caiet. D. Thomas, D. Bonaventura, & Lorcà; quos citant, & sequuntur Castillo disp. 11. quæst. 5. numero 7. & Felix capite 11. difficult. 4.*

24 Sed Suarez *disp.22. Vazq. disput. 47. Becanus cap. 8. quæst. 4. & G. Hurtado disp. 7. quæst. 5. & communiter Thomistæ* affirmant, ex nullo capite repugnare, gratiam habitualem Christi Domini augeri in infinitum. Et obijciunt: non repugnat, quantitatem permanentem augeri in infinitum: ergo neque augeri qualitatem. Respondetur negando consequentiam: quia quilibet gradus qualitatis addit perfectionem, perfectioni gradus præexistentis: atque adeò si qualitas non haberet terminum, seu maximum *quod sic* daretur creatura infinitæ perfectionis. Quòd non sequitur in quantitate: quia vna pars est extra aliam: & sic illam non perficit, seu illi non addit perfectionem: & consequenter non daretur (adhuc admissa infinita quantitate molis) creatura infinitæ perfectionis. ¶ Respondetur secundò negando antecedens: quia,

quia, admissa infinita quantitate, etiam sequeretur, dari creaturam infinitæ perfectionis: etenim quamvis vna pars non addat perfectionem parti præexistenti; tamen in toto quanto reperiretur infinita perfectio, supposito, quod quælibet pars gaudet sua partiali perfectione. Propter quòd *lib.3. Physicorum* negavi, posse dari infinitum etiam in quātitate.

25 Obijciunt secundò, quod infinitum augmentum in intensione non extrahit gratiam à ratione finitæ in essendo, seu in perfectione essentiali, & specifica: ergo non est inconveniens admittere gratiam infinitè intensam. Respondetur negando consequentiā: est enim etiam inconveniens admittere creaturam, quæ sit infinita in entitate individuali: talis quippè verè esset infinita in essendo, seu in entitate sibi intrinseca, quamvis non esset infinita in sua intrinseca ratione specifica. Imò addo, quod cum gradus specificus realiter identificetur cum gradu individuali, etiam in sua ratione specifica esset realiter infinita prædicta gratia, seu creatura. Sicut relationes divinæ, quamvis secundùm suas rationes formales abstrahant, à perfectione quantitativa, (secundùm Scotum) realiter sunt infinitæ, & Deus: eoquòd realiter identificantur cum essentia, quæ realiter est infinita.

26 Obijciunt tertiò: gratia Christi Domini est summa? Ergo nequit augeri per opera meritoria. Respondetur ita esse. ¶ Cōtra, quòd de facto fuit aucta iuxta illud *Lucæ 2. Puer Iesus proficiebat ætate, & sapientia, & gratia apud Deum, & homines*: ergo potuit augeri. Respondetur negando antecedens. Ad prædictam auctoritatem diversimodè respondent PP. & Doctores. (quamvis sit omniū cōvenientia, habitualem gratiam Christi Domini de facto non fuisse auctam) Sufficiat dicere cum Vazq. *disp.47. cap.1. à num. 3. & cum G. Hurt. disp.7. diff. 5.* sic loqui Evangelistam ad significandū puerum Iesum crevisse iuxta incrementum ætatis quoàd verba, & opera externa procedentia à sapientia, & gratia, qua quotidiè verba sapientiora loquebatur, & opera externa ex obiecto, & circumstantijs meliora faciebat. Solet etiā obijci contra prædictam solutionē Concilium Vienense damnat Biguardos, & Biguinos dicentes, posse in hac vita perveniri ad statum, in quo neque peccare, neque mereri possint homines. Respondetur non esse ad rem: quia Concilium non loquitur de Christo Domino, qui est impeccabilis, (saltèm potentia consequenti) & eius gratia nullum augmentum recepit ex convenientia Theologorum.

27 Divus Bonaventura *in 1. distinctione 17. in secunda parte articulo 1. quæstione 4. Richardus eadem*

eadem distinct. art. 2. & Driedo lib. de Captivitate tit. 2. cap. 2. puncto 3. art. 6. sect. 8. affirmant, quòd quamvis gratia habitualis Christi Domini sit de se infinitè augmentabilis; tamen ratione subiecti, & propter defectum capacitatis illius non potest augeri. Quare affirmant, quod eademmet gratia in Angelo posset augeri: quia in illo est maior capacitas. Et obijciunt contra nostram conclusionem, quòd potest Deus producere naturam intellectualem cum maiori, & maiori capacitate vsque in infinitum; ac est natura humana Christi Domini, ergo gratia, quæ est in illo quamvis non sit augmentabilis in eo, quia replet eius capacitatem, de se augmentabilis est, & posset augmentari in alio subiecto maioris capacitatis. Antecedens probatur: quia natura tanto est capacior, quanto est perfectior. Sed Deus potest producere naturam intellectualem magis, ac magis perfectam vsque in infinitum: ergo, & naturam magis, ac magis capacem. Resp. (ex Scoto *in 3. d. 13. §. Ad primam quæstionem à vers. Secundum, quòd magis est*) negando antecedens: in quocumque enim subiecto est æqualis capacitas respectu gratiæ. Ad probationem nego maiorem: vas enim v. g. non habet maiorē capacitatem ex eo quòd sit aureum, vel ligneum. Est etiam falsa minor: non enim est creabilis creatura (præcipuè substantialis) infinitæ perfectionis.

28 Sed vt probent, diversam capacitatem debere attendi iuxta diversitatem, & perfectionem naturarum, addunt exemplum caloris, qui maior est in igni quàm in aère: ergo augmentum formæ debet attendi iuxta capacitatem subiecti: quia forma de se semper est augmentabilis. Respondetur tantum calorem posse recipi in aere, sicut in igne, hac observata differentia, quod calor in summo est qualitas conservativa ignis, & destructiva aeris. Gratia autem est qualitas supernaturalis, quæ neque est conservativa, neque destructiua animæ, aut Angeli.

29 Sed insurgunt, quod B. Virgo dicitur *gratia plena Lucæ 1.* & Stephanus *Actor 4.* Sed non habuerunt tantam gratiam, sicut habuit Christus Dominus, ergo gratia debet modificari ratione subiecti, seu eadem gratia erit summa respectu huius subiecti, & augmentabilis respectu alterius maioris capacitatis: ergo non omnia subiecta sunt æqualis capacitatis. Respondetur negando consequētias: quia ly *plenum* ibi, & frequētius in Scriptura non sumitur pro omnimoda, seu rigorosa plenitudine qua exhauriatur capacitas subiecti, quod dicitur plenum, sed pro quadam magnitudine, & abundantia. Qua ratione *Ioan. 21. num. 11.* dicitur: *Ascendit Petrus & traxit rete in terram plenum magnis piscibus, centum quinquaginta tribus: & Matth. 23. num. 2.* de sepulchris dealbatis dicitur, quòd

quòd *plena fuit ossibus mortuorum, & omni spurcitia.* Et tamen difficilè erit creditu, quòd rete non poterat capere aliquem alium piscem; & sepulchra aliquot alia ossa. Sic respondent communiter.

30 Quam solutionem loquendo de plenitudine gratiæ Stephani approbo: loquendo tamen de plenitudine B. Virginis solùm permitto: scio enim aliquibus placere affirmare, B. Virginis gratiam fuisse summam, iuxta illud D. Hieronymi: *Mariæ simul tota infudit plenitudo gratiæ.* Et infra: *In Mariam verò totius gratiæ, quæ in Christo est, plenitudo venit, quamquam aliter.* (id est inæquali debito) Sic habetur in officio Purissimæ Conceptionis, quod nos Minoritæ recitamus, & sumptum fuit ex *tom. 4. serm. de Assumpt. Epist. ad Paulã, & Eustochiũ.* Quæ sũma plenitudo gratiæ debito congruentiæ fuit debita B. Virgini, eo quòd fuit mater Dei; neque tanta gratia excedit eius dignitatem: vt enim dixit Anselmus *lib. de Excellentia Virginitatis, cap. 21. Hoc solùm de Sancta Virgine prædicare, quòd est mater Dei, excedit omnem altitudinẽ, quæ post Deum dici aut excogitari potest.* Igitur loquendo de Gloriosissima Virgine præfatam communem solutionem solùm permitto: siquidem prædicta sententia est mihi satis probabilis. Et nisi Scotus (*in 3. dist. 13. q. 4. §. Quantum ad secundam, verf. Confirmatur*) vbi solùm animæ Christi D. vult concedere summam gratiam creabilẽ) mihi obstare videretur; illam absolutè defenderem. Et ideò, ne Scoto suspectus forem, illam solùm vt probabilem in hac Complutensium celeberrima Academia in publicis concertationibus semel, & iterum in honorem Virginis propugnavi, & propugno modò.

DVBIVM V.

31 PEtes quintò, an pura creatura (hoc est non vnita personaliter Deo) possit pervenire ad intensionem gratiæ habitualis Christi Domini? Respondetur affirmativè, loquendo de potentia absoluta. Quia gratia Christi Domini solùm negativè est summa. Si tamen loquamur de potentia ordinaria respondetur negativè. Quia ad excellentiam Christi Domini spectat, sibi fuisse collatam intensiorem gratiam, quam de lege ordinaria potest conferri. Hocque exposcit eius excellentissima dignitas Capitis Ecclesiæ Militantis, & Triumphantis. Legatur Scotus *in 3. dist. 13. q. 4. §. Ad primam quæstionem. & §. & versic. Hìc iuxta, ibi Scotistæ.* Ego autem etsi concedam, hanc esse Scoti mentem, probabile existimo, de facto Beatæ Virgini summam gratiam sanctificantem fuisse collatam: vt numero præcedenti dicebamus.

DVBIVM VI.

32 PEtes sextò, an gratia habitualis Christi Domini phy-

physicè, & necessariò oriatur ab vnione hypostatica? Respondetur negatiuè. Quia gratia creatur: ergo à solo Deo potest immediatè procedere. Antecedens suppono cum Scoto *in 4. distinct. 1. quæst. 4. vers. Item Augustinus, & q. 5. § & vers. Contra ista, & alibi*. Secundò, quia eo ipso, quòd est gratia, repugnat, quòd necessario consequatur naturam alicuius: alioqui non esset gratia. Legatur Scotus *in 2. d. 23. §. Dico igitur, vers. Quantumcumque* (sic prosequens) *gratia alicuius naturæ concreetur, semper tamen gratia esset gratia; nec esset naturalis ita quòd de natura sua, vel consequens naturam necessariò*. Hanc nostram conclusionem tenent *Vazq. Suar. Ragusa, & Becanus, quos citat, & sequitur G. Hurtado disp. 7. diff. 7.*

DVBIVM VII.

53 PEtes septimò, an gratia habitualis dicenda sit Christo Domino connaturalis? Respondetur sub distinctione. Si enim loquamur de Christo Domino quatenus homo est, non est dicenda illi connaturalis. Aliàs gratia non esset gratia, aut indebita. Oppositum tamen est dicendum, si loquamur de Christo D. quatenus Deus est. Et tunc sensus est, Christum D. quatenùs Deus est, habere virtutẽ productivam gratiæ. Ideoque gratiam dici ei cõnaturalẽ, sicut quicumque effectus dicitur connaturalis suæ causæ. Si autem cõtẽdas, gratiam posse dici connaturalem Christo D. quatenùs homo est; eo quòd debito congruentiæ fuit debita illi humanitati in prioritate naturæ vnitæ Verbo collatio summæ gratiæ propter prædictã vnionem. Hoc non renuam cõcedere. Solùm enim negamus in præsenti ferè idem, quod dubio præcedenti, nempè ab humanitate, vt vnita diuino Verbo gratiam habitualẽ, non dimanare, sicut dimanat passio ab essentia, aut non procedere, sicut effectus procedit à sua causa; ac propterea non posse gratiam habitualem in hoc sensu dici connaturalem humanitati, aut Christo Domino secundùm humanitatẽ.

DIFFICVLTAS III.

De spectantibus ad gratiam actualẽ Christi D.

DVBIVM I.

1 PEtes primo, quid nomine gratiæ actualis intelligamus in præsenti? Respondetur multa nos comprehendere. In primis enim nomine gratiæ actualis intelligimus sanctam cogitationem, qua creatura vocatur, seu excitatur ad benè operandum in ordine ad consequendum vitam æternam. Insuper intelligunt nomine gratiæ actualis, subitum voluntatis motum, quo ali-

citatur. Quam ſanctam cogitationem, necnon, & ſubitum voluntatis motum vocant gratiam præuenientem; eo quod noſtram liberam voluntatis operationem præuenit. Vocant etiam gratiam excitantem; quia excitat ad benè operandum. Vocant inſuper gratiam operantem; quia alliciendo voluntatem operatur moraliter eius conſenſum, ſeu bonum opus.

2 Nomine gratiæ actualis intelligimus, etiam concurſum Dei indebitum ordini naturæ: quo indigere omnem creaturam ad benè operandum in ordine, ad vitam æternam, ſuppono. Quem concurſum vocant gratiam adiuuantem: eo quòd exiles vires naturæ adiuuat ad operandum circa beatitudinis conſequutionem. Vocant item gratiam cooperantem; quia ſimul cum libero arbitrio operatur bonum opus. Vt autem inter prædictas gratias ponant aliquam diſtinctionem; ſanctam cogitationem; necnon & ſubitum voluntatis motum vocant gratiam actualem per modū principij: prædictum autem concurſum vocant gratiam actualem per modum concurſus, ſeu operationis. De quibus latè in tractatu de Gratia.

DVBIVM II.

3 PEtes ſecundò, quænam ex prædictis gratijs ſint admittendæ in Chriſto Domino, & quænam ab illo ſunt relegandæ? Reſpondetur; certum eſſe in Chriſto Domino nullum ſubitum voluntatis motum amoris, vel timoris, ſeu proſequutionis, aut fugæ circa aliquod obiectum eſſe admittendum. Quia talis motus ſupponit imperfectam cognitionem obiecti, hoc eſt, indeliberatam, ſeu habitam ſine aduertentia.

4 Inſuper eſt certum, Chriſtū Dominum vt hominem, aut eius ſacratiſsimam humanitatem indiguiſſe ad opera tàm naturalia, quàm ſupernaturalia actuali concurſu Dei. Quia prædicta humanitas per vnionem hypoſtaticam, non tranſiuit in Deum: ergo indiget ſimultaneo concurſu Dei, quo indiget omnis creatura, ſeu omne, quod non eſt Deus. ¶ Dices, quòd ſecundum Durandum *in 2. diſt. 1. quæſt. 5.* Deus non concurrit immediatè ad noſtras operationes: ergo ſecundùm ipſum humanitas Chriſti *D.* non indiguit immediato concurſu, vt benè operaretur. Reſpondetur, nos in præſenti cum Scoto *in 2. d. 37. q. 2. & aliquis, & cum communiſsima ſententia contra Durandum*, Deum immediatè concurrere ad omnes, & ſingulas, creaturarum operationes.

5 Item eſt certum, Chriſtum *D.* vt homo eſt, indiguiſſe ad opera tàm naturalia, quàm ſupernaturalia actuali cognitione diſtincta à cognitione Beata. Quia eius operationes, quæ non fuerunt Beatæ, non regulabantur ſcientia Beata: ſed debebant regulari per aliquam actualem cognitionem:

(quia

(quia nihil volitum, quin præcognitum) ergo ad singulas operationes non beatas, singulis cognitionibus indiguit.

DVBIVM III.

6 Petes tertiò, an prædictus concursus, necnon, & prædictæ sanctæ cogitationes, quibus indiguit Christus Dominus vt homo, sint gratiæ actuales? Respondetur sub distinctione. Sunt quippè gratiæ actuales in radice; non autem proximè, & in se ipsis. Itaque omnino, & vndequaque gratiosum fuit, quòd naturam humanam Deus sibi vniret: tamen supposita hac vnione, saltem ex congruētia fuit debitum, quòd illi naturæ vnitæ conferretur quidquid excogitabile est, posse pertinere ad maiorem eius excellentiam, & perfectionem. Quare cogitationes ad benè, & supernaturaliter operandum, quæ in alijs sunt gratiæ proximè, & in se ipsis, in Christo D. solùm in radice, seu in vnione fuerunt gratiæ.

7 Dices: ergo gratia sanctificans proximè, & in se ipsa non erit gratia, sed solùm in radice, scilicet in auxilijs collatis ad actus contritionis, fidei, &c. quibus homo ad iustificationē disponitur, & quibus de congruo debetur ipsa iustificatio. Respondetur ita esse: solùm enim primum auxilium collatum ad actum supernaturalem, vnde incipit series iustificationis, (quoties homo de novo iustificatur) est merè gratia respectu illius, qui iustificatur; reliqua autem omnia reperta in toto iustificationis progressu solùm in radice sunt gratia, scilicet in dicto auxilio. ¶ Instabis: illud primum auxiliū confertur ex meritis Christi Domini ergo non est mera gratia. Respondetur distinguendo: absolutè, concedo, respectivè, seu cōparativè ad hominem, cui confertur, nego. Itaque nos solùm affirmamus esse meram gatiam, seu omnino gratis conferri illud primum auxilium homini, qui iustificatur. Cum quo benè stat, quòd absolutè non sit mera gratia: (cū sit debitum meritis Christi Domini) vt probat argumentum, & docuerat Scotus *in 4. dist. 2. q. 1. §. Ad primum Vers. Etsi obijcis* verbis illis: *Posset dici, quòd in vniuersis operibus Dei non fuit aliquod opus merè gratiæ, nisi sola Incarnatio filij Dei, &c.*

DIFFICVLTAS IV.

De spectantibus ad virtutes in Christo D. repertas.

Conuenit inter AA. reperiri in Christo Domino omnes & singulas virtutes, quæ cum ipsius excellentia nullam dicunt incōpossibilitatem, aut incongruentiam. Quia hoc spectat ad eius perfectionem, & dignitatem. Tamē, vt sciamus, quænam virtutes aliquam

quam incongruentiam habeant cum dignitate Christi Domini specialeter de multis est disserendum.

De virtutibus Theologalibus.

1 NOta est apud omnes divisio virtutis in Theologales, & morales, Theologales vocant illas, quæ immediatè versantur circa Deum. Morales autē quæ occupantur circa mores cōponendos. ¶ *Est autem virtus habitus, qui bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit*: vt docet Arist. *2. æticorum cap. 6. versus finē*: Quibus verbis comprehenduntur virtutes non solùm morales, sed etiam infusæ; quamvis aliàs postremas Aristoteles non cognoverit. Igitur cùm virtus Theologica excellentior sit, quàm moralis, de illa est priùs agendum. Item cùm charitas præstātior sit, quàm fides, & spes; iuxta illud: *Nunc autem manent fides, spes, Charitas; tria hæc, maior autem horum est charitas*: 1. *ad Chor.* 13. *num.* 13. de charitate priùs disputabimus.

De charitate.

2 CHaritatem Theologicam sic definit August. *Lib. 3. de Doctrina Christiana cap. 10. Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum; & se, & proximo propter Deum.*

***

DVBIVM I.

3 PEtes primò, an in Christo D. fuerit charitas? Respond. affirmativè. Quia ex nullo capite incongruit Redēptori. Imò est omnium nobilissima, & cunctarum Regina virtutum. Prætereà de charitate Christi Domini erga Deum communiter accipitur illud: *vt possitis comprehendere, & scire supereminentem scienti e charitatem Christi; ad Ephes.* De charitate autem Christi Domini erga proximos extat illud: *sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos: Ioan.* 15. ¶ Quòd autem in Christo Domino ponenda sit charitas habitualis, constat ex eoquòd non dicit aliquam incongruentiam. Et etiam ex eoquòd est idem realiter cum habitu gratiæ, (secundùm nos Scotistas) aut saltem inseparabilis ab illo; (secundùm Thomistas) sed in Christo Domino fuit gratia habitualis; (*ex diff.* 1. *à n.* 1.) ergo & habitualis charitas.

De spe Theologali.

DVBIVM II.

4 PEtes secūdo, quid sit spes? Respondetur, quòd est efficax desiderium circa bonum arduum: vt suppono ex tractatu de de spe cum communissima sententia contra paucos asserentes pertinere ad intellectum. Legatur Scotus *in 3. dist. 26. §. Ad quæstionem*

nem verſic. Dico igitur. ¶ In ſuper ſuppono ex prædicto tractatu de ſpe, quatuor conditiones requiri, vt aliquod ſit obiectum ſpei. Prima eſt, vt ſit in ſe bonum, vel ſaltèm vt tale apprehendatur: mala enim nõ ſperamus, ſed fugim⁹. Secũda, quod ſit futurum, abſens, vel non poſſeſſum: res enim poſſeſſas non ſperamus; ſed de illis gaudemus. Tertia, quod ſit nobis poſsibilis eius conſequutio: quia circa impoſsibile cognitum, vt tale, nequit potentia tendere cũ erectione animi, aut cum fortitudine qua ratione ſpes tendit in ſuum obiectũ. Quarta, quòd eius obiectũ ſit arduũ, aut cũ difficultate acquirendũ: res enim minimas, aut faciles acquiſitu non ſperamus ſed deſideramus.

5 Sed cum ex diverſis capitib⁹ poſsit evenire, quòd obiectũ ſit arduũ, aut acquiſitu difficile; moleſta ſatis eſt controverſia in tractatu de ſpe; an requiratur, quòd arduitas obiecti ſpei proveniat ex determinato capite? De quo duplex extat oppoſita ſententia. Alia affirmativa; negativa alia. Imò longũ eſt diſſidiũ inter AA. affirmativæ in determinando caput arduitatis. Etenim *Vazq. 1. 2. diſp. 84. c. 2. & diſp. 235.* & aliqui alij affirmãt, arduitatẽ obiecti ſpei cõſiſtere præcisè in hoc, quod res ſperata ſit acquirenda alteri⁹ auxilio, & ope. Tamẽ cõtra Vazq. ſtat, quod ſecũdũ cõmunẽ modũ loquendi dicimur ſperare vincere hoſtes; fieri docti; & plura alia, quæ tamen proprio labore, & virtute debem⁹ acquirere. ¶ Alij affirmant, prædictã arduitatem cõſiſtere in hoc, quòd obiectũ ſperatũ ſit cõtingens, & in certũ reſpectu illius, qui ſperat. Tamẽ contra hos ſequitur, in animab⁹ Purgatorij, in Apoſtolis, & in eo, cui facta eſt revelatio de ſua prędeſtinatione, non eſſe ſpem. ¶ Alij dicunt, prædictam arduitatẽ ſtare in hoc, quod obiectũ ſperatũ ſit cõſequẽdum per labores illius, qui ſperat. Sed cõtra; quòd nos ſperamus auxilia ad bene operandũ, & agẽdũ pœnitentiã; & tamẽ prædicta auxilia liberaliter, & ſine aliquo labore conferuntur a Deo.

6 Igitur ſtandũ eſt cõmuniori ſentẽtiæ quæ affirmat, arduitatẽ obiecti ſpei conſiſtere in dificultate conſequutionis rei ſperatæ abſtrahendo, ſeu non determinando caput difficultatis, ſeu arduitatis obiecti ſperati. Quare aliquando orietur ex magnitudine rei ſperatæ ſuperãte vires noſtras; aliquando autem ex alijs circumſtantijs, ſcilicet ex diſtantia; ex cõtingentia; ex tẽporis diuturnitate; ex labore; atque ex aliquo alio capite difficultatũ; quæ comitantur obiectũ ſperatum. Quæ omnia in prędicto tractatu (Deo dante) fuſius examinabimus.

DVBIVM III.

7 PEtes tertiò conditiones requiſitas, vt aliqua virtus ſit Theologica? Reſpondetur duas ſaltem ab omnibus ſe-

ferè requiri. Prima est quòd respiciat Deum pro primo, seu immediato obiecto. Quam condiotionem admittunt omnes contra Durandum *in 3. dist. 25. q. 2.* qui existimat, ad virtutẽ Theologicã sufficere referri in Deum mediatè, tamquã in obiectum principale. Secunda est, quòd habeat pro regula primam regulam, scilicet Deum, & non prudentiam: ista enim est regula virtutum moraliũ. ¶ Addunt aliqui tertiam conditionem, nẽpè quòd virtus Theologica immediatè infundatur à Deo, tamquam à causa efficiente. Circa quam conditionem Scotus est problematicus. De quibus conditionibus videatur *in 3. dist. 26. §. Ad quæstionem à Versic. Respondeo.*

8 Vnde infertur cum præcitato Scoto, quòd si ad virtutem Theologalem requirantur omnes tres prędictæ conditiones, multũ restringenda est virtus Theologica: atque adeo Theologia non erit virtus Theologica: cùm non infundatur à Deo. Si autem sufficiãt duę priores conditiones, ponendæ sunt virtutes Theologicæ non solùm infusæ, sed etiam acquisitę. Quia facilitas relata ab actibus fidei infusæ v.g inclinat ad eliciendum actus immediatè attingentes Deum, & habentes ipsum pro regula, seu mensura immediata, & non prudentiam: hæc enim solùm est necessària, quãdo actus per defectum, aut excessum potest transgredi metas illi materiæ cõstitutas. Quòd cùm non possit contingere (per excessum) respectu obiecti infiniti, (dictat enim ratio naturalis, infinito debitum esse infinitum obsequium, &c.) non erit regula illius. Sed de his latè agemus (Deo dante) dum de fide, spe, & charitate disputabimus. Interim videatur Felix *tract. de virtutibus cap. 4. diff. 1. à num. 10.*

DVBIVM IV.

9 Petes quartò, an in Christo Domino fuerit virt⁹ spei? Respondetur affirmativè. Quia nullam imperfectionem, aut incongruentiam dicit Christo Domino repugnantem. Quare tàm quantum ad habitum, quam quoàd actum in Christo D. est admittenda. Quòd, & ex infra dicendis apertè constabit.

DVBIVM V.

10 Petes quintò, an in Christo Domino fuerit actus spei circa gloriam suæ animæ? Respondetur negativè. Quia illã possedit ab instanti suę conceptionis: & consequenter deficiebat ei secunda cõditio ex illis, quas omnes admittunt ad spem esse necessarias: vt *num. 4.* notabamus. Huc spectat illud *ad Rom. 8. Quod quis videt, quid sperat?* ¶ Circa continuationem autem Beatitudinis animæ potuit Christus Dominus habere, & de facto habet actum spei Theologicæ. Quia pendet ex vo-

voluntate Dei. Nec obstat summa certitudo, quam habet Christus Dominus de eius continuatione. Certitudo enim non destruit obiectum spei: vt patet in animabus Purgatorij. ¶ Dices, quod respectu illius continuationis deficit aduitas requisita ad obiectum spei. Respondetur sufficienter dici arduum obiectum, quod pēdet ex voluntate alterius. Recolantur dicta *num.6.*

DVBIVM VI.

11 Petes sextò, an Christus Dominus habuerit actū spei Theologicæ circa beatitudinem sui corporis naturalis? Respondetur affirmativè. Quia habuit effectum, seu desiderium ab instanti suæ conceptionis possidendi gloriam sui corporis, iuxta illud *Psal. 27. Deus meus sperabo in eū.* Quod de ChristoDomino interpretatur Paulus *ad Hebræos 2.* Necnon & iuxta illud *Ioan 17. clarifica me Pater.* Sed tale desiderium habet omnes conditiones requisitas ad spē Theologicam: ergo ista fuit in Christo Domino circa gloriam corporis. Probatur minor. Affectus enim ille versabatur circa obiectum non possessum, futurum, cōsequutione possibile, & arduū: cùm fuerit per labores acquirendū. Ita *Suar. Vazq. Coninch. Ragusa, Pitigianus, Becanus, & G. Hurtado, quos citat & sequitur Felix c. 12. diff. 1.*

12 Sed oppositum defendūt *Durandus Caiecta, Medina & Lorca, quos citat, & sequitur Castillo disp. 12. q. 2. num. 9.* Et obijciunt, quod arduitas orta ex molestia, & laboriosa consequutione obiecti constituit obiectum audaciæ, aut fortitudinis: ergo illud desideriū Christi Domini circa gloriam sui corporis naturalis non est actus spei. Respondetur negando consequentiam. Quia idem obiectum sub eadem arduitate attingitur à spe, fortitudine, & audacia; diversimodè tamen, nam spes tendit in obiectum arduum cum erectione animi; ex qua erectione oritur audatia, & fortitudo; quæ est aggressio ipsius ardui. Explicatur secundò diversus modus attingendi prędictarum virtutum. Spes enim respicit obiectum arduum, & laboriosum parvi pedendo labores, & molestias in eius consequutione intervenientes. Audacia verò, & fortitudo respicit idem arduum laboriosum parvipendendo nocumenta, & damna, seu damnorum pericula, quæ in eius consequutione imminent.

13 Obijciunt secundò, quòd de intrinseca ratione arduitatis requisitæ ad spem est contingentia, seu quòd obiectum proponatur aliquomodo contingens speranti: ergo Christus Dominus nō habuit spem circa gloriam sui corporis. Patet consequentia: quia hæc nullo modo proponebatur vt contingens. Respondetur negando antecedens; iuxta dicta *n. 6. & 10.* ¶ Contra quòd spes habet ad nim-

mixtum timorem de consequutione sui obiecti: ergo quia speranti proponitur, vt aliquomodo cōtingens. Respondetur negando cōsequentiam. Timor enim, quē habemus de consequutione gloriæ quam firmiter desideramus, seu speramus, oritur ex cognitione nostræ fragilitatis in operando, seu in perseverando in bonis operibus. Cùm enim promissio collationis gloriæ sit facta sub conditione, quod vsque in finem in bonis operibus perseveremus; (*Matth. 10. num. 22 Qui autem perseveraverit vsque in finem, hic sal vus erit*) & aliàs non sciamus, an perseveraturi simus, meritò timemus non consequutionem obiecti; quòd sinè aliqua contingentia ex parte Dei proponitur. ¶ Hinc patet, antecedēs non esse vniversaliter verū: si enim essemus certi de perseverantia in benè operando, spes nō haberet admixtum timorem: vt patet in animabus Purgatorij, & in illo, cui de sua prædestinatione facta est revelatio.

14 Obijciunt tertiò, quòd sperare gloriā corporis nō habet Deū pro obiecto immediato: ergo nō est spes Theologica. Resp. negādo antecedēs: quāvis enim obiectum immediatū quod tūc speratur, nō sit Deus; Deus tamen est obiectū formale. Vel quia à Deo, tamquā ab omnipotēte, & fideli in promissis speratur gloria corporis. (vt ex Montesinos respondet Felix citatus) Vel quia bonitas gloriæ corporis ordinatur tamquàm in finē in beatitudinem animæ. Vel alio diverso modo: sicut diversimodè philosophantes de obiecto formali spei dicunt in tractatu de spe. ¶ Obijciunt quartò, quòd diversimodè desideratur, quod est contingens, & quòd non contingēs: sed qui desiderat contingens sperat: ergo qui desiderat non contingens non sperat. Respōd. negando cōsequētiā: quia diversitas ista est materialis seu accidētalis ad spē: quę æquè respicit contingens, & non contingens, dummodò sit arduū, seu difficile acquisitu. ¶ Obijciunt quintò, quòd spes, & timor sunt opposita. Sed de futuro necessario non habemus timorem, sed tristitiam: ergo de futuro, quòd certò scimus eventurum non habemus spem. Respond. negando minorē: quia de quocumque malo imminente habemus timorem; & tristitiam de quocumque malo præsenti. ¶ Respond. secundò negando maiorem: spes enim, & timor sæpè sunt simul: quòd oppositis repugnat. Prætereà spes est actus; timor autem (sicut & tristitia) est passio: ergo nequeunt oppo ni saltem immediatè.

DVBIVM VII.

15 PEter septimò, an Christ° Dominus habuerit actū spei Theologicæ circa gratiam, & gloriam sui corporis mystici, seu fidelium? Respondetur affirmativè. Quia erat obiectum arduum, seu acquisitu difficile; cùm per labores foret acquirenda gratia, & gloria fidelium. ¶ Nota, hanc con-

conclusionem distributione ac commodata esse inteligendam. Itaque Christus D. habuit actum spei circa gloriam cuiuscumq; fidelis, necnō, & circa gratiā nondum collatam; respectu vero gratiæ iā collatæ habuit actum gaudij, aut complacentiæ. (si gaudium sit actus, & non potius passio, vt opinamur Scotistæ; & à quo in præsenti est abstrahendum.) Hanc conclusionem esse de mente Scoti constat ex 3. *dist.* 26. §. *Ad quæstionem versic. Hæc etiam virtus*: vbi affirmat, non destruere desiderium, quòd est spes, quòd aliquid desiderem mihi, vel alteri. Idem docet D. Thom. 2. 2. *q.* 17. *art.* 3. *in corpore*: & reddit pro ratione, quòd sicut eadem charitate diligo Deum me, & proximū: ita eadē spe spero mihi, & alij. Quam sententiam sequuntur multi alij, præsertim Felix *cap.* 12. *diff.* 1.

16 Sed oppositum defendunt *Suarez, Vazquez, Ægidius, & Becanus citati à prædicto Felix Idem tenet Castillo disp.* 12: *quæst.* 2. *num.* 17. Et obijciunt Scotum *in* 3. *dist.* 26. §. *Ad argumēta propria via verf. Ponebatur* dicentē, quòd *non est spes desiderando alteri bonū; sed potius est charitas, vel amor acquisitus.* Resp. nō esse verba Scoti, sed aliorum additionem: vt constat ex his verbis immediatè sequētibus: *sed infra d.* 31. *vide expresse intentionem Doctoris.* Constat Etiā *ex* §. *Aquæstionem verf. Hæc etiā, & verf. Si dicatur*; vbi expresè affirmat, esse falsum, quòd vaetetur obiectum spei per hoc, quòd desiderē mihi, vel alteri. Et ideò Magistri nostri Scoti notarunt, quòd illa erat responsio aliorum.

17 Hinc reijcio G. Hurt. *disp.* 7 *diff.* 2. § *Addimus*, affirmātem, actum, quo Christus D. desiderabat à Deo obtinere fidelibus gratiā, & gloriā ex complacentia illorum, non fuisse spei Theologicæ, sed charitatis erga suos fideles. Quaten⁹ verò illis desiderabat gratiā, & gloriam, vt sibi allaturas exaltationē sui nominis ex cōplacētia sui fuisse actū spei Theologicæ. Cuius fundamētum est, quòd act⁹ huius spei tantùm respicit bonum sperantis ex complacentia ipsius, & nō alterius adhuc amici, nisi vt bonum ipsius sperantis ex ipsius complacentia. Hanc ergo doctrinam reijcio ex prædicto fundamē to; nempè quia est materiale, & accidentale ad spem, adhuc Theologicam, quòd mihi, vel alteri desiderem, dummodò sit spectatio ardui. Quòd autē ad illā expectationem movear ex complacētia mei ipsius, vel amici, vel Dei, nō arguit talē actum non esse spei Theologicæ quoad suā entitatē intrinsecā; sed solū arguit, esse imperatū à diversa virtute, à qua hauriet diversā bonitatē sibi extrinsecā: Quòd cōmune est omnibus virtutibus: quę se adinvicē imperāt: vt docet Scot. *in* 4. *d.* 14. *q.* 2. §. *Primus articulus verf. Ad illam ergo.*

18 Vnde etiam refutatus manet Felix qui *capite.* 12. *difficult.* 1. §. *Pro intelligentia* affirmat, quòd

quod si Christus Dominus desideraret gloriam, & gratiam hominum, vt bona illorum, seu ex cōplacentia personarum, ita vt persona sit finis *quis*, ille actus est charitatis. Fallitur tamē: quia quomodocumque consideretur desiderium, seu expectatio rei arduæ est actùs spei in sua intrinseca entitate: quamvis contingat, habere coniūctum actum charitatis, amicitię, vel alterius virtutis. Sicut v.g. abstinentia à carnibus cum vna commestione est intrinsecè ieiunium; sivè fiat ex complacentia proprię salutis, aut Dei, aut ex quocumque alio motivo.

DVBIVM VIII.

19 PEtes octavò, an etiam post resurrectionem habuerit Christus Dominus spem Theologicam de gloria, & gatia conferenda fidelibus. Respondetur affirmativè. Quia etiam tunc, immo & nūc desiderium, quo desiderat prædictam gratiam, & gloriam, respicit obiectum arduū, non quidem arduitate provenienre ex laboriosa consequutione illius, sed proveniente aut ex diuturnitate temporis interiecti inter tale desiderium, & prædictæ gratię, & glorię collationem. Vel arduitate proveniente ex hoc quòd res sperata sit acquirenda auxilio, & ope alterius: ex quocumque enim capite orta difficultas, seu arduitas rei speratæ sufficit ad constituendum obiectum spei *vt nu.* 6. notabamus.

20 Dices: ergo in Beatis erit actus spei circa beatitudinem corporum. Patet: quia beatitudo corporis est illis ardua arduitate proveniente ex hoc, quòd est in voluntate alterius, & eius auxilio, & ope est consequenda illa beatitudo. Item arduitate proveniente ex longo temporis intervallo intercedente inter illud desiderium & consequtionem gloriæ corporalis Respondetur ita esse. ¶ Dices secundo: ergo in Deo erit act' spei de gratia, & gloria fidelibus conferenda. Patet: quia supposito decreto, quòd ante collationem interveniat temporis interstitium, etiam ipsi Deo erit ardua illa gloriæ, & gratiæ consequutio. Respondetur negando consequētiam. Ad probationē dico, quòd ex communi modo loquendi id, quod ego omnimoda facilitate vincere, aut tollere potui, & semper pendet ex mea voluntate, nō dicitur arduum, aut difficile respectu mei: quamvis aliàs ego decrevero, illud per aliquod temporis intervalum non habere. Cum ergo Deus potuerit conferre ab æterno gratiam & gloriam Prædestinatis; & ab illius voluntate proveniat diuturnitas, seu quòd in tempore conferatur: talis diuturnitas non constituit obiectum arduum, seu consequutione difficile respectu Dei: quia talem diuturnitatem Deus omnimoda facilitate vincere, aut tollere potuit; pendetque hoc ex illius voluntate.

DV-

DVBIVM IX.

21 PEtes nonò, an ad eliciendum prædictos actus spei sit habitus ponendus in Christo Domino. Respond. affirmativè. Quia sic connaturaliùs, & perfectiùs eliciuntur prædicti actus. Ita *Suar. & Becanus, quos citat, & sequitur Felix cap. 12. diff. 1. Adde Petrum Hurtado disp 49. sect. 1. §. 4.* ¶ Sed oppositũ defendit *Vazquez affirmans sic communiter docere Theologos: quem sequitur G. Hurtado disp. 7. diff. 2. pro qua sententia Felix etiam citat Montes.* Et obijciunt, quòd videtur minus congruum ponere in Christo Domino habitum, qui post resurrectionem foret destruendus: cùm iam nõ speret corporis beatitudinem. Respondetur negando, quòd in patria sit auferẽdus habitus spei: quia etiam post resurrectionem habuit Christus Dominus, & nunc habet actum spei circa gratiam, & gloriã fidelibus conferendam: (*ex n. 19*) ad quem actum connaturaliter eliciendum relinquendus est habit⁹, quem habebat ante passionem.

DVBIVM X.

22 PEtes decimò, a quo habitu eliciantur actus spei, quos admittimus in Christo D. Resp. satis distrahi AA. circa hoc Lorca enim *disp. 38. n 17.* dicit, elici ex motivo charitatis: vbi videtur insinuare, elici ab habitu charitatis. ¶ Felix *c. 12. diff. 1.* dicit elici ab habitu tentionis: quem ponit distinctum ab habitu spei. ¶ Petrus Hurtado *disp. 49. sect. 1. §. 4.* dicit, elici ab habitu spei. ¶ Suarez *disp. 18. in commentario ad art. 4.* (citans nostros D. Bonavent. & Alensem) Salas, & alij affirmant, elici à quodam habitu, qui inclinat in bonũ commodi. & pròut est in via, dicitur spes Theologica; estque principium actuum spei; & prout est in patria est habitus tentionis.

23 Igitur nobis dicendum est primò: possibilis est hic habitus assertus à Suarez. Quia in hoc non apparet aliqua repugnantia: estque expressa sententia Scoti *in 3. dist. 31. §. Respondeo vers. Quantum ad aliud.*

24 Dico secundò: de facto non datur talis habitus; sed habitus spei determinatè inclinat ad actum imperfectum, hoc est, circa obiectum absens, seu non possessum; & habitus tentionis circa obiectum præsens, seu possessum. Quia hoc videntur supponere scriptura, & PP. passim dicentes spem versari circa absens, aut non possessum. Sufficiat illud *ad Roman. 8. Quod quis videt quid sperat?* Igitur existimant, quòd sicut actus spei determinatè versatur circa absens seu non possessum: ita habitus spei determinatè inclinat ad operandum circa obiectum non visum, absens, seu non possessum.

25 Dico tertiò: actus spei, qui à Christo D. eliciebantur in via, & modò eliciũtur (iuxta dicta à n. 10)

eliciebātur, & eliciuntur ab habitu spei. Quia debēt, elici ab aliquo habitu, (ex dictis *n.* 21.) vt connaturaliùs euadat. Sed à nullo cōnaturaliùs, quā ab habitu spei: ergo eliciuntur ab illo. ¶ Dices in Christo D. impossibilis fuit actus spei circa obiectum primariū, seu circa gloriam animæ: quia illam possidebat ab instanti suæ conceptionis: ergo in eo non est admittendus habitus spei. Resp. negādo antecedēs: quia circa continuationē gloriæ animę habuit actum spei. (*ex n.* 10) Resp. secūdò (omisso antecedēti) negādo cōsequentiā: ad admittendum enim habitum in aliquo sufficit, quòd circa aliquod obiectum, etiā secundarium, sit operaturus. Tūc enim meritò ponitur habit⁹, vt circa tale obiectum perfectiùs eliciātur actus. Nec facilè probabitur, actum circa obiectum secundariū non posse elici ab habitu, qui non operatur circa obiectū primariū. Contrarium enim probat instantia potētiæ, quæ potest operari, & de facto operatur circa obiectū secundariū, quin operetur circa primariū; similiter ergo philosophādū est de habitu; quia datur in iuvamen potentiæ.

26. Dico quartò; actus tētionis in Christo D: eliciebatur ab habitu tētionis. (qui est distinctus ab habitu spei) Quia debet elici ab aliquo habitu, vt sic perfectior evadat. Sed nō potest elici ab habitu spei: quia ille determinatè inclinat ad operādū circa obiectum absens, seu nō possessum: (*ex n.* 24.) ergo elicitur ab habitu tētionis: qui determinatè inclinat ad amādū amore cōcupiscētię obiectū cōmodum sub ratione præsentis, seu possessi.

27 Ex dictis colligitur, simul fuisse, & esse in Christo D. habitū spei, & habitū tentionis. Vnde etiam colliges, (obiter) in Beatis simul cū habitu tentionis manere habitū spei, à quo eliciuntur actus spei circa gloriā suorum corporum; & circa aliud obiectum, quòd respectu Beatorū est non possessum, potestque habere rationē ardui iuxta dicta *n.* 6. ¶ Demū colligitur, PP. & Scholasticos passim dicētes spē evacuari in patria, solùm intēdere, quòd evacuatur circa obiectū præsens, seu possessum, nō autē circa absens seu nō possessum: circa quod verè datur actualis spes, & in habitu inclinatio ad tale obiectum.

De fide.

DVBIVM XI.

28 PEtes vndecimò, an in Christo D. sit admittendus aliquis actus, aut habitus fidei naturalis, aut supernaturalis? Resp. negativè. Quia in eo fuit omnis plenitudo scientiæ: & consequenter de nullo obiecto habuit fidem actualem: (hæc enim cum actuali cognitione evidenti non compatitur, saltim, naturaliter) nec habitualem: ista quippe superfluè admitteretur in illo, qui numquam habiturus est actum aliquem fidei circa aliquod obiectum. Confirmatur,

&

& declaratur: scientia dicit evidentiã rei in se; fides autem inevidentiam: est enim *fides argumentum non apparentium, ad Hebraeos* 11. ergo supposito, quòd in Christo Domino fuit plenitudo scientiae; fides inesse non potuit. ¶ Dices: ergo saltem in alijs Beatis possemus concedere fidem infusam, aut humanam circa aliqua obiecta; quae nec principaliter, nec cõcomitanter pertinent ad beatitudinem; vt sunt historiae aliquae. Patet consequentia à paritate spei, quam admisimus in Beatis propter actus eliciendos circa obiecta secundaria. Respondetur, non esse mihi difficile concedere in alijs Beatis aliquos actus fidei circa obiecta à se non visa: & consequenter concederem habitum infusum, aut acquisitũ iuxta qualitatem actus eliciendi. Sic enim prædictus actus perfectiùs & cõnaturaliùs elicietur. Legatur Scotus *In 3. dist. 31. in fine.*

De virtutibus moralibus repertis in Christo D.

29 Virtutes morales vocantur illi habitus, qui occupantur in componendo mores. Quae virtutes sunt ferè innumerae. Tamen principaliores (cardinales vocant) sunt quatuor: scilicet temperantia; quae datur ad moderandum passiones concupiscibilis. Secunda est fortitudo: quae temperat actiones irascibilis. Tertia est iustitia: quae respicit operationes in ordine ad alium. Quarta, est prudentia; quae versatur circa materias omnium virtutũ: dirigit enim omnes, & singulas actiones, seu operationes illarum dictando mediocritatem in materia, necnon & debitas circũstantias, quae in nostris operationibus debent intervenire. Qua propter quamvis prudentia pertineat ad intellectum, dicitur, & est virtus moralis, eoquòd ordinatur ad cõponendum mores.

DVBIVM XII.

30 Petes duodecimò, an in Christo Domino fuerint quatuor virtutes cardinales? Respondetur affirmativè. Quia hoc spectat ad eius excellẽtiam, & perfectionem. ¶ Propter quam rationem concedendus est in Christo Domino gradus heroicus cuiuscumque prædictarum virtutũ: imò, & summus, qui in eo possit concedi. ¶ Item propter eamdem rationem concedendum est, prædictas virtutes fuisse illi infusas: quidquid renuat Cabrera *quaestion. 7. artic. 2. disp. 2.* existimans, quòd Christus Dominus illas proprijs actibus comparavit: eoquòd hoc est connaturaliùs loquendo de virtutibus moralibus per se acquisitis. Fallitur tamen: quia magis ponderat, Christum D. nullum actum imperfectum habuisse in aliqua virtute, (qualem haberet, si primos actus eliceret orbatus habitibus) quàm quòd

virtutem iususam recipiat. ¶ Propter eandam illam rationem (scilicet propter excellentiam Christi D.) dicendum est, has virtutes infusas recepisse ab instanti suæ conceptionis. Imò ex tunc illas in summo gradu sibi possibili recepit. Quare non solū est verum, quòd illas non acquisivit proprijs actib⁹; sed etiam, quod proprijs actibus illas nō auxerit: quidquid dicat G. Hurt. *disp. 7. diff. 14. secutus Medina contra Suar.* ¶ Quod diximus de his quatuor virtutibus cardinalibus, dicendum est de quacumque alia virtute in Christo D. reperta, nempè esse heroicam, in summo gradu sibi possibili, & ab instanti suæ conceptionis infusam.

DVBIVM XIII.

31. PEtes, tertiodecimò, an prædictas virtutes cardinales (idem est de quibuscumque alijs moralibus in Christo Domino repertis) admittamus in Christo D. per se infusas? Respond. negativè. Quia in principijs Scoti Nulla datur virtus moralis per se infusa; sed quæcumque ex natura sua est acquisibilis; & solùm potest esse per accidens infusa. Ita debemus philosophari Scotistæ omnes; quidquid obmurmuret noster Castillo *capit. 12. diff. 3. num. 5.*

32. Pro plena autem huius intelligentia, sciendum est, Thomistas in tractatu de Virtutibus communiter concedere virtutes morales per se infusas. Itaque virtutem moralem dividunt in per se, seu ex natura sua acquisibilem, (quam communiter vocamus acquisitam) & in per se, seu ex natura sua infusam. Et licet vtraque habeat idem obiectum materiale; differunt tamen (secundùm Thomistas) penes hoc, quod per se acquisita habet pro obiecto formali, seu motivo honestatem moralem naturalem, id est, convenientiam, seu consonantiam, qua actus est conformis naturæ rationali secūdùm se. Moralis vero per se infusa habet pro obiecto formali, seu motivo honestatem moralem supernaturalem, id est, convenientiam, seu consonantiam actus, qua est conformis naturæ rationali, vt elevatæ ad finē supernaturalem, & cōvictum sanctorum, vel ad aliud motivum supernaturale. Sic hanc diversitatem motivorum explicat G. Hurt. *disp. 7. diff. 12.*

33. Scotistæ autem cum Scoto *in 3. dist. 36. §. Contra hoc est, versicul. Licet de istis* negamus virtutes morales per se infusas. Nam, vt quis operetur in materia virtutum moralium ex fine, & motivo supernaturali, sufficiunt virtutes Theologales dirigentes prædictas virtutes morales in fines supernaturales. Ita *Henricus, Durandus, Marsilius, Ochamus, Gab. & Almaynus, quos, & alios citat noster Cavellus in Scholio ad versiculum. Quòd si dicatur dicens, sic docere omnes Scotistas.* Quare parvipen-

pendendus est Medina 1.2. *quæst. 63. art. 3.* dicens, esse ingentem temeritatem negare virtutes morales per se infusas. ¶ Immeritò etiã dicit castillo *disp. 12. q. 3. n. 5.* Scotistas, qui ex Scoto negant dari virtutes morales per se infusas, nō benè capere Scotum citatum probabiliter admittere (*in vers. Vel secūdò*) virtutes morales per se infusas. Scotus enim apertè loquitur de per accidens infundendis parvulo in patria, in casu, quòd ibi sint necessariæ. Igitur immeritò vtrumque hoc dixit Castillo; cùm sit quasi proloquium, & firmissimum Scotistarum principium negare virtutes morales per se infusas. Desinant ergo mussitare Castillo, & censurare Medina.

DVBIVM XIV.

34 PEtes quartodecimò, quid esset dicendum in casu, quòd admitteremus virtutes morales per se infusas? Respondetur esse vtrasque simul admittendas in Christo Domino. Quia sicut spectat ad perfectionem, & excellentiam cognoscentis rem aliquam, illam cognoscere omnibus modis, quibus cognoscibilis est: ita spectat operari virtutes omnibus modis, & ex omnibus motivis, quib⁹ potest illas operari. Sed virtus moralis per se infusa (semel admissa) aliquomodo differt ab acquisita: ergo vtraque est ponenda in Christo Domino. Ita Suarez disp. 19. sect. 2. & *Vazq. disp. 42. cap. 1. quos citat, & quorum sententiam tamquam probabiliorem sequitur Felix cap. 10. diff. 2. §. Thomistæ & Castillo disp. 12. quæst. 3. num. 8. citans etiam Montesinos affirmantesque quòd idem tamquã probabile admittit Lorca.*

35 Sed oppositum defendunt *Capreolus in 3. dist. 33. quæst. 1. articulo 1. conclus. 4. Ricardus quæst. 6. & Lorca §. De virtutibus num. 20. citati à prædicto Castillo:* & obijciunt Scotum *in 3. dist. 14. quæst. 1. §. contra conclusionem versicul. Præterea, contra* affirmantem, non posse fuisse in Christi Domini anima scientiam per se infusam & per accidens infusam de eodem obiecto: ergo neque virtus moralis per se, & per accidens infusa. Respondetur ita esse: sed non contra nos: qui absolutè defendimus, non esse virtutes morales per se infusas: sicut neque admittemus (loquendo de scientia animæ Christi Domini) scientiam per se infusam de obiecto, cuius notitiam potest à creatura acquiri. In præsenti autem solùm affirmamus, quòd si admittatur de eadem materia morali (de Virginitate v.g.) virtus non solùm per accidens infusa, sed etiam per se infusa, ponenda foret in Christo Domino sicut & idem affirmaremus de scientia: semel enim admisso posse de eodem obiecto esse simul scientiam per se infusam, & per accidēs infusam, illã admitteremus in Christo D. De virtutibus moralibus in speciali.

 36 Igi-

36 Igitur omissa lite inter nos, & Thomistas reperta de virtutib⁹ moralib⁹ per se, aut per accidēs infusis, & regrediendo ad dicta *nu.* 30. firmiter statutum est inter omnes Theologos, fuisse in Christo Domino quatuor virtutes cardinales. Descendendo tamen ad speciales virtutes morales, quæ sub illis quatuor continētur, regula generalis est, concedendā esse Christo Domino quamcumque virtutem moralem, quæ cum eius perfectione non repugnat. Quia hoc spectat ad eius excellentiam, & dignitatem. Quia tamen aliquæ sunt virtutes morales, quæ cum summa excellentia Christi D. videntur nō cohærere, aliquot adhuc dubia de his virtutibus restant examinā da.

DVBIVM XV.

37 PEtes quintodecimò, an in Christo D. fuerit magnificētia? Respond. affirmativè. Quia dicit magnam perfectionem sine admixtione imperfectionis. ¶ Dices, quòd hæc virtus pugnat cum summa paupertate Christi D. consistit enim in magnis sumptibus, quos Christus D. non habuit. Respond. negando antecedens. Ad probationem dico, quòd, si magnificentia non haberet alium actū nisi magnum sumptū; adhuc fuisset concedenda in Christo quoàd actus interiores illius: sicut paupertimus homo potest in affectu largas eleemosynas erogare. Deindè dico, fuisse in Christo Domino insignes actus exteriores magnificentiæ: nam eo ipsò ac abiecit omnia temporalia, & professus est summam paupertatem, cùm esset supremus Dominus omniū, exercuit admirabilis magnificentiæ actum. Item satiando quinque millia hominum in deserto. Et demum supernaturalia dona distribuendo.

DVBIVM XVI.

38 PEtes decimosextò, an in Christo Domino fuerit virtus pœnitentiæ? Respondetur affirmativè. Quia ad formalem rationem huius virtutis solùm spectat vindicare peccatum, vt offensivum Dei propter recompensandum iniuriam illius, quòd autem peccatum vindicandum sit proprium, vel alienum est quid materiale ad virtutem pœnitentiæ. Sed Christus Dominus voluit vindicare peccata hominum, & offensiva Dei ad recompensandum iniuriā illius: imò ex hoc motivo pertulit passionem: ergo habuit virtutem pœnitentiæ. Maior quoàd secundam partem (seu quòd sit materiale, & accidentarium ad virtutem pœnitentiæ quòd peccatum vindicandum sit proprium, vel alienū) probatur a simili spei, cui est materiale, quòd sperem mihi vel alteri: vt docet Scotus *in 3. d. 26. §. Ad quæstionem vers. Hæc etiā virtus*; & nos dicebamus *n.* 15. Insuper probatur à simili iustitiæ vindicativæ: cui est accidentale, quòd pec-

peccatum vindicabile, aut vindicatum sit proprium, vel alienum. Et ideò datur in Deo iustitia vindicativa: vt bene notat Scotus statim citandus. Minorem probo ex eo quòd operari ex hoc motivo spectat ad excellentiam Christi; præsertim cum ex eo quòd operaretur ex isto motivo, non desinat operari ex motivo charitatis, & ex nullis alijs. Consequentia demum est legitima. Ita Scotus (saltem probabiliter) *in 4. dist. 14. q. 2. §. Ad primum argumentum, vers. Aliter*, & communiter Scotistæ. Quòd & à fortiori defendent, qui concedunt penitentiam in statu innocentiæ, & in Beatitudine. De quo videatur Scotus *ibi, & Cavellus in Scholio illius versiculi.*

39 Dices: vnde constabit, esse quid accidentarium, seu materiale virtuti penitentiæ, quòd peccatum vindicandum sit propriū? Respond. constare ex eo quòd est actus iustitiæ; (scilicet vindicativæ) quæ est ad alterum. Quare, quando peccator, seu reus vindicat proprium peccatum, exercet quidem iustitiam erga se; seu in se; interpretatur tamen, illam exercere in alterum: quia se habet, vt minister iudicis, qui castigat reos: vt benè notat castillo *disp 12. q. 3. n. 15.*

40 Ex quibus constat, in Christo Domino admittendam penitantiæ virtutem & quantū ad habitum, & quantum ad actum. Quia & habitualiter, & actualiter voluit destruere peccata hominum ex complacencia recompensandi iniuriam Deo illatam per peccata. ¶ Constat etiam immerito dixisse G. Hurt. *disp. 7. diff. 12.* convenire Theologos communiter in hoc, quòd in Christo Domino nō sit virtus penitentiæ. Etsi enim sic communiter sentiant Thomistæ; Scotus tamen (saltem probabiliter) & Scotistæ comuniter, non sine probabili fundamento, oppositum affimamus.

DVBIVM XVII.

41 Petes decimoseptimò, an virtus prudentiæ (quam suppono ex dictis *à n. 33.* esse per se acquisitā, seu acquisibilem) fuerit infusa Christo D. cum reliquis virtutibus in primo suæ conceptionis instanti? Resp. affirmativè. Quia omnes virtutes saltē morales habēt necessariā conexionem cum prudentia saltem in suo exercitio, sed aliæ fuerunt tunc infusæ: ergo & prudentia. Patet consequētia: alioqui in primo instanti nō potuisset Christus D. perfectè exercere aliquā virtutē moralem. Ita Castillo *disp. 12. q. 3. n. 11. & communiter Recentiores.* ¶ Sed Vazq. *disp. 42. cap. 2.* oppositum defendit: & obijcit, quòd prudētia supponit scientiā naturalem speculabilium: sed hæc acquisita fuit à Christo D. decursu temporis: ergo & prudentia. Respond. maiorem esse intelligēdam cū distributione accōmodata: prudētia enim actualis præ-

tia originalis: fit, quòd prædicta inclinatio, seu fomes solùm dicitur oriri à peccato originali, tamquam à removente prohibens, ab ipso enim fuit ablata (demeritoriè tantùm) iustitia originalis, à qua oriebatur illa potentiarū subordinatio, seu à qua impediebatur potentiarum deordinatio.

44 Ad rem ergo: fateor, Christum Dominum non contraxisse peccatum originale, aut aliquod illius debitum: & consequenter, quòd quamvis in eo non poneretur iustitia originalis, aut aliquis alius habitus, sed sola vnio hypostatica, non haberet deordinationē potentiarum; quam provt ab originali peccato venientem, vocāt fomitem peccati. Tamen cùm eius humanitas, si vt vnita præcisè consideretur, habitura esset eamdem inclinationem, seu ex se esset exposita ad prædictam deordinationem, indigeret profectò habitibus, & virtutibus moderantibus prædictam inclinationem; & consequenter sine illis manerent potentiæ de ordinatæ: quamvis talis de ordinatio tunc non vocaretur fomes peccati in sensu, quo de facto deordinatio potentiarum à Theologis vocatur fomes peccati. Quia talem potentiarum deordinationem, seu non subiectionē solùm, quando à peccato provenit, vocant fomitem peccati: *quia à peccato est, & in peccatum inclinat*, (inquit Trident. *sess. 5. can. 5.*)

DIFFICVLTAS V.

De spectantibus ad dona Spiritus Sancti in Christo D. reperta.

DVBIVM I.

1 PEtes primò, an in Christo Domino fuerint dona Spiritus Sancti? Respondetur affirmativè. Quia de Christo Domino accipitur illud *Isaiæ 11. Requiescet super eum Spiritus Domini: spiritus sapientiæ, & intellectus; spiritus consilij, & fortitudinis; spiritus scientiæ, & pietatis; & replebit eum spiritus timoris Domini*: ibique esse sermonem de donis Spiritus Sancti est receptum inter Catholicos. Igitur cùm prædicta dona sint quædam perfectiones nullam imperfectionem involventes, spectat ad perfectionem, & excellentiam, Christi D. habere talia dona.

¶ Hæc conclusio in hac generalitate (scilicet non determinando, quæ ex donis Spiritus Sancti conveniāt Christo D. neque determinando, in quo cōsistat vnumquodque donum) est adeò certa, vt absque errore nequeat negari. Quia expressissimè dicitur in præfato Isaiæ loco fuisse in Christo D. Spiritus Sancti dona. ¶ Quòd autem ibi sermo sit de Christo Domino constat ex contextu: fuerat enim dictum: *Egredietur virga de radice Iese, & flos de radice eius ascēdet:*

&

& statim subiungitur: *& requiescet super eum Spiritus Domini, &c.* ¶ Quòd autem sub metaphora virgæ intelligatur Gloriosissima Virgo, & Christus Dominus sub metaphora floris, est receptissima expositio D. Hieronymi super illum locum: (vt legitur in officio Dominicæ 2. Aduentus) immo sic intelligit Ecclesia, quæ in officio parvo B. Virginis in capitulo ad laudes, & ad 3. prædicta verba (*Egredietur, &c.*) adaptat Beatæ Virgini.

DVBIVM II.

2 PEtes secundò, quot sint Spiritus Sancti dona? Respondetur, esse septem, nempè sapientiam, intellectum, scientiam, consilium, pietatem, fortitudinē, & timorem Domini. Ita ex prædicto Isaiæ loco colligunt Doctores. Quare displicent Forerius, Pagninus, & Batablus dicentes, ex hoc loco solùm colligi sex Spiritus Sācti dona: eo quòd vbi nos legimus *Spiritus pietatis, & timoris*, apud Hebræos est (inquiunt) vnicum vocabulum significans tantùm timorē. Displicent: (inquam) quia standum est nostræ Vulgatæ; secundùm quam Patres, & Scholastici meritò colligunt, septem esse Spiritus Sancti dona.

DVBIVM III.

3 PEtes tertiò, quid nomine doni Spiritus Sancti intelligatur? Respondetur, donum Spiritus Sancti vocari quamdam gratiam, qua quis ex instinctu Spiritus Sancti operatur extraordinariè, & eximiè. (In quo donum differt à virtute: ista enim disponit ad actus communes, & regulares.) Tale fuit iudicium, quo Salomon iudicavit, dividendum esse puerum vt inde vera mater nosceretur: vt dicitur 3. *Regum cap. 3.*

DVBIVM IIII.

4 PEtes quartò in quo consistat quodlibet istorum donorum? Et vtrùm à virtutibus differant? (quæ duo quasi connexa sunt) Prima sententia affirmat, dona distingui realiter à virtutibus. Sic D. Thom. 1. 2. *q.* 68. *art.* 1. *vbi plures Thomistæ. Prætereà Montes. Valentia.* [illegible]*m nostri Bonauent. Alensis, & Richardus citati a Felix tom. priori Tentatiuæ tract. 6. cap. 3. diff. 4. num.* 2. ¶ Scotus autem *in* 3. *dist.* 34. *§. His suppositis, à vers. De donis, Pitigianus, Pilosus, & reliqui Scotistæ. Item Palacios, Gab. Almainus; Lorca, Vazquez, & G. Hurt. citati à Felix ibi num.* 3. affirmant, septem Spiritus Sancti dona non distingui realiter à tribus virtutibus Theologalibus, (quæ sunt fides, spes, & charitas) & à quatuor Cardinalibus: quæ sunt iustitia, fortitudo, prudentia, & temperantia.

5 Sed antequam probemus hanc

hanc sententiam, auscultate, quomodo Scotus Spiritus Sancti dona reducat ad virtutes. Igitur ibi sic loquitur: *Ibi enumerantur quatuor virtutes cardinales. Prudentia per donum consilij: prudentia enim est habitus consiliativus; quia est habitus rectè syllogizandi; & tale syllogizare est consiliari. Vnde habitus, quo quis est consiliativus, est prudentia. Fortitudo exprimitur suo nomine inter dona. Timor autem est species temperantiæ: idem enim est omninò timor, quòd humilitas; licèt alio nomine nominetur. Sicut patere potest per Augustinum super illud Matth. 5. Beati pauperes spiritu. Frequenter enim nominantur non nominibus proprijs. Et ideò Scriptura frequenter commendat timorem: vnde illud, initium sapientiæ timor Domini, nihil aliud est nisi humilitas, quæ est principium virtutum. Et cùm inter dona ponitur pietas, hæc est, quæ apud Salvatorem vocatur misericordia, & ista est species iustitiæ.* ¶ Quòd autem virtutes Theologales (fides, spes, & charitas) declarentur per reliqua dona, sic explicat Scotus ibi vers. *Exprimuntur. Per alia dona (intellectum, & scientiam) exprimitur fides infusa. Itaque illa duo non circumloquuntur duos habitus; sed vnum tantùm secundùm perfectum, & imperfectum. Et vnus potest dari sine alio, sed non è converso. Potest enim intellectus dici fides imperfecta, quæ est notitia articulorum primorum; & scientia fides perfecta, quæ est explicita notitia de articulis. Sicut in scibilibus naturalibus intellectus dicitur esse principiũ, & scientia cõclusionis. Spes autem explicitè non enumeratur hìc, sed datur intelligi per charitatem, quæ est sapientia; sapientia enim est, qua sapit mihi Deus in se, & qua sapit mihi, vt bonum: nam qui sapit, & saporem in se approbat, & sibi appetit.* Itaque donum sapientiæ spectat ad charitatem, & spem: est enim voluntatis actus quo mihi Deus sapit, seu approbo Deum, aut mihi placet Deus propositus, vt obiectum: hac observata differentia; quòd actus, quo mihi sapit Deus, vt in se est, spectat ad charitatem: actus verò, quo mihi sapit Deus, vt est bonus mihi, pertinet ad spem.

6 Quibus suppositis, probo iam septem dona Spiritus Sancti non distingui realiter à septem virtutibus, nempè à quatuor cardinalibus, & tribus Theologalibus. Per septem virtutes sufficienter perficitur homo in politica humana, & divina, seu in naturali, & supernaturali: ergo gratis ponuntur dona Spiritus sancti distincta ab his virtutibus, vt homo perficiatur. ¶ Respondent Thomistæ, dona addi virtutibus, vt homo perficiatur extraordinaria, & eximia motione Spiritus Sancti ad opera extraordinaria, & eximia. ¶ Sed contra: quia etiam ad hoc sufficiunt virtutes: nam eximium opus prudentiæ v. g. (quale fuit consilium Salomonis de puero dividendo) non transgreditur limites pruden-

dentiæ;& eximium opus fortitudinis Samsonis v. g. non transgreditur limites fortitudinis. Et consequenter communia opera virtutis ab eximijs operibus solùm differunt secundùm magis, & minùs: atque adeò non postulant diversa principia.

7 Secundò probatur: virtutes enim, & dona habent eadem obiecta: ergo non differunt. Respondent adversarij, quòd differunt ex diverso modo attingendi illud obiectum: nam virtutes attingũt obiecta, vt gubernantur per rationem; dona autem, vt mouentur à Deo. ¶ Sed contra: quia quicumque actus virtutis, præcipuè si eliciatur in ordine ad vitam æternam, gubernatur à Spiritu Sancto, & simul à ratione: ergo quòd gubernetur à Deo, vel à ratione, non petit distinctionem in principijs, seu habitibus, à quibus procedunt. ¶ Respondet secundò Henricus de Gandauo *quodlib.* 4. *q.* 33. virtutes perficere hominem humano modo; (vt quando quis suffert terribilia cum tristitia) dona autem modo superhumano: (vt quando Martyres sufferunt terribilia cum gaudio) & sic dona differunt à virtutibus penès diversum modum. ¶ Hoc tamen reijcit Scotus *ibi* §. *& vers. Sed contra*: Charitas enim est perfectissima virtus ergo perficit perfectissimo modo, & superhumano. Secundò, quia si dona adderent aliquid super virtutes, his destructis possent permanere dona: & consequenter posset quis prorumpere ex donis in actus virtutum, & perfectiori modo, quã ex virtutib⁹.

8 Sed obijcit prima sententia D. Greg 1. *Moral cap.* 28. vbi per septem filios Iob intellexit septẽ dona Spiritus Sancti, & per tres ipsius filias tres virtutes Theologales. Et *libro secundo capite.* 36. distinguit dona à quatuor virtutibus Cardinalibus, quas comparat quatuor angulis domus, quibus quassatis ruit tota domus; & dona Spiritus Sancti quasi opprimũtur. Respondetur cum Vazquez, ibi Gregorium distinguere non solùm habitus, sed actus, & effectus, seu opera virtutum. Itaque eadem habitualis virtus per diversos effectus, quos causat: potest vocari filius, & filia, necnon & soror hominis iusti. Ad modum, quo dicebat Christus Dominus *Matth.* 12. *num.* 50. *Quicumque fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis est, ipse frater meus, & soror, & mater est.* Quæ solutio accommodanda est similibus Patrum auctoritatibus.

9 Obijcit secundò: dona Spiritus Sancti debent esse per se infusa: sed non dantur virtutes morales per se infusæ (secundum Scotum: de quo *diff. præced. à nu.* 33.) ergo dona Spiritus Sancti distincta sunt saltem à virtutibus moralibus. Respondetur negando maiorem: quia solùm illa dona Spiritus Sancti, quæ identificantur cũ virtutibus Theologalibus, sunt per se infusa.

DVBIVM V.

10 PEtes quintò, quid habeamus ex dictis? Respondetur haberi ex hucusque dictis, in Christo D. fuisse dona Spiritus Sancti. Item fuisse septem. Insuper omnia illa fuisse in Christo D. Et demum, quòd hæc dona materialiter sumpta non differunt à tribus virtutibus Theologalibus, & à quatuor cardinalibus. Addimus modò, quod si formaliter sumantur, aliquomodo differunt à virtutibus: cùm formaliter sumpta hæc dona consistant in quadã motione Spiritus Sancti data ad opus extraordinarium, & eximium. Vnde saltem debent differre sicut perfectum, & magis perfectum: qualiter differunt intellectus v.g. concurrens ad intellectionem perfectam, & ad magis perfectam: sicut enim intellectus est idem quando concurrit ad intellectionem, vt quatuor v.g. & quando ocurrit ad intellectionem, vt sex: & solùm differt à se ipso penes hoc, quòd efficaciùs movetur ab obiecto, vel ab impetrante, seu applicante, quando perfectiorem intellectionem producit: sic eadem virtus prudentiæ v.g. applicata communi modo communem producit effectum: & tunc absolutè dicitur virtus: si tamen specialiori modo applicetur, specialiorem, extraordinarium, aut eximium producit effectum, (vt fuit iudicium illud Salomonis de puero diuidendo) & tunc dicitur donum Spiritus Sancti. Alicui fortè aptius videbitur exemplum eiusdem intellectus, qui, vnicus cùm sit, est principiũ speciei impressæ, & expressæ: aut est agens, & patiens solùm penes diversas aptitudines, quæ tàm inter se se, quàm comparatæ ad ipsum intellectum solùm formaliter differunt: qualiter Scotistæ dicimus differre passiones, tam inter se, quàm cum subiecto comparatas. Sed quidquid sit de his exemplis, firmiter nobis statuendum est, dona Spiritus Sancti; & virtutes tàm Theologales, quàm Cardinales materialiter sumpta nullomodo differre: si autem formaliter accipiantur, aliquam formalem distinctionem accipere: sicut illam accipit quæcumque entitas, quæ per diversas formalitates in se realiter identificatas, est principium diversorum actuum, quorum vnus est perfectior alio: vt est charitas producens amores erga Deum, & erga proximum.

11 Molestè fortè hæc tractata videbuntur; nec omnino nego: sed rem in se difficilem, & aliàs ex alijs tractatibus altiora petentem principia, haud aliter explicandam iudicavi. Sed hoc omisso nunc commodiùs respondebimus aliquibus, quæ contra nonnulla ex dictis obijci possunt.

(∴)

DV-

DVBIVM VI.

12 PEtes sextò solutionem aliquorum, quæ contra huc-vsque in hac difficultate dicta obijci possunt. Igitur ad probandum, in Christo D. non fuisse dona Spiritus Sancti, vel saltem non fuisse aliqua illorum, obijcitur, quòd Christus D. non indiguit his donis. Respondetur negando: sicut enim indiguit virtutibus ad perfectè eliciendum actus illarum, iuxta dicta *diff. præced. n.* 42. ita indiguit donis Spiritus Sancti ad perfectè sequendum illius instinctum, vt eliceret illa opera eximia, & extraordinaria, ad quæ Spiritus Sanctus movet. Et vtriusque ratio est, quòd quamvis Christi D. humanitati erant debita debito congruentiæ prædicta dona, & virtutes; tamen vnio hypostatica non tribuebat effectus formales donorum, & virtutum. ¶ Dices: *Ioan.* 3. dicitur: *Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis; sed nescis, vnde veniat*: ergo supponitur ignorantia in eo, qui habet donum: ergo in Christo D. non est admittendum. Resp. negando consequentias: non enim est de ratione doni Spiritus Sancti, quòd ille, qui sequitur ductum illius, nesciat, se duci ab illo, quamvis hoc multoties contingat ob imperfectionem status viæ; in quo erat Nicodemus, cui tunc loquebatur Christus D.

13 Obijcitur secundò: dona intellectus, & scientiæ sunt idem realiter cum fide secundùm Scotum *n.* 5. relatum: sed in Christo D. non fuit fidei habitus: ergo neque ista dona. Respond. maiorem solùm esse veram de viatoribus habentibus fidem. In Christo autē D. dona intellectus, & scientiæ idētificabantur cum habitu scientiæ infusæ. ¶ Obijcitur tertiò: consilium includit dubitationem: ergo non fuit in Christo D. saltem quoàd actum. Respond. negando antecedens: quamvìs enim sæpe consilium, seu prudentia supponat, præcessisse dubitationem: de ratione tamen consilij solùm est iudicium, seu sententia de rebus à nobis faciendis. ¶ Obijcitur, quartò: timor est fuga à malo: ergo nō fuit in Christo Domino. Respond. negando consequentiam: expressissimè enim dicit Isaias. *cap.* 11. *& replebit eum spiritus timoris Domini*. Quomodo autem hoc sit intelligendum, ex dicendis prosequentium dubiorū solutione constabit.

DVBIVM VII.

14 PEtes septimò, in quo consistat donum timoris? Resp. sub explicatione. Nos enim hic, non loquimur de timore sumpto pro passione appetitus: quia hunc passum fuisse Christum D. concedunt omnes propter illud *Marci* 14. *n.* 33. *cœpit pavere, & tædere.* ¶ Loquimur ergo de timore sumpto pro affectu voluntatis, quo quis timet Deū. Qui timor dividitur in servilem, & filialem. Servilis dici-

dicitur affectus quo quis fugit pœnam à Deo inflictam; & ob hoc non peccat, aut sequitur virtutē. Filialis est affectus, quo quis fugit imminentem separationē à Deo; vel quo ob reverentiam Deo debitam timet, aut quasi refugit ipsam Dei maiestatem: Qualiter Petrus Christo D. dicebat: *Exi à me: quia homo peccator sum Domine, Lucæ 5. n. 8.* ¶ Et quamvis timor servilis sit bonus, & ex motione Spiritus Sancti: (dummodò non fiat serviliter: quòd contingeret, quando quis haberet hunc affectū peccaminosum; peccarem, si non timerem pœnā infligendā) tamen non fuit in Christo D. neque est in Beatis: quia in eis non est peccatū, cuius pœnam fugerent: Igitur cū timor servilis non fuerit in Christo D. infertur plane, in tali timore nō posse consistere donū timoris: ac per consequens, quòd consistit in timore filiali.

DVBIVM VIII.

15 Petes octavò, quodnā sit obiectum timoris filialis? Resp. non esse peccatū, aut aliquod malū; sed infinitā Dei maiestatē, quæ in cōsideranti illam ex motione Spiritus Sancti excitat affectū quēdam, quo voluntas retrahitur ab obiecto illo admodū eminēte plane se illi submittens, & agnoscens superioritatē. Sic timere, & revereri solemus homines, qui in potentia, & dignitate nos excedunt; quamvis nihil mali nobis ab ipsis immineat. Sicque videtur fuisse timor ille Petri n. 14. explicatus: atque ille, de quo *Lucæ 7.* dicitur: *Accepit omnes timor, & glorificabant Deum*; necnon & ille, quem suadebat Paulus *ad Rom. 13.* dicens: *Reddite omnibus debita cū timore.* In quo etiā sensu Greg. 17. *Moral. c. 15.* intelligit illud *Iob. cap. 26. Columnæ cæli,* (idest Angeli; explicat Greg.) *contremiscunt.* Et demùm sic donum timoris declarant *cum Mag. in 3. d. 34. nostri D. Bonavent. Alens. &c.* ¶ Vnde reijcio nostrum Ricardum *in 3. d. 34. art. 2. q. 4* dicentē, donum timoris consistere in fuga & aversione efficaci ab omni peccato cum delectatione, quod in perpetuum exclusum sit. ¶ Sed contra, quod hic actus assignatus est odiū peccati simul cum gaudio de victoria.

16 Sed contra hunc nostrum modum explicandi donū timoris obijcies, quod de ratione cuiuscūque timoris est, quòd sit fuga à malo: quæ fuga non aptè explicatur secundùm prædictum modū philosophandi. Resp. cum D. Thom. *3. p. q. 7. art. 6. ad 1.* donum timoris (sicut, & quamcumque aliam virtutē) primò, & per se non esse actum fugæ, (licèt sit ex consequenti) sed prosequutionis. Quæ duo reperiūtur in timore isto: nam primò, & per se est actus prosecutionis habens pro obiecto eminentiam Dei, & infinitam eius maiestatem, in qua cōplacet homo, seu quā prosequitur, illi planè se submittēdo. Tamē ex cōsequenti elicit fugā, qua creatura in conspectu di-

divinæ eminentiæ, & infinitæ maiestatis Dei quasi retrahitur fugiendo investigare mirabilia eius, & cavendo in aliquo vsurpare excellentiam illius, aut discordare ab illius voluntate Et obiectum huius fugæ est malum, non quidē imminens, seu quod formidatur futurum; sed quod secundùm se malum est: eo quòd repugnat divinæ excellentiæ, quòd aliqua creatura velit vsurpare aliquid excellentiæ, & maiestatis illius, aut eius voluntati se non conformare. ¶ Sed contra, quòd ad timorem requiritur, quod obiectum aliquomodo apprehendatur futurū: quis enim timet, cœlum ruere, etiam si hoc sit possibile? Respondetur hoc esse verum de timore, qui non est donum Spiritus Sancti; non autem de isto, qui primò, & per se non est fuga, sed prosecutio, & à timore stricto solùm participat rationem fugæ à malo, sivè istud sit futurum, sivè possibile tantùm.

17 Obijcitur secundò: donum timoris correspondet humilitati: (de quo Scot. *n.* 5. citatus) sed actus reuerentiæ habens pro obiecto divinam maiestatem correspōdet virtuti religionis: ergo donū timoris non potest habere pro obiecto divinam maiestatem. Resp. concedo minorem, si per actum reuerentiæ intelligamus voluntatem parendi Deo, vt supremo Domino, seu colēdi Deum, vt primū, & supremum principium. Nego tamen minorem, si intelligamus voluntatem subdendi se Deo, præferendo in omnibus honorem divinum proprio commodo, & honori.

18 Constat ex dictis *à n.* 14. merito nos *n.* 13 *in fin.* affirmare fuisse in Christo D. donū timoris: & consequenter singula septē dona Spiritus Sancti.

DVBIVM IX.

19 PEtes nonò, an omnia prædicta dona Spiritus Sancti perseverent in Christo D. nunc in patria? Respondetur affirmativè loquendo de illis quantum ad habitus. Quia dona, vt sic, non differunt à virtutibus Theologalib⁹, & Cardinalibus; (ex dictis *a n.* 6.) quas immerito negaremus in Christo D. & alijs Beatis. ¶ Si autem loquamur de his donis, quantū ad actus, etiam respondetur affirmativè. Quia nullum est inconveniēs concedere actus donorum etiam nunc in patria in Christo D. & in Beatis. ¶ Dices cum *Durando* (*in* 3. *d.* 34. *q.* 3. vbi negat aliqua dona quātū ad actus in Beatis; excipit tamen Christū D. dum erat viator) pietas versatur circa sublevandam miseriā aliorū: sed in Beatitudine non sunt miseri: ergo neque actus pietatis. Resp. negando consequentiā: sufficit enim, Christū D. velle subleuare miseriā viatorum. Immo post diem iudicij perseverabit in Christo. D. (& in alijs Beatis) cōplacentia de actib⁹ quib⁹ sublevavit nostras miserias, quæ cōplacētia spectat ad idē donū. ¶ Adde, quòd accipiēdo donū pie

pietatis, vt importat firmitatem, & permanentiã in bona operatione, semper perseveravit in Christo D. & in Beatis. ¶ Eodem modo philosophandum est de dono fortitudinis: quæ duo, necnon & dona consilij, & timoris negat Durandus saltem quoad actus permanere in Beatis. Immeritò autem dicunt cõmuniter; ista dona negasse Durandum in Christo D. viatore: expressè enim dicit oppositum. Qui autem negavit actũ timoris in Christo D. & in Beatis, fuit Abaylardus hæreticus: cuius error fuit damnatus in concilio Remensi, & ab Innoc. 2. *epist.* 194. inter epistolas Bernardi. ¶ Nota obiter, quod quamvis aliqui Petrũ Abaylardum vocent hæreticum; resipuit tamen, & sanctè obijt, teste Petro Cluniacensi *lib. 5. epistola 3. & 20.* vt eruditè notat Bellarminus *in lib. de scriptoribus Ecclesiasticis ad annos* 1150.

DIFFICVLTAS VI.

De spectantibus ad gratias gratis datas repertas in Christo D.

DVBIVM I.

1 Petes primò, quid nomine gratiæ gratis datæ intelligamus? Respond. nos, & Theologos intelligere donum, quod (sivè per modum actus, sivè per modũ habitus) datur homini primò, & per se ad hunc finem; vt reddatur potens cooperari saluti aliorum. Per quod differt à gratia iustificante: hæc enim primò, & per se datur homini, vt in se ipso sanctificetur; & in finem supernaturalem promoveatur?

DVBIVM II.

2 Petes secũdò, quot, & quas gratias gratis datas enumeret Apostolus 1. *ad Chorin.* 12. Respondetur, novem numerare per hæc verba: *Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ; alij autem sermo scientiæ secundùm eumdẽ spiritum; alteri fides in eodem spiritu; alij gratia sanitatum in vno spiritu; alij operatio virtutum; alij prophetia; alij discretio spirituum; alij genera linguarum; alij interpretatio sermonum.* Per quod patet responsio ad primum quæsitum.

3 Quantum ad secundùm dico, exactam examinationem naturæ, aut essentiæ harum gratiarũ spectare ad tractatum de Gratia: ex quo aliqua sunt in præsenti mutuanda non tàm per modum disputationis, quàm suppositionis.

De sapientia, & scientia.

4 Per sapientiam, & scientiã significatur cognitio, quã ex fidei principijs discursu, & ratione deducimus. Differunt autẽ inter se: quia sapientia considerat res divinas, & supernaturales: sciẽtia autem humanas, & naturales.

P ¶ No

¶ Notat autem D. Th. 1.2. q. 111. *art.* 4 sapientiã, & sciẽtiã posse du pliciter considerari. Primo, vt per ficiũnt mentẽ hominis, vt sit facilè mobilis à Spiritu Sancto ad ea, quæ sunt sapientiæ, & scientiæ. Et sic sunt dona Spiritus Sancti. Secundò, quatenus important quãdam abundantiam sapientiæ, & scientiæ, per quam homo, non solùm possit in se ipso sapere rectè de eorum obiectis; sed etiã alios instruere, & contradicẽtes revincere; & sic saluti aliorũ providere, nõ solùm per internam cognitionem, sed etiam per externam expositionem, & sensibilia signa, seu sermonem. Et hac ratione sunt gratiæ gratis datæ. Vnde advertit D. Tho. notanter Apostolum vocasse has gratias sermonem sapiẽtiæ, & scientiæ. Sapientia enim, & scientia, nisi sermone explicantur, aliorum saluti prodesse non possunt.

De Fide.

5 PEr fidem significatur specialis fidei constantia, & firmitas, qua homo redditur potens, vt aptè, & publicè fidei mysteria valeat docere per externum sermonem. Ita D. Th. 2.2. *quæst.* 4. *art.* 5. *ad* 4. *cùm D. Anselmo, & Interlineali.* Quare reijciendus est Lorca *disp.* 22. *de Gratia* affirmãs, fidem in prædicta acceptione non tam pertinere ad aliorum, quàm ad propriam vtilitatem: & consequenter non tàm inter gratias gratis datas, quàm inter gratiam gratum facientem esse enumerandam. Fallitur tamen: quia fides in dicta acceptione in aliorum vtilitatem ordinatur. ¶ Est etiam optima alia expositio eiusdem D. Tho. 1.2. *quæst.* 111. *art.* 4. *ad* 2. asserentis, fidem significare præstantem mysteriorum fidei intelligentiam, & exactiorem penetrationem, quàm homo potest habere sine hoc dono; & qua potens sit alijs declarare, & persuadere mysteria fidei.

De gratia sanitatum, & de operatione virtutum.

6 GRatia sanitatum significat virtutem quamdam, per quam homo salutem corporalem aliorum operatur miraculosè. ¶ Operatio autem virtutum significat virtutem faciendi miracula ad ostensionem divinæ virtutis. ¶ Differunt autem inter se; quia gratia sanitatum specialem vim habet inducendi ad fidem: est enim miraculum, & vltra est beneficium maximè alliciẽns, & inducens affectum ad conversionẽ in Deum. Ita D. Th. 1.2. q. 111. *art.* 4. *ad* 2. ¶ Nisi dicas cùm D. Chrysostomo, & multis Græcis, differre in hoc, quòd gratia sanitatum inducit ad amorẽ; operatio autem virtutum ad timorem. Quare miraculum, quo Petrus *Actor.* 5. interfecit Ananiã, & Saphiram vocant operationem virtutum: miraculum autem, quo Petrus, & Ioannes *Actor.* 3. claudo

do restituerunt ambulandi facultatem vocant gratiam sanitatum.

De prophetia, & reliquis.

7 PRophetia ex omnium sententia consistit in revelatione, & infallibili cognitione eorum, quæ longè distant à cognitione hominum. (quæ revelatio præcipuè est circa futura contingētia) Dicitur enim propheta quasi procul videns, à *pro*, hoc est, procul, & *phanos*, quod est visio. ¶ Discretio spirituum consistit in cognitione occultarum cogitationum cordis: deservitque ad discernendum dolosas, & sublatentes insidias hæreticorum, & dæmonum, qui sæpè ovina pelle teguntur. ¶ Genera linguarum est diversorum idiomatum notitia, & ad loquendum in illis in ordine ad aliorum salutem expeditio. ¶ Demum interpretatio sermonum est donum intelligendi, & interpretandi recōditos scripturæ sensus. ¶ Ex quibus constat, has gratias (si gratiam sanitatum, & operationem virtutum demas) includere, vel saltem necessariò connotare externum sermonem, sine quo aliorū saluti prodesse non possunt.

DVBIVM III.

8 PEtes tertiò, quidnam dubitent Authores circa prædictas gratias gratis datas? Resp. ex tractatu de Gratia hoc esse decidendum. Quare hic solùm est prælibandum.

9 Igitur dubitatur primò, an dictæ gratiæ sint habitus? Resp. affirmativè loquendo de fide, sapiētia, & scientia, necnon, & de gratia, quæ dicitur genera linguarum. Negativè autem loquendo de reliquis. Quia illis prioribus vtitur homo, qui illas habet, cùm vult; secùs verò posterioribus.

10 Secundò dubitatur, an hæ gratiæ habeant connexionem inter se? Ita vt qui habet vnam habere debeat alias? Respond. negativè. Quia nulla probabili ratione potest probari hęc connexio. Secū dò, quia constat experientia. Multi enim sanctissimi viri habuerunt vnam, aut plures ex his gratijs, nō tamen omnes.

11 Tertiò dubitatur, an hæ gratiæ habeant connexionem cum gratia sanctificante? Respon. negativè. Quia aliquando conceduntur peccatoribus: vt docet D. Th. 2. 2. *quæst.* 172. *art.* 4. & 5. & *alibi*. Et colligitur ex illo *Matth.* 25. vbi introducuntur reprobi dicentes: *Domine nonne in nomine tuo prophetauimus? Nonnè in nomine tuo virtutes plures fecimus?* ¶ Adde contingere posse, vt aliquis iustus nullam ex his virtutibus habeat. ¶ Dices: si non habent connexionem cùm gratia sanctificante, cur Ecclesia in canonizatione sanctorū sumit testimonium ab his gratijs pro infallibili sanctitate illorum? Respondetur ex D. Aug. & Hieronymo, quos refert, & sequitur D. Th. 2. 2. q. 171. art. 4. & *alibi*, miraculum, quando fit in confir-

mationem doctrinæ; posse fieri etiam à peccatoribus: secùs autē, quando fiunt in testimonium sanctitatis. Quo fine fiunt, quando non est necessitas confirmandi fidem;& aliàs fiant ab homine probatæ vitæ.

12 Quartò dubitatur, an divisio gratię gratis datæ in novem assignatas sit adæquata? Respond. negativè. Quia potestas administrandi sacramēta inter gratias gratis datas debet enumerari. Ita *Bellarminus lib. 1. de Gratia, & libero arbitrio c. 11. Lorca disp. 22. de Gratia, & Vazq. in cōmento articuli 4. q. 111.* ¶ Ex fundamento autem nostro patet ad id, quod objicit opposita sententia, quam defendit D.Th. *q. 111. art. 4. & lect. 2. super 1. epistolam ad Chorint. cap. 12.*

DVBIVM IIII.

13 PEtes quartò, an omnes prædictæ gratiæ gratis datæ fuerint in Christo D. Respond. affirmativè. Quia *sicut in capite vigent omnes sensus; ita & in Christo omnes gratiæ:* dicebat August. *epist. 57. ad Dardanum.* Secundò, quia Christus D. est dispensator omniū gratiarum, *ad Ephes. 4.* ergo illas omnes debet habere. Tertiò, quia hoc spectat ad excellentiam Christi D. cùm in nulla illarum detur aliqua imperfectio: vt constat ex dictis *à num. 2. vsque ad 5.* De quibus omnibus legantur Recentiores, præsertim *Lorca disput. 40. & Suar. disp. 21.*

14 Sed contra hanc conclusionem objicies primò: in Christo D. non fuit fides virtus Theologica: ergo neque fides gratis data. Patet consequentia: quia ista identificatur cùm illa; vel saltem illam supponit. Respondetur negando cōsequentiam. Ad probationem dico, esse veram regulariter, seu de viatoribus habentibus fidem. In Christo autem D. fides gratia gratis data identificabatur, aut supponebat scientiā per se infusam, vel saltem beatam. ¶ Objicies secundò, quòd Christus D. non fuit verè Propheta; sed solùm putabatur à populo esse Propheta: sicut putabatur esse filius Ioseph: ergo non habuit prophetiam. Antecedens expressè docet Abulensis *cap. 11. Numerorum q. 64.* Respond. negando antecedens *cùm Lorca disp. 40. & communissima sententia.* Imò *Vazq. ad articulum 8. q. 7. D. Tho. in fine num. 12.* sic fatur: *Ego non dubitarem notam temeritatis injicere his, quibus opinio Abulensis probaretur.*

15 Sed quidquid sit de hoc, facilè convincitur, fuisse Christum D. propriè Prophetam ex August. *tract. 15. in Ioannem* dicente: *Samaritana non malè sentiebat de Christo D. dicens, esse Prophetam: nam reuera erat Propheta.* Prætereà Christus D. cognoscebat futura contingentia, & abscondita, longè distantia, atque secreta cordium: quæ omnia sibi occulta, & procul debebāt esse, attento statu viatoris vitam mortalem agentis: ergo erat propriè Propheta. Vnde constat omnia

nia scripturæ, & Patrum testimonia, quibus Christus D. dicitur Propheta, propriè esse accipienda. ¶ Sed obijcit Abulensis citatus: Propheta accipit revelationem à Deo. Sed Christus D. est Deus: ergo non fuit Propheta. Respond. concedendo consequentiam de Christo D. inquantùm Deus est: & negando de ipso in quantū est homo. ¶ Obijcit secundò: *Baptista fuit plusquā Propheta ex Matth. 11.* ergo & Christus D. Respondetur vtrumque dici plusquàm Prophetam; non quia non fuerint Prophetæ propriè: sed quia excellentiori modo fuerunt Prophetæ. Ioannes enim digito demōstravit, quē alij futurum prędixerant: Christus autem D. omnia prædicendo, & clarissimè intuendo.

DVBIVM V.

16 PEtes quintò, an donum prophetiæ Christi D. cessaverit in patria? Respond. affirmativè cùm communissima sententia. Quia de ratione Prophetæ est, quòd communicet eumdem statum cum illis, quibus prophetat. Vnde cōstat, quòd, cùm Christus D. post resurrectionem aliqua occulta, vel futura prædixit discipulis, non egit personam Prophetæ. ¶ Dices: ergo saltem revelando aliqua occulta Beatis aget Prophetam. Respondetur negando: quia id, quod revelat, non est procul ab illo statu.

DIFFICVLTAS VII.

De spectantibus ad gratiam, per quā Christus D. constituitur caput Ecclesiæ.

HVcusque egimus in hoc capite de spectantibus ad gratiam Christi D. quatenùs est quidā homo: restat agendum de gratia, per quam cōstituitur Caput Ecclesiæ.

DVBIVM I.

1 PEtes primò, quæ sint certa in prędicta difficultate? Respon. in primis certū esse, quòd Christus D. secūdùm quòd homo est, est Caput Ecclesiæ. Colossi. ad *Coloss. 1. Christus est caput corporis sui, quod est Ecclesia.* ¶ Dicitur autem caput per analogiam ad corporis naturalis caput: quia se habet respectu membrorum Ecclesiæ ad modum, quo caput naturale hominis, v.g. se habet respectu suorum membrorum. ¶ Nota, quod caput naturale comparatum ad alia membra habet tria, nempè ordinem, perfectionem, & virtutem, seu influxum. Habet (inquam) ordinem: quia caput secundùm ordinem, & situm est prima, & suprema pars hominis. Habet perfectionem: quia in capite vigent omnes sensus tàm interni, quàm externi. Et denùm habet virtutem, seu influxum: quia à capite motus, & vita in reli-

reliqua membra derivantur. Et ideo proprium illius est, reliqua membra gubernare. ¶ Ad rem ergo: meritò Christus D. per similitudinem, seu analogiam ad caput corporis naturalis dicitur caput Ecclesiæ: quia in eo reperiuntur respectu membrorum Ecclesiæ tria illa enumerata. Primò enim Christus D. vt homo, obtinet primum, & præcipuum Ecclesiæ locum secundùm dignitatem ratione vnionis hypostaticæ. Secundò in eo resident omnes gratiæ, tamquàm in vnigenito à Patre. Et demùm ab eo in totam Ecclesiã derivãtur motus, seu spiritus gratiæ, (qua spiritualiter vivimus, & movemur) iuxta illud: *De plenitudine eius nos omnes accepimus. Ioan.* 1.

2 Sed contra hanc conclusionem obijcies primò: cor est principium vniversale influens vitam etiam in ipsum caput: ergo sicut Christus D. cõparatur capiti propter influxum, debet etiam cõparari cordi propter influxum. Respond. negando consequentiam: quia cor habet influxum occultũ. Et ideò cordi comparatur Spiritus Sanctus, qui invisibiliter Ecclesiam vivificat. Christus autem D. qui habet influxum visibilem in Ecclesiam (per mortem, & sacramenta) aptiùs comparatur capiti sensibiliter, seu visibiliter gubernanti reliqua membra. ¶ Respond. secundò admisso quod Christus D. etiam comparetur cordi. vnde nihil contra nos, potest enim per diversas analogias capiti, & cordi cõparari. Sicut de faciente voluntatẽ Patris dixit Christus D. *quòd frater meus, & soror, & mater est. Matth.* 12. *num.* 50.

3 Obijcitur secundò: capitis nõ datur caput: sed *Caput Christi Deus est* 1. *ad Chorint.* 11. *n.* 3. ergo Christus D. nõ est caput Ecclesiæ. Respond. maiorẽ esse veram in naturalibus: falsam autem in mysticis, moralibus, figurativis, aut polyticis: homo enim est caput suæ domus, & simul membrũ Reipublicæ: Episcopus est caput suæ diœcesis, & simul membrũ Romani Pontificis, &c. Et ratio differentię est, quod in naturalib⁹ caput vnius non est pars, aut membrũ alterius; benè tamen in mysticis, aut polyticis. ¶ Obijcitur tertiò: secundũ Aristotelẽ, Avicenam, & multos alios Philosophos, & PP. cor dignitate est præstantius reliquis mẽbris corporis: ergo cordi potiùs quàm capiti Christus D. debet cõparari. Pro antecedentis probatione legantur præcipuè Conimbricenses 1. *de Generatione c.* 5. *q.* 1. Respon. negandò antecedens cùm Platone, Hippocrate, Galleno, & Plutarco; necnon & cùm Augustino, Greg. Chrysostomo, & alijs, qui dicunt, primatum in dignitate, & excellẽtia præ omnibus corporis membris obtinere caput. ¶ Resp. secundò, antecedente admisso, negando consequentiam: vtrumq; enim potest cõparari propter diversas similitudines; sivè cor excedat in dignitate caput; sivè è

co-

contra; sive omninò in excellentia adæquentur.

4 Est etiam mihi certũ, Christo D. seu eius sacratissimæ humanitati fuisse gratis collatũ hoc, quod est esse caput Ecclesiæ. Quia gratia capitis (ex infra dicendis) in Christo D. eius est vnio hypostatica; aut gratia habitualis, & reliqui habitus & virtutes; vel vtrumque simul. Sed omnia ista gratis fuerunt collata Christo D. vt homo est, aut eius sacratissimæ humanitati: ergo & gratia capitis, aut esse caput Ecclesiæ. Minor patet: nihil enim illorum erat debitũ Christo D. vt homini, aut eius sacratissimæ humanitati. ¶ Adde adhuc supposita vnione, & infusione omnium donorum, fuisse gratiã Christo D. vt homo est, vel eius sacratissimæ humanitati collatã, constitui caput Ecclesiæ: quia, adhuc illis omnibus suppositis, solùm ex congruentia exigebatur, quòd constitueretur caput Ecclesiæ.

DVBIVM II.

5 PEtes secũdò, in quo cõsistat gratia capitis, seu quod Christus D. sit caput Ecclesiæ? Resp. sub distinctione. Formaliter enim loquendo cõsistit in quadã denominatione, seu relatione rationis resultante in Christo D. ex eo quòd terminaverit actũ, quo Deus (hoc est Trinitas) ipsum cõstituit caput Ecclesiæ. Itaque sicut ex eo quòd paries terminat actum videndi, recipit quamdam denominationem extrinsecam, per quam formaliter dicitur visus. (Hanc denominationem vocant relationẽ rationis; eo quod est fundamentum cuiusdam relationis rationis. Cùm enim obiectum intellectus sit ens, quidquid concipit ad modum entis concipit. Quare vt cognoscat, quid est id, per quod paries dicitur visus, prædictam denominationem visi, quæ nihil reale positivum est, concipit ad modum entis realis positivi, seu relationis, per quam paries visus refertur ad videntem. Eodem modo est philosophandum de denominatione cogniti, voliti; & in vniversum de quacumque denominatione extrinseca: vt in Logica dicebamus.) Ita Christus D. quatenus homo, aut eius humanitas vnita Verbo, ex eo quòd constituatur caput Ecclesiæ, recipit quamdam denominationem extrinsecam, seu relationem rationis, per quam formaliter dicitur Ecclesiæ caput. Hæc conclusio est mihi certa.

6 Loquendo autem de fundamento prędictæ denominationis, seu de illo, quod in Christo D. est necessarium, vt habeat conditiones capitis respectu membrorum Ecclesiæ; (quas conditiones *num.* 1. notabamus) dico, quòd gratia capitis, seu Christum Dominum esse caput Ecclesiæ fundatur tàm in gratia vnionis, quàm in gratia sanctificante. Quia illa tria reperta in capite naturali, *numero* 1. notata;

& per ordinem ad quæ sumitur analogia, seu similitudo capitis in Christo D.) vtramque gratiam requirunt. Etenim à gratia vnionis prouenit ordo, seu quòd Christus D. sit prima, & suprema pars Ecclesiæ. Item à gratia vnionis provenit (titulo congruentiæ) quòd in Christo D. sit perfectio, seu quod in illo omnes gratiæ resideant. Congruit enim, quòd in filio vnigenito Dei omnes gratiæ reperiãtur. Virtus autem influxiva, seu moralis influxus in reliqua membra Ecclesiæ provenit tàm à gratia vnionis, quàm ab habituali: ab ista enim Christus D. vt homo, est formaliter sanctus, & amicus Dei; (iuxta dicta *diffic. 2. huius capitis à num. 1.*) sine qua sanctitate meritum, seu influxus meritorius nõ persistit. A gratia autem vnionis Christi D. meritum habet summum, aut infinitum valorem, sine qua non mereretur pro allijs; saltem connaturaliter, seu de potentia ordinaria. Quòd verò ista gratia capitis Ecclesiæ fundetur, tàm in gratia vnionis, quàm in gratia sanctificante, defendunt *nostri Castillo disput. 13. quæst. 3. num. 4. & Felix cap. 13. diffic. 4. estque communis sententia Recentiorum Scotistarum in manuscriptis.*

7 Sed multi oppositum defendunt, quamvis non eadem sed diversa via. Etenim *D. Bonan. in 3. dist. 13. art. 2. quæst. 2. Alensis 3. p. quæst. 11. memb. 3. Caiet. & multi Thomistæ* dicunt, Christum D. esse caput Ecclesiæ ratione gratiæ habitualis. Idem tenent *Ricardus, Almainus, Palud. & Fabro citati à Castillo ibi.* ¶ *Palacios autem Vazq. Lorca, Suar. & Ragusa, quos citat, & sequitur G. Hurt. disp. 7. diffic. 25*, affirmant, Christum D. esse caput Ecclesiæ ratione gratiæ vnionis. Igitur omnes hi conspirant contra nostram conclusionẽ, & obijciunt. Per gratiam habitualem Christus D. vt homo, aut eius humanitas constituitur formaliter sancta: ergo hæc est gratia capitis. Respond. negando consequentiã: requiritur enim (saltem de facto) in operibus Christi D. summus, aut infinitus valor proveniens à gratia vnionis, saltem ad hoc, vt eius merita acceptaret Deus, pro alijs modo connaturali.

8 Obijciunt secundò, per gratiam vnionis Christus D. vt homo, seu eius humanitas sanctificabatur formaliter: ergo vi illius fuit Caput Ecclesiæ. Respond. negando antecedens propter dicta *diff. 1. à num. 2.* ¶ Dices: solùm per extrinsecã acceptationẽ poteit Deus sanctificare creaturam, seu illam acceptare in amicitiam, dare ius ad gloriã, &c. vt contingit in creaturis, in quibus Petrus, v. g. fit amicus alterius solùm ex eo quòd terminat eius affectum; fitque filius adoptivus per extrinsecam denominationem assumpti in filium, in participẽ hæreditatis, &c. ergo solùm per gratiã vnionis potuit Christus D. constitui Caput Ecclesiæ. Resp. concedendo consequentiã de posibili; & negando de potentia

tia ordinaria: secundùm quā Deus in amicum, filium, &c. solùm acceptat creaturam ornatam gratia habituali: & secundū quam solùm potest acceptare in caput Ecclesiæ naturam substantialiter vnitā personæ divinæ, & simul ornatā gratia sanctificante: vt sic enim servatur connaturalitas rerū; talis quippè naturæ opera evadunt meritoria de condigno, quatenus respiciunt gratiam sanctificantem: & quatenus respiciunt gratiā vnionis sunt meritoria cuiuscumque præmij: & cōsequēter petunt acceptari non solùm pro subiecto eliciente illa; sed etiam pro quocumque alio, pro quo operans illa offerat in solutionem, seu satisfactionem debitorum.

9 Nota tamen, nos non concedere, quod per gratiam vnionis sanctificatur formaliter Christus D. secundùm quod homo est, aut eius humanitas. Sed dicimus, quòd, cùm de facto, & iuxta naturalem rerum exigentiam concurrant duæ causæ ad constituendum Christum D. Caput Ecclesiæ (fundamentaliter) nempè vnio hypostatica, & gratia sanctificans: si Deus voluerit supplere gratiā sanctificantem per extrinsecā acceptionem; tunc sufficiet vnio hypostatica sine alia concausa intrinseca; non tamē sine extrinseca acceptatione supplente effectū gratiæ sanctificantis. Simili enim ratione posset Deus, vtendo potentia absoluta, constituere Caput Ecclesiæ purum hominem, aut Angelum ornatum summa gratia sanctificante, acceptando illius opera, vt meritoria pro alijs. Sicut ergo tunc non inferretur, quod homo ille, vel Angelus purus per gratiam illam summam sanctificantem erat hypostaticè vnitus Deo: sic in casu, quòd posita vnione Hypostatica in Christo D. & ablata gratia sanctificante, constitueretur caput Ecclesiæ, non infertur, quòd formaliter sanctificatur à gratia vnionis. Nullatenus ergo concedo, quòd gratia vnionis sanctificet de facto, aut quòd sit forma sanctificativa. Recolantur dicta *diffic.* 1 *à n.* 2.

10 Adde, quòd, etsi concederemus, per vnionem posse de potentia absoluta sanctificari humanitatem: negaremus tamen, quòd de facto Christus D. erat caput Ecclesiæ solùm per gratiam vnionis: quia cùm de facto non sanctificetur per illam, necessariò recurrendum est ad gratiam sanctificantē, vt sanctificetur humanitas, & eius opera meritoria de cōdigno evadant. Quod de lege ordinaria nequit aliter evenire.

11 Ex dictis constat, quòd loquendo de potentia absoluta gratia capitis potuit cōcedi puro homini; imò & gratia sanctificante orbato, supplente Deo per diversam dispositionem omne id, quod tàm gratia vnionis, quàm sanctificans præstant de facto. ¶ Loquendo tamen de facto, aut de lege ordinaria, nequit gratiā capitis alteri, quàm Christo D. con-

naturæ creatæ intellectuali personaliter vnitæ Deo, necnon & ornatæ gratia sanctificante conuenire. ¶ Dices, quòd Papa est caput Ecclesiæ: & tamen non est hypostaticè vnitus; imò & contingere potest, quod non habeat gratiam sanctificantem: ergo neutra requiritur ad rationem capitis. Resp. Pontificē solùm dici caput quoad extrinsecam gubernationem; & quia potest merita Christi D. ex ipsius commissione dispensare: non tamen quia habet internum influxum suorum meritorum in alios.

DVBIVM III.

12 PEtes tertiò, an Christus D. non solùm secundùm animam, sed etiā secundùm corpus dicatur caput Ecclesiæ? Respondetur affirmatiuè. Quia est caput eo præcipuè quia meritoriè influit in reliqua membra, seu fideles. Sed ad merita Christi D. cōcurrunt anima, & corpus: (vt patet in passione) ergo, &c. Ita *D. Tho 3. p q. 8. art. 2. in corpore, Castil o disp. 13. quæst. 1. num. 10. Felix capit. 13. diffic. 1. & multi alij.* ¶ Vnde infertur reliquos fideles non solùm secūdùm animam, sed etiam secūdùm corpus esse membra Christi D. Quia per eius merita receperunt à Deo non solùm gratiam secundùm animam, sed etiam corporis motus bonos, quibus corpus seruit animæ. Quare dicebat Paulus: *Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi? 1. ad Chorint. 6. num. 15.* Quod de corpore coniuncto, seu informato anima est intelligendum: mortuum enim nullum laudabilem, aut vituperabilem motum potest habere.

DVBIVM IIII.

13 PEtes quartò, an Christus D. sit caput omnium hominum? Respond. affirmatiuè. Quia omnibus tribuit Deus aliqua beneficia propter merita Christi D. ¶ Pro clariori tamen intelligentia suppono cùm Caietano *3. p. q. 8. artic. 3.* omnes homines posse reduci ad quinque classes, seu status. In prima ponūtur Beati. In secunda viatores iusti. In tertia peccatores fideles existētes sub mortali. In quarta viatores infideles. In quinta damnati. Quo supposito.

14 Dico primò: Christus D. actu est caput hominum Beatorū. Quia actu sunt membra Ecclesiæ, cuius Christus D. est actuale caput. ¶ Dices, fidem esse formam, per quam quis constituitur membrū Ecclesiæ: sed homines Beati non habent fidem: ergo neque sunt membra Ecclesiæ, neque Christi D. Respondetur, maiorem esse veram de membris Ecclesiæ Militantis; non autem de membro triumphantis: cuius membra constituuntur per visionem Beatam; quæ succedit fidei viatorum. Et ideò, concessa minori, negatur consequentia.

15 Di-

15 Dico secundò: Christus D. fuit actu caput existentium in charitate post eius adventum. Quia in istos influxit meritoriè fidem, & reliqua dona gratiæ: etenim propter eius merita fuerunt illis donata. ¶ Idem propter eamdem rationem dicendum est de illis iustis, qui præcesserunt adventum Christi D. post peccatum Adæ. ¶ Addo, idem propter eamdem rationem esse dicendum de primis parentibus: quibus data est fides, & alia dona ex meritis Christi D. sic enim philosophari conducit ad excellentiam illius.

16 Dico tertiò: Christus D. fuit actu caput fidelium existentium sub mortali. Quia ex meritis Christi D. receperunt fidem supernaturalem, & in ea perseverarunt. (Suppono, fidem esse formam constituētem membra Ecclesiæ Militantis.) ¶ Contra, quòd in naturalibus membrum mortuum non est propriè, & vnivocè membrum: sed sine charitate fideles sunt membra mortua: ergo non sunt propriè, & vnivocè membra cùm alijs: & consequenter, neque Christi D. Respondetur negando consequētiam: quia diverso principio, seu forma constituitur quis in ratione membri Ecclesiæ; ac in esse vivi. In naturalibus autem eodem principio, quo membrum constituitur in esse talis, constituitur in esse vivi: quare benè infertur, quod si non est vivum, non est membrum. ¶ Respond. secundò negando maiorem: eadem enim manus Petri, v. g. dicitur membrum illius viui, & mortui.

17 Dico quartò: Christus D. est actu caput infidelium viatorum. Quia Deus propter merita Christi D. dat actu infidelibus inspirationes, conservat illorum vitam, & præstat omnia alia beneficia, quæ illis impertitur: ergo est actu illorum caput. Patet consequentia: quia, supposito influxu meritorio Christi D. respectu infidelium, habet omnes conditiones Capitis (*num.* 1. enumeratas) comparatione illorum. ¶ Dices, quòd Christus D. infidelibus non influit meritoriè prædicta beneficia, vt quid coniunctum illis: sed hoc est simpliciter necessarium ad rationem capitis actualis: ergo nō est actu caput infidelium. Respondetur negādo maiorem: etsi enim non sit coniunctus infidelibus tāquàm actu membris Ecclesiæ Militantis: est tamen coniunctus illis tamquam membris huius mundi visibilis, aut (ampliùs loquendo) totius vniversitatis creaturarum: quam propter merita Christi D. Deus condidit, conservat, & gubernat. Pertinet enim ad excellentiam Christi D. quòd omnia, & singula beneficia, tàm ordinis naturalis, quàm supernaturalis, quæ Deus præstat creaturis, propter merita Christi Domini præstet. Quare respectu totius creaturarum vniversitatis habet tres illas conditiones, quas *numero* 1. notabamus in capite na-

tur-

turali, & ad rationem capitis moralis esse requisitas, & sufficere, fatentur communiter: & consequẽter Christus D. propter rationem, qua est caput Ecclesiæ, est, & dici debet caput totius creaturarum uniuersitatis. Ad modum, quo ipsemet Deus est actu caput Christi D. & toti⁹ creaturæ; eo quòd quãcunque creavit, conseruat, & gubernat.

18 Dico quintò, Christus D. est actu caput respectu damnatorum. Quia illos Deus punit citra dignum: sed hæc pœnarum diminutio (quæ absque dubio est gratia: cùm sit indebita) tribuenda est meritis Christi D. ergo respectu illorum est actu caput. Consequentia est legitima: maior est Theologorum axioma: minor videtur mihi certa: extollit enim excellentiã Christi D. quòd quodcunque beneficium, & gratiam creaturis præstitam præstet Deus propter merita Christi D. ¶ Dices, videri minùs decens, quòd Christus D. dicatur caput damnatorum. Respondetur, sic fortè inter ignaros, & populares non esse loquendum. Docti tamen non iudicabunt sic: cùm in hoc modo loquendi nulla maior indecentia, aut dissonantia reperiri possit, quàm in dicendo, quòd Deus est caput damnatorum, quatenus eos creavit, conseruans, & citra dignum punit. Vide dicenda *num.* 29. 30. & 31.

19 Meritò ergo diximus *num.* 13. Christum D. esse caput omniũ hominum: cùm neque infideles, neque damnatos excludamus.

DVBIVM V.

20 PEtes quintò, an Christus D. inquantùm homo sit Angelorum caput? Respon. affirmativè. Quia *est caput omnis Principatus, & potestatis: ad Coloss. 2. num.* 10. Quòd si dicas, hoc testimonio non determinari, an sit caput secundùm divinitatẽ? (de quo neque est quæstio, neque potest esse: cùm Angeli à Deo receperint esse, recipiantque conservari physicè, & alia beneficia. Propter quod *num.* 18. dicebamus, etiam Deum dici caput damnatorum) an secundũ humanitatem? & consequẽter esse minùs efficax ad probandum nostram conclusionem. Itaque si dicat hoc, fateri non renuam illam tamẽ efficaciter probat illud *suscitans eum a mortuis, & constituens eum ad dexterã suam in Ecclesijs super omnem Principatum, & potestatem: ad Ephes.* 1. Secundò, quia Christus D. etiam secundùm humanitatem est Angelis superior dignitate; eosq; imperio suo dirigit, & gubernat, saltem quoad administrationem Ecclesię hominum. Imò etiam illos illuminat: vt docet D. *Dionysius de cœlesti Hierarchia c.* 7. & deducitur ex *Isaiæ* 63. vbi Angeli introducũtur interrogantes Christũ D. & ab eo respõsum accipientes. Ita cõmunissima sentẽtia: de quo præcipuè legatur G. Hurt. *disp.* 7. *diff.* 23.

2 Sed

21 Sed prædictus Hurtado citro pro opposita sententia nostros Bonau. (quem falsò citari no. Felix) & Alensem; ex alijs autem citat Sotum. Pro qua sententia obijcitur Theodoretus dicens Christo D. *qui est nostrum caput; quod attinet ad humanitatem; Angelis autem, & Archangelis praest, & imperat: quòd attinet ad diuinitatem.* Idem docent Chrysost. & Theophylactus apud Vazq. *disp. 8. cap. 3. num.* 14. Respondetur communiter docere oppositum PP. & DD. de quo præ cæteris videatur Suar. *disp.* 48. *sect.* 2. ¶ Respondetur secundò *cùm Castillo disp.* 13. *q.* 2. *num.* 4. *& cùm Felix cap.* 13. *diffic.* 3. loqui secundùm accōmodationem; ac si diceret: Christus D. secundùm divinitatē, quæ est spiritus, est caput Angelorum, qui sunt spiritus; & secundū humanitatem, quæ est corpus, est caput hominum, qui corporales sunt. ¶ Obijcitur secundò, quòd caput debet esse eiusdem rationis cum membris. Sed Christus D. non est eiusdem rationis cùm Angelis: ergo non est caput illorum. Respondetur negando minorem: quia secundùm animam est eiusdem rationis genericæ cùm Angelis: quod sufficit. Sicut sufficit ad hoc, vt Deus sit caput Angelorū, & hominum. ¶ Addo, adhuc hoc non requiri in corpore mystico: Deus enim est caput omniū creaturarum, quarum multæ rationē spiritus non participant. Igitur ad rationem capitis mystici solùm requiritur dignitas superioritatis, & gubernationis; & ad summum etiam dignitas influxus physici, vel moralis.

DVBIVM VI.

22 PEtes sextò, an Christus D. in quantum homo ita sit caput Angelorum, vt illis meruerit gratiam, & gloriam essentialē? Respondetur affirmativè. Quia influxus iste meritorius Christi D. respectu gratiæ, & gloriæ essentialis Angelorum est possibilis: (iuxta dicta *cap.* 6. *diffic.* 2. *n.* 59. *&* 60.) & aliàs extollit excellentiā Christi D. Ita mihi videtur philosophādum secundùm Scoti principia. Recolantur dicta *diffic.* 1. *num.* 17. istamque conclusionem expressè defendunt ex nostris *Pitigianus, Castillo, & Felix: ex alijs autem Catharinus Gallatinus, Viguerius, Suarez, Valentia, Montes, & alij, quos citant prædicti Castillo disput.* 14. *q.* 4. *num.* 5. *& Felix cap.* 13. *diff.* 3.

23 Sed oppositum defendunt ex nostra religione *D. Bonau. Alensis, Fabro, & Smising. ex alijs autē Durandus, Almainus, Aluarez, Lessius, Lorca, Maior, Palud. Vazq. Becanus, & G. Hurtado, quos citant prædicti Castillo num.* 1. *& Felix.* Et obijciunt Scotum *in* 3. *distin.* 7. *quæst.* 3. quatenus §. *Sed hic sunt,* asserit, quòd ante peccatum Deus elegit Angelos, & homines ad gratiam, & gloriam. Respond. hoc benè compati cùm hoc, quòd illos elegerit ex meritis, seu propter me-

merita Christi D. ¶ Contra, quòd *dist. 19. §. in ista quæstione* asserit, quòd meritum Christi D. fuit ordinatum post prævisum hominis lapsum. Respond. loqui de merito passionis. ¶ Obijciunt secundò parabolam nonaginta novem ovium, quibus relictis in deserto, pastor quęsivit centesimā; hoc est, hominem quæsivit, derelictis Angelis: ergo solis hominibus, & non Angelis meruit Christus D gratiā, & gloriam essentialem. Respond. negando consequentiam: solùm enim sequitur ex dicta parabola (sic intellecta ab Amb. Greg. & Beda, quòd quamvis Christus D. omnes oves cœlestis ovilis (quod Angelos, & homines comprehendit) pascat merendo illis fidem, gratiā, &c. dicitur tamen quærere hominem, seu centesimam ovem; quia illam redemit; & propter illam & illius peccata venit passibilis per mortem, & crucem; non autem propter Angelos ex primaria intentione.

24 Obijciunt tertiò: Christus D. meruit Angelis gratiam, & gloriam: ergo illa non fuerunt consecuti visque ad mortem. Patet consequentia: quia merita Christi D. fuerunt in morte consummata. Respond. negando consequentiā. Ad probationem dico, quod quāvis diversimodè possit exponi, quòd merita Christi D. fuerint in morte cōsumata, debet tamē esse certum apud omnes, quòd sicut omnib[9] illis, qui præcesserunt mortem Christi D. dedit Deus gratiam propter merita ipsius, non obstante, quòd in morte in re exhibita eius merita erant cosumanda: sic Angelis potuit dare gloriam, & gratiam propter eadem merita, non obstante, quòd in morte in re exhibita fuissent cōsumanda. (sicque de facto Angelis fuisse collatam, affirmamus.) Et ratio vtriusque est, quòd vtrumque pendet ex dispositione divina potente acceptare illa merita solùm vt prævisa; necnon & potente ea non acceptare quoadusque in re exhibita forent. Igitur dispositio, quam de facto habuit Deus, fuit pro gratia, & gloria Angelorum acceptare merita Christi D. solùm vt præuisa, seu antequam in re exhiberentur. Pro gratia autem conferenda hominibus, qui præcesserunt mortem Christi D. acceptare prædicta merita solùm vt prævisa. Pro gratia autem conferenda hominibus, qui fuerunt post eius mortē, necnon & pro gloria quibuscunque hominib[9] cōferenda, non acceptavit prędicta merita, quoadusque morte in re exhibita fuerunt consumata.

25 Fuit verò iustissima ista dispositionis diversitas: eo quod homines amiserant gratiam, quā receperant propter merita Christi D. prævisa quòad substantiam; Angeli autem non amiserant. Et ideò iustissimè disposuit Deus, quòd gloria, seu fructus gratiæ non amissæ conferretur ante mortem Christi D. seu antequam in re exhiberentur merita illius: & quòd

quòd gloria, seu fructus gratiæ hominum, quæ amissa fuerat per peccatum Adæ, & quam reparare decreverat per mortem Christi D. non conferretur, quoadusque merita illius dependentia à carne passibili, seu à passione, & morte ponerentur in re. Quod quamvis ita contigerit; non dubito, potuisse Deum disponere, quòd ante mortem Christi D. daretur hominibus gloria, etiã propter merita dependentia à morte, & passione. Sicut dedit illis gratiam ante mortem, non obstante, quòd talis gratia erat præmium, & fructus meritorũ Christi D. quæ dependebant à carne passibili, seu quæ fuerunt in eius morte consumata. Huc vocari possunt nonnulla ex dictis *cap. 6. diff. 2. n. 33. & à n. 56.*

26 Obijciunt quartò: Christus D. meruit Angelis gratiam, & gloriam essentialem? Ergo fuit illorum Redemptor. Patet consequentia: quia illius meritis dicentur, & erunt præservati à lapsu: & consequenter obtinebunt redemptionem præseruativam. Respondetur concedendo totum cùm D. Bernardo *serm. 22. super Cantica* sic loquente: *Qui erexit hominem lapsum, dedit sancto Angelo, ne laberetur; sic illum de captiuitate eruens; sic hunc à captiuitate defendens. Et hac ratione fuit æquè vtrique Redemptor soluens illum, & seruans istum.* ¶ Dices: ergo, etiam erit concedendum, Christum D. venisse propter redemptionem præseruativam Angelorum. Respond. concedendo. Sicut concedimus Scotistæ, quòd Adamo nõ peccãte, veniret propter nos homines. Et licèt tunc nõ diceretur veniens propter nostrã salutem recuperãdam, seu vt nos sublevaret à culpa: benè tamen posset dici venisse propter nostrã salutem præservandam, seu vt nos præservaret à culpa. ¶ Verum tamen est, quòd collatio gratiæ, & gloriæ Angelorum, seu eorum redemptio præseruatiua (sicut neque nostra in casu; quòd Adam non peccasset) non requirebat merita Christi D. dependentia à carne passibili, seu à morte, & passione. Quare si Deus non decrevisset nos redimere à peccato per mortem, & passionem, decerneret venire non moriturus, vt sic exhiberet merita pro gratia, & gloria Angelorum. (Imò & pro nostra) omnium enim electorum prædestinatio facta fuit ante prævisionem peccati, & independenter ab illo: quare eo deficiẽte, poneretur in re. Vnde constat, quòd sola collatio gratiæ, vt interruptæ; necnõ & collatio gloriæ ab interrupta, seu reparata gratia provenientis dependet à meritis Christi D. in carne passibili, seu per crucẽ, & mortem.)

27 Adde, posse concedi Christum D. de facto venisse, & fuisse mortuum pro Angelis. Quia omnia Christi Domini merita de facto fuerunt in morte consumata. Pro quo nota, quòd quamvis Deus

Deus propter merita Christi D. quoad substantiam primariò, & per se, seu tanquam ex primaria occasione motus fuerit decernere dare hominibus, & Angelis prędestinatis gloriam, & gratiã, imò & esse naturale, necnon & vniuersa creare: (sic enim philosophari spectat ad excellentiam Christi D. vt dixi *in tract. de Peccato originali disput. 3. quæst. 2. num. 29. & in tract. de Prædestinat. disp. 4. quæst. 2. num. 1. & 10.* Qui tractatus non sunt typis mandati.) Tamen vidẽdo in alio signo posteriori, passionem Christi D. seu ipsius merita dependentia à passione, propter illã quasi ex secundaria intentione motus, seu impulsus (sicut de fine secundario, aut impulsivo communiter locuntur authores) fecit novum decretum, quo quasi ratificavit primum, aut acceleravit eius executionem; secundùm diversos modos philosophandi de effectu finis impulsivi. Nisi magis arrideat id, quod dicebamus *cap. 6. diff. 3. à n. 12.*

28 Manet ergo ratum, & firmum Christum D. meruisse Angelis gratiam, & gloriam essentialem: & consequenter fuisse illorum caput, non solùm propter superioritatem, & excellentiam; nec solùm propter gubernationem, & imperium, quod circa illos exercet; nec solùm quia est causa exemplaris ipsorum; sed etiam propter influxum meritorium, per quem illis meruit non solùm illuminationes, & aliquam gloriã accidentalem: (vt existimavit Vazq. *disp. 49. cap. 2.* secutus Bonau. & alios *num. 23.* citatos) sed etiam gratiam, & gloriam essentialẽ, imò & esse naturalem, & quodcumque aliud, quod sub meritum Christi D. cadere potest.

DVBIVM VII.

29 PEtes septimò, an Christus D. dicendus sit caput creaturarum, quæ sunt infra homines. Respond. affirmativè. Quia non solùm est dignitate superior omnibus creaturis; sed etiam in ipsas influit meritoriè esse, & conservari: etenim propter ipsius merita Deus fecit, & conservat vniuersa. Sic enim philosophari, cedit in excellentiam Christi D. vt *num. 27.* libabamus. Ita *Galatinus, Catharinus, & Fabro, quos citant, & secuntur Castillo disp. 13. q. 2. n. 8. & Felix cap. 13. diff. 3.*

30 Sed oppositum defendunt *Suar. & Vazq. quos citat, & sequitur G. Hurt. disput. 7. diff. 24. affirmans, sic communiter sentire Recentiores:* & obijciunt Aug. *epist. 103.* dicentem, *Christum meruisse nobis, vt iusti essemus, non vt homines essemus.* Respond. me ibi talia verba non invenire. Si tamen alibi id dixerit Augustinus, standum est alijs Patribus. Hieronymus enim relatus à Fabro *super 3. disp. 28. n. 13.* apertè fatetur *Christum D. esse caput omnium creaturarum, & dæmonum.* Et D. Hilarius *libro de Synodis* refert ex Concilio Syrmien-

mienfi, quòd *Chriftus eft Caput totius creaturæ*. Et Origines *hom. 2. in Pfalm. 63.* dicit; *totius creaturæ vniverfitatem effe corpus Chrifti*. Meritò ergo his Patribus adhæremus potiùs quàm alijs oppofitum docentibus: (fi aliqui oppofitum docentes reperirentur) quia refpectu omnium creaturarum conveniunt Chrifto D. conditiones Capitis moralis. (*num. 1. huius difficultatis*) enumeratæ. Omnes quippè excedit in excellentia, & dignitate: obtinet optimum locum refpectu vniverfitatis omniū creaturarum: & in omnes influit meritoriè: vt in fundamento noftræ conclufionis *n. 29.* expendebamus. ¶ Poffet etiam Auguftinus; (fi fic locatus reperiatur) explicari de præcipuo, aut principaliori merito: præcipuum enim, aut principalius, quod nobis Chriftus D. meruit, eft id, quod comparatione alterius eft illo principali [illegible]: & hoc eft gratia fanctificans comparata cum effe naturali.

31 Obijciunt fecundò, minùs [illegible] vocari Chriftum Dominū Caput irrationalium, infenfibiliū, dæmonum, & damnatorum. Refpondetur ita effe: quia communiter dicitur Caput comparativè ad nobiliora, & principaliora membra; quæ funt Angeli, & homines [illegible]. Tamen in re omnium creaturarum eft Caput morale: cùm omnibus illis fit excellentior propter vnionem hypoftaticam, fitque omnium illarum finis: (gratia [illegible] Chrifti D. feu propter ipfum vniverfa fuerunt creata. De quo legatur Scotus *in 3. d. 32. §. Tertiū patet verf. Quarto vult* expreffè affirmans, quòd propter electos voluit Deus *hunc mundum fenfibilem; vt ferviat eis, & verum fit illud 2. Phyfic.* (textu 24.) *homo quodammodo eft finis omnium fenfibiliū.* Quod præcipuè de Chrifto D. eft intelligendum) Quæ duæ conditiones fufficiunt fecundùm multos, vt Chriftus Dominus fit Caput morale omnium rerū. Quòd fi addas, in omnes creaturas Chriftum D. habuiffe meritorium influxum; (vt dicebamus *n. 29. 30.* & nuperrimè) omninò certum erit, ipfum effe Caput vniverfæ creaturæ.

DVBIVM VIII.

32 PEtes octavò, an Chriftus D. fit membrum Ecclefiæ? Refpondetur affirmativè. Quia 1. *ad Chor. 12.* dicitur: *Vos eftis corpus Chrifti, & membra de membro.* Secundò, quia caput corporis naturalis abfolutè dicitur membrū corporis naturalis: ergo à fimili. *Ita D. Thom. Altifiod. & Turrecremata, quos citat, & fequitur Vazq. difp. 48. num. 3. & Caftillo difp. 13. q. 1. num. 1.* Quamvis fcrupulosè notent, non effe abfolutè Chriftū D. appellandum membrum Ecclefiæ, fed cum hac modificatione *præcipuum membrum.*

33 Sed oppofitum defendunt *Suar. Alvar. Montef. & G. Hurt. quos citat, & fequitur Felix cap. 13.* diff.

diff. 1. *Immo G. Hurt. refert pro hac sententia D. Thom. in 3. d. 13. quæst. 2. art.* 1. Et obijciunt, quòd de ratione membri est recipere influxum ab alio membro. Sed Christus Dominus etiam in quantùm homo, non recipit influxum aliquem ab Ecclesia, aut ab aliquo membro illius: ergo nequit dici membrū Ecclesiæ, sed Dei, à quo recipit influxum gratiæ. Respondetur negando maiorem: sicut enim in naturalibus illud membrū, quod primò formatur, (siue sit cor, siue quodcumque aliud, iuxta à nobis dicta *lib.* 1. *de Generat. disp.* 3. *quæst.* 4. *num.* 10.) absolutè dicitur membrum, nō obstante quòd neq; à corpore, neq; ab alio mēbro recipiat influxum, sic quāvis Christus D. nō recipiat influxū gratiæ ab Ecclesia, vel ab aliquo membro illius, potest absolute dici mēbrum illius. ¶ Verum est, quòd secundùm frequentiorem vsum loquendi Christus Dominus dicendus est Caput Ecclesiæ: sicut Rex in polyticis frequentiùs vocatur Rex: potest tamen aliquoties dici absolute membrum Ecclesiæ: sicut dicebat Apostolus num. præcedenti citatus: & sicut Regem Hispaniæ aliquando absolute vocamus Flandriæ Comitem, aut Archiducem Austriæ.

(.:.)

CAPVT VIII.

De scientia Animæ Christi Domini.

QVADRIFARIAM fuisse scientiam Christi Domini certum est. Fuit enim in illo scientia Beata; per se infusa; per accidens infusa; & experimentalis. De quibus omnibus sigillatim est agendum.

DIFFICVLTAS I.

De spectantibus ad scientiam Beatam Christi D.

1 SVppono cum omnibus Catholicis, Christum D. præditum fuisse scientia Beata, saltem à resurrectionis tempore. Quia ex tunc habuisse dotes gloriæ, constat ex diversis locis Scripturæ: quæ dotes supponebant beatitudinem essentialem: ista autem necessariò requirit scientiam, seu cognitionem, qua clarè, & intuitivè videatur Deus. Immo Thomistæ dicūt, in illa formaliter consistere beatitudinem. Quo supposito, de prædicta scientia Beata Christi D. extant sequentia dubia examinanda.

(.:.)

DVBIVM I.

1 PEtes primò, an scientia Beata fuerit in Christo Domino ab instanti suæ Conceptionis? Respondetur affirmativè. Quia hoc spectat ad excellētiam, & perfectionem illius. Sicque deducitur ex illo *Ieremiæ 31. Fœmina circumdabit virum*, id est, videntem Deum: etenim secundùm phrasim Scripturæ *vir* accipitur pro vidente *Deum*: iuxta illud 1. *ad Chorint.* 13. *Vt autem factus sum vir euacuavi, quæ erant parvuli*. Quòd, & apertissimè docet D. Bernardus super prædictum Ieremiæ locum sic fatus: *Vir erat Dominus Christus, sed sapientia, non ætate, neque enim minùs sapiens fuit Christus conceptus, quàm natus; parvus quàm magnus*. In hanc conclusionem conspirant. PP. & Scholastici.

3 Sed oppositum defendunt Lutherus, & aliqui alij hæretici, qui affirmant, Christum Dominū à principio habuisse ignorantiam multarum rerum. Et objiciunt illud *Ioan.* 17. *clarifica me Pater claritate, quā habui apud temet ipsum, antequam mundus fieret*: ergo tunc non habebat illam claritatem, id est, visionem Beatam. Resp. ibi, non esse sermonem de visione Beata, sed de exaltatione sui nominis. Petebat, (inquam) quòd cognosceretur eius divinitas à Iudæis, qui tunc circumstabant, & illam negabant. ¶ Objiciunt secundò illud *Lucæ* 23. *oportuit, Christum pati, & sic intrare in gloriam suam*: ergo ante passionem non habebat gloriā, nec scientiam Beatam. Respond. negando consequentiam: quia ibi solùm est sermo de gloria corporis, & de gloria, qua visibiliter ascēdit, & penetravit cœlos. ¶ Obiicitur tertiò illud *ad Hebræos* 2. *n.* 10. *decebat, eum per passionem mortis consummare*: ergo gratia cōsummata, seu Beatitudo non fuit in Christo *D.* ante passionem. Resp. negando consequentiam: quia ibi nō est sermo de consummatione per assecutionem gloriæ animæ, sed corporis; aut de cōsummatione in officio, & munere redemptoris: erat enim dispositum, & decretum à Deo, vt illud consūmaret per mortem. ¶ Objiciunt Quartò illud *Ps.* 15. *non de relinques animam meā in inferno; nec dabis, sanctū tuū videre corruptionē*. Et postea addit: *adimplebis me lætitia cū vultu tuo*: ergo Christus *D.* nō habebat, sed expectabat lætitiam claræ visionis. Resp. negando consequentiā: quia ibi est sermo de Beatitudine corporis: quam, sicut eius incorruptionē expectabat Christus *D.* Resp. secundò (cum D. Aug. & Hieron. citatis à Lorca *disp.* 47. *n.* 12.) ibi loqui de Beatitudine essentiali, quā accepturus erat, nō in se ipso, sed in suis membris, aut Ecclesia.

4 Objiciunt quintò: in Christo Domino fuit maxima tristitia: sed hæc est incompatibilis cùm beatitudine essentiali: & consequenter cum scientia Bea-

Beata: ergo Christus D. ante mortem non erat Beatus. Respondetur distinguendo minorem: naturaliter, seu de lege ordinaria, concedo: de potentia absoluta nego; Huic multorum solutioni non multum fido: duo enim contraria in gradibus intensis (seu quorũ coniunctum excedit capacitatem subiecti: v.g. si subiectum solùm possit recipere octo gradus; respectu huius subiecti dicuntur gradus intensi nouem; & tunc positis octo gradibus frigiditatis v.g. nequit ibi poni vnus caloris) non possunt esse simul adhuc de potentia absoluta: de quo videatur Scotus *in 3. d. 1. quæst. 1. §. Ad argumenta, vers. Ad tertium*; præcipuè expendantur verba illa; *dico quòd contraria, non quia diversa, id est, in nullo convenientia, ideò sunt incompossibilia; sed quia in illis est repugnantia. &c.* Et *in 4. dist. 49. quæst. 16. §. Ad primum argumentum vers. Ad argumentum* apertè affirmat, quòd inter contraria reperitur repugnantia formalis: & ideò negat, posse esse simul in eodem subiecto adhuc virtute divina. Ad cuius evidentiã expendatur argumentum, cui respondebat Scot. quòd ponitur §. *Dicunt quidam vers. Præterea quodcumque* præsertim verba illa: *Quòd autem duo accidentia contraria non possunt esse simul in eodem subiecto per nullam potentiam, patet per Philosophum 4. Metaph. qui dicit, quòd eadem ratione contradictoria, sicut contraria, essent in eodem, &c.* Hęc autem Scoti doctrina (contraria habent formalem repugnantiam, seu sunt incompossibilia in eodem subiecto) intelligenda est de contrarijs in summo, seu in gradibus intensis, non autem in remissis: vt ipsemet Scotus docet *in 1. d. 17. q. 3.* (aut 5. secundum Cavellum) §. *& vers. Contra istam opinionem arguo.*

5 Igitur, cùm secundùm Scotum duo contraria in gradibus intensis, seu replentibus capacitatẽ subiecti, nec de potentia absoluta possint esse simul in eodem: & aliàs gaudium Beatificum Christi D. repleuerit totam eius animæ capacitatem: fuisse enim summũ possibile est mihi certum: etenim hoc spectat ad illius commendationem, & excellentiam: fit, vt prædictæ solutioni mihi non sit fidendum. Quare dicendum est, cessasse gaudium Beatificum tempore tristitiæ: sicut cessarunt seu non emanarunt dotes gloriæ corporis ex speciali Dei dispositione toto tempore vitæ Christi D. quamvis aliàs essent debitæ corpori vnito animæ gloriosæ. Sic ergo quamvis animæ beatificè videnti, & fruenti Deo sit ex congruentia, vel naturaliter debitum gaudium, eius emanatio (non est actio, sed passio) fuit impedita tempore tristitiæ ex speciali Dei providentia, seu dispositione. De quo redibit sermo *cap. 12. diff. 3. à num.*

DVBIVM II.

6 PEtes secundò, quid sit scientia Beata Christi D. Respõdetur, esse quamdam intellectionem creatam, qua, ea parte, qua homo est, attingebat eius intellectus obiectum beatificum. Quòd hæc cognitio fuerit creata, suppono cum omnibus Catholicis. Hoc enim generaliter definitur *in 6. Synodo*, dùm definitur, omnia, quæ ad naturas Christi Domini pertinent, esse duplicia. Et efficaciter deducitur ex definitione speciali, qua contra Monotelitas definitur, in Christo D. esse duas operationes, id est, duos affectus voluntatis; alterum divinum, & humanum alterum: quia eo ipso cõstat, debere esse in illo duas cognitiones directivas prædictorum affectuum; alteram divinam, & alteram humanam.

DVBIVM III.

7 PEtes tertiò, an creata intellectio Beata Christi D. eliciatur ab illius intellectu? Resp. affirmativè. Quia connaturalius est, potentias elicere suos actus, quàm illos recipere merè passivè se habendo. Ita communiter auctores.

¶ Sed oppositum ego aliquando defendebam, existimans ita esse in principijs Scoti philosophandum, vt faciliùs, & intelligibiliùs defenderemus, visionem Christi D. fuisse summè perfectam, vt apertè videtur fateri Scotus *in Report. in 3. d. 13. q. 3. §. Ad tertiam quæstionem vers. Dico quod* vbi loquendo de fruitione Christi D. (de qua quantum ad elicientiam eadẽ est ratio ac de Beata visione illius) sic prosequitur: *si poneretur voluntas penitùs passiva, faciliter diceretur*, nẽpe quòd Christus D. habuit summam fruitionem. Itaque existimabam non posse facilè intelligi visionem beatam Christi D. esse perfectissimã, quæ inter creatas Beatas visiones potest excogitari, nisi defendendo fuisse infusam à Deo, intellectu Christi D. merè passivè se habente. Re tamen meliùs perpensa, præiactam conclusionem defendo. Obijciam tamen, quæ contra illam militare possunt; & quæ me olim movebant ad oppositum defendendum.

8 Igitur contra nostram conclusionem obijcies verba illa Scoti semper venerãdā: *In commendãdo Christum malo excedere, quàm deficere à laude sibi debita, si propter ignorantiam oporteat, in alterum incidere: in 3. d. 13. quæst. 4 §. & vers. Quantum ad secundu.* Et ideò defendit, quòd *Deus tantam gratiam ei contulerit, quantam potuit.* Et meritò: quia omne, quod conducit ad excellentiam Christi D. est illi concedendum, si non sit aliqua repugnantia, aut indecentia. Modò sic: sed si non ponatur visio Beata Christi D. à Deo immediatè infusa, non esset summè perfecta: ergo non elicitur à Christo Domino. Probatur minor: si enim

in Angelo ponerentur eadem visionis comprincipia, eliceret perfectiorem visionem: cùm enim natura Angeli excedat in specifica perfectione naturam humanam Christi D. ea parte produceret perfectiorem visionem: perfectior enim causa perfectiorem effectum producit.

9 Hoc argumento videtur Scotus convinci, dum *in 3. d. 14. q. 4.* fatetur, quòd etsi intellectui Christi D. sint infusæ species perfectissimæ, tamen *non potest perfectissimè noscere ex ea parte, qua intellectus est causa partialis respectu intellectionis: quia intellectus suus non est perfectissimus intellectus creatus; & quantò ista causa partialis est imperfectior, tantò intellectio est imperfectior: illa enim elicitur secundùm virtutem intellectus, & obiecti præsentis sine miraculo speciali.* Non minùs vrget, quod addit Scotus, loquendo de cognitione intuitiva Christi D. dicens: *De intuitiva autem, cùm ibi obiectum, nō vt in specie agat, sed vt in se præsens est idem, & eodemmodo cum quocumque operetur: sequitur, quòd intellectus, cuius intellectualitas est imperfectior, habebit illum actum imperfectiorem.* Convictus ergo videtur remanere Scotus, non posse defendi cognitionem Christi D. esse summè perfectam, si aliàs ab ipso effectivè producatur.

10 Sed vrgentiùs ad hoc videtur militare contra nostram conclusionem ipse Scotus *eadem distinctione 14. §. In prima quæstione versic. Itaque* sic fatus: *potest dici, quòd intellectus animæ Christi D. potest passivè recipere visionem Verbi primò, & immediatè. Et hoc ita vt non perficiatur priùs aliquo lumine, tamquam forma absoluta alia à visione.* Quòd autem sic contigerit, de facto prædixerat ibidem *versic. Quantum ad primum* verbis illis: *& ita verisimile est esse de facto.* Et prosequitur Scotus: *Quod confirmatur per illud Isidori lib. 1. de Summo bono cap 3.* Trinitas sibi soli nota est, & homini assumpto: *quod non potest intelligi nisi de notitia in termino, vel simpliciter, vel possibili creaturæ.* Et tandem *in fine illius §. Vers. Tunc* respondendo ad argumentum, quod sibi obiecerat, (nempè, quòd si visio Beata immediatè causaretur à Deo sine aliquo lumine prævio posito in intellectu *tunc posset intellectus ex puris naturalibus videre verbum: quia sine lumine gloriæ, & sine habitu præcedente visionem*) sic loquitur: *Tunc ad formam argumenti, dico, quòd non sequitur, nisi quod intellectus animæ Christi posset naturaliter in visionem: sed non sequitur, quòd visio posset sibi inesse ex naturalibus suis, vel quòd posset sibi inesse ex aliqua causa naturali: quia non potest sibi inesse nisi à verbo immediatè causante istam visionem:* (expende ad intentum) *quia quandò causat illam, immediatè, & supernaturaliter causat.*

11 His quondam suasus defendebam, Christi D. visionem Beatam ab illius intellectu non fuisse

icitam, sed à Deo infusam, intellectu illo merè passivè se habente. Modò tamen oppositum defendens respondeo, optimè defendi posse illam visionem esse summè perfectam etiam si eliciatur à Christo D. Quia etsi natura Angelica sit specificè perfectior, quàm humana: tamen intellectualitas Angeli non est perfectior: sed gradus ille intellectualitatis æquè perfectus est in Angelo, & in homine: sicut gradus animalis præcisus à differentijs hominis, & bruti est æqualiter perfectus in vtroque etsi aliàs homo specificè sit perfectior bruto. Idem potest exẽplificari in bove, & aquila, quæ specificè differunt; vis tamen visiva bovis solum numero differt à visiva aquilæ. Item vnitas lapidis, & vnitas hominis solùm numericè differunt, etsi homo, & lapis differant plusquàm specie: vt acutè vidit Scotus *in 2. d. 1. quæst. 5. vel 6. §. Potest etiam addi à vers. Simile huius*. Ad rem ergo cùm tàm Angelus, quã homo sint æquales in intellectuali perfectione, non infertur, quòd si Angelo collata fuissent eadẽ principia intellectionis, ac data sunt Christo D. eliceret perfectiorem visionem Beatam. Et patet instantia caloris producti à sole, & caloris producti ab igne; qui calores solum numerò differunt: eo quòd etsi Sol, & ignis specificè differant, non tamen producunt; vt specificè distincti, sed quatenus habent virtutem productivam caloris: virtus autem productiva caloris in sole reperta solùm numericè differt à virtute productiva caloris, quæ est in igne. Sic in præsenti visio Beata producta ab intellectu Christi D. quatenus respicit suum intellectum, solùm numero differt à visione Beata Angeli; eo quòd etsi Angeli, & homo specificè differant; tamen illorum visiones non proueniunt ab ipsis, quatenus specificè differunt; sed quatenus habent virtutem producendi intellectiones: quæ virtus in vtroque est eiusdem speciei.

12 Addo, quòd etsi admittatur, intellectum Angeli esse perfectiorem quocumque humano, & consequenter intellectu Christi Domini adhuc non inferretur, intellectionem Christi Domini, non esse summè possibilem in perfectione: etsi enim ponerentur in Angelo illa eademmet principia visionis, quæ posita fuerunt in Christo D. & consequenter attenta exigentia naturali intellectus Angeli tunc intellectio ab eo elicita debebat esse perfectior intellectione Christi D. poterat tamen Deus per specialem concursum, & miraculosè operando ponere in intellectione Christi D. omnem perfectionem, cuius est capax quæcumque intellectio creata. In hoc enim nulla apparet repugnantia. Si enim (secundùm nos Scotistas, & multos alios. De quo videatur noster Felix *tractatu de Visione cap. 5. diff. 3. nu. 4.*) Deus solus potest producere to-

ta in visione: faciliùs poterit producere aliquem gradum perfectionis illius. Quod fortè non renuent concedere, qui negant, posse Deum solum illam producere intellectu merè passivè se habente. Sed omissa istorum Auctorum mente, aut consequentia; ratio, quare possit Deus in intellectione Christi D. ponere totam perfectionem, cuius sit capax creata intellectio, est, quòd, quidquid in visione reperitur, recipit ab intellectu, & ab alijs concausis in genere causæ efficientis: Sed Deus potest supplere causalitatem efficiētem: ergo per illam potest Deus ponere in visione Christi D. tantam perfectionem, quanta intellectio Angeli, aliàs excederet illam intellectionem.

13 Hanc solutionem mihi satis innuit Scotus *in 3. d. 14. quæst. 4. vers. Si autem* dum docet, quòd intellectio *elicitur secundùm virtutem intellectus, & obiecti præsentis sine speciali miraculo*: ergo sentit, quòd interventu specialis miraculi potest elici perfectior, quàm est virtus intellectus, & obiecti. In quo persistit Scotus *in Report. in 3. d. 14. q. 3. §. Ad tertiam quæstionem vers. Ad primū principale* docens, quòd *voluntas creata potest in summam fruitionem, quantùm est ex se, vt causa secunda coagens causæ primæ, si prima causa velit agere ad hoc, quòd ipsa summè fruatur.* Et ibidem *vers. Ad aliud* sic loquitur: *dico, quòd Angelus si fuisset assumptus cū gratia æquali non habuisset maiorem fruitionem. Sed si voluntas Angeli esset magis actiua, & gratia æqualis, & cùm hoc causa prima æqualiter ageret, haberet maiorem fruitionem, quam modo habet anima Christi: sed posita voluntate magis actiua, non æqualiter ageret causa prima.* Sed omninò eodemmodo est loquendum de intellectu Christi D. ac de illius voluntate, quantùm ad eliciendum summam intellectionē; ergò sentit Scotus, posse salvari, visionem Beatam Christi D. esse summam, etiam si illius intellectus sit minùs perfectus, quàm intellectus Angeli.

14 Habemus ergo ex dictis *à n. 11.* dupliciter posse salvari visionem Beatam Christi D. esse summè perfectam, etiam si ab ipso effectivè producatur. Primò dicendo, quòd, etsi natura Angeli est specificè perfectior natura humana Christi D. non tamen intellectus. (Idem dico de voluntate.) Secundò admittendo, etiam intellectū Angeli esse perfectiorē, dicendo tamē, Deū supplere, seu per specialem concursum tribuere intellectioni Christi D. tantam perfectionem, quātam recipere potest creata intellectio. Nec in explicando Scotum sumus fatigandi; sed apertè fateri debemus, oppositum etiā probabiliter docuisse. Cùm ergo vtrumq; probabiliter doceat, seu apertè sit problematicus, (vt patet ex locis citatis) dat nobis facultatem, vnam, aut alteram partem præferendi alteri, & quam maluerimus propugnandi. Propug-

ignamus autem nostram con-
ulionem, eoquòd est communi
ma sententia; validiorique niti-
ur fundamento.

DVBIVM IV.

15 PEtes quartò, an visio Beata Christi Domini sit eiusdem speciei cum visione Beata Angelorum? Respondetur affirmative. Quia ex opposito sequeretur visionem Beatam cuiuscunque Angeli esse perfectiorem visione Beata Christi Domini. Sed minùs congruit, quòd visiones membrorum Ecclesiæ (quales sunt Angeli) sint perfectiores visione Christi Domini, qui est caput: ergo ne hoc dicamus dicendum est visionem Beatam Christi Domini esse eiusdem speciei cum Beatis visionibus Angelorum. Imò addendum est, illas incomparabiliter superare in individuali perfectione: in illa quippe specie est summæ perfectionis adeò, vt nulla humana, aut Angelica illi possit esse æqualis de potentia ordinaria; neque illam excedere de potentia absoluta. Ita Scotus *in Report. in 3. dist. 13. quæst. 3. §. Ad tertiam quæstionem vers. Sed teneo,* (prosequitur) *quòd fruitio animæ Christi, & Angeli non sunt alterius speciei.* Secuntur Scotum *Pilosus, Lichet*, *Tartaretus, & Montes. quos citant, & secuntur Castillo disp. 15. q. 2. à num. 1. & Felix cap. 15. diffi. 2, dicens sic sentire omnes Thomistas recentiores.*

16 Sed oppositum defendunt *Smising. de Deo vno tract. 2. disp. 6. num. 262. Pitig. in 3. dist. 14. q. 1. art. 4.* & aliqui alij tàm Scotistæ quàm Thomistæ. Pro quibus obijcies: Angeli & homines differunt specifice: ergo & illorum intellectus; ergo & illorum intellectiones; ergo intellectus Christi Domini & eius intellectio. Patet prima consequētia: intellectus enim idētificatur cum essentia secūdū nos Scotistas. Secundò; quia ex opposito sequeretur, nō bene colligi diversas essentias ex diversis passionibus: & consequenter nulla esset scientia à posteriori. Secūda illa consequentia probatur: causæ enim specificè distinctæ producunt effectus specificè distinctos: ergo semel statuto, quòd intellectus Angeli, & hominis specifice differant, intellectiones illorum debent esse specificè distinctæ. Vltima demum consequentia est certa. Si enim intellectus hominis & eius intellectio specificè differunt ab intellectibus, & intellectionibus Angelorum, non apparet, quare intellectus, & intellectio Christi Domini, qui est verè & specificè homo cum alijs hominibus, non differant specificè ab intellectu, & intellectionibus Angelorum.

17 Respondetur negando primam consequentiā: constat enim ex *num. 11.* intellectus Angeli, & hominis non differre specificè, etiam si specificè differant homo, & Angelus. Et ratio est, quòd non con-

cõveniunt eis secũdùm infimum gradum suæ specificæ perfectionis, sed secundùm gradum superiorem, communẽ, & quasi genericum Deo, Angelis, & hominibus: qui omnes gaudent natura intellectuali, seu subsistentia spiritua li, à qua profluunt potentiæ spirituales, nempè intellectus, volũtas, &c. Et ideo sicut Deus, Angelus, & homo non differunt specificè per hoc, quòd sint substantiæ spirituales, imò in hoc conveniunt; differre specificè non debent eorũ intellectus. ¶ Ad primam probationem dicimus, quòd etsi species completæ non possint identificari; benè tamen incompletæ: sicut identificantur in homine v.g. sensibilitas, & rationalitas, &c. ¶ Ad secundam probationem dico; benè & efficaciter colligi diversas essentias ex diversis passionibus; quando istę dimanant, seu conveniunt essentijs secundùm gradus infimos, seu differentiales; (qualiter risibilitas v. g. dimanat ab homine) secùs autem si solùm eis cõ veniant secundùm gradum communem. ¶ Ex quibus constat, quare malè inferatur, quòd intellectiones Angelorum, & hominum debent specificè differre; eoquòd homo & Angelus specificè differũt. Cùm enim non producant intellectiones, quatenùs specificè distinguuntur; sed quatenùs conveniunt in gradu intellectivo; & aliàs hic gradus in illis specificè non differat, producunt intellectiones solùm numericè distinctas. Hac ratione calor productus ab igne nõ differt specifice à calore producto à sole: (quamvis, ignis, & sol specificè differant) eoquòd calores non procedunt ab eis, quatenùs specificè differunt; sed quatenùs conveniunt in hoc, quòd est habere virtutem productivam caloris. Legatur Scotus *in 2. dist. 1 q. 5. aut 6. 9. & versic. Potest etiam addi.*

DVBIVM V.

18 PEtes quintò, quantæ intensionis fuerit visio Beata Christi D? Respond. fuisse intensivè perfectiorem quacumque Beata hominum, & Angelorum. Hoc enim spectat ad eius excellentiam, & dignitatem Capitis. Huc spectat illud symboli. *sedet ad dexteram Patris*; hoc est, in Beatitudine excedit omnes Beatos; vt communiter explicant. Ita communissimè. Nec aliquod obijci potest, quòd ex dictis sufficienter non maneat solutum.

DVBIVM VI.

19 PEtes sextò, an Christus D. visione Beata comprehenderit Deum? Resp. negativè. Quia cognitio cõprehensiva debet adæquare totam cognoscibilitatem obiecti: Sed Deus est infinitè cognoscibilis: ergo cognitione finita comprehendi non potest. In hoc conveniunt Theologi: de quo præcipuè videatur G. Hurtado *disp. 8. diff.*

4. ¶ Dices: Christus D. cogvit omnia possibilia: ergo com[pre]hendit attributum omnipo[ten]tiæ. Hoc enim nihil aliud est, [qu]àm virtus productiva omnium [po]ssibilium. Respond. negando [co]nsequentiam: ad probationem [di]co, attributum omnipotentiæ [...] sicut, & quodcumque aliud [in] Deo) esse non respectivum, [se]d absolutissimum à creatu[ri]s etiam possibilibus. Quare repugnante omni possibili, nihil adimeretur à Deo. Sicut potentia visiva v.g. est absoluta, & independens ab omni colore, & quocumque repugnante, maneret eademmet potentia visiva, seu non destrueretur necessariò. ¶ Dices secundò, quòd Isidorus *cap. 42. in Exodum* opponitur nostræ cõclusioni, dum sic loquitur: *Trinitas sibi soli integrè nota est, & humanitati susceptæ.* Resp. cum G. Hurt. *disp. 8. diff. 4.* non esse legendum. *humanitati susceptæ sed humanitas suscepta*: vt legitur apud ipsum Isidorum *1. sentent. cap. 3.* vbi eamdem materiam tractat. Et sic sensus erit: mysterium Trinitatis, & Incarnationis à solo Deo comprehendi: vt notant *G. Hurt. ibi, & Felix c. 15. diff. 2.* ¶ Difficilius est (vt obiter hoc advertatur) quod subiungit idem Isidorus scilicet, *humanitatem* (hoc est hominem Christum): *esse tertiam Trinitatis personã.* Tamẽ sensus est, (inquiũt præcitati Felix, & Hurtado (quòd Christus est vna ex tribus personis Trinitatis.

DVBIVM VII.

20 PEtes septimò, an sit de fide certum, Christum D. nõ cõprehendisse Deum? Resp. negativè. Quia nullibi definitur; aut ita apertè continetur in Scriptura, vt non possit aliter explicari. Ita *Pilosus disp. 24. art. 2. num 5. Vazquez dis. 52. cap. 2. & G. Hurt. disp. 8. diff. 4.*

21 Sed oppositum defendunt *Suarez Lorca, & Smising, quos citat & sequitur Felix. cap. 15. diff. 2.* Imò *in tract. de visione cap. 12. diff. 2.* dicit, esse sententiam Scoti *in 3 dist. 14 q. 2. §. Ad primum argumentum.* Fallitur tamen Felix: quia *ibi vers. Ad secundam probationem* solùm dicit, quòd *nullus intellectus creatus, etsi videat quodcumque visibile ex parte Dei, potest ipsum comprehendere: quia nõ est commẽsuratio hinc inde.* Et ideò etsi Scotus vt certum statuat, Deum esse incomprehensibilem à creatura; (quòd omnes fatemur) non tamen dici: hoc esse de fide. ¶ Obijcitur secundò, quòd Ieremiæ 32. ditur de Deo, *Magnus Consilio, & incõprehensibilis cogitatu: & cap. Firmiter de Trinit. c. 2. dicitur: nos credimus, & cõfitemur, quòd vna quædã & summa res est incõprehensibilis, & ineffabilis.* Resp. quòd 1. ad Chorint. 9. dicitur *sic currite, vt cõprehendatis*: imò Beati absolutè dicũtur cõprehẽsores. Quare priora illa testimonia poterãt explicari (falsò quidẽ; quin tamen falsitatis posset quis

evi

evidenter convinci) de comprehensione viribus naturę habita. Sicut communiter explicantur testimonia, quibus Deus dicitur invisibilis. ¶ Objicitur tertiò, quòd *in Concilio Basiliensi sess. 22.* damnatur hæc propositio: *Anima Christi videt Deum tàm clarè, & intensè, quantùm clarè, & intensè Deus videt se ipsum.* Respondetur *cum G. Hurtado disp. 8. diff. 4.* concilium non esse contra nos: etsi enim affirmamus, non esse de fide Deum esse incomprehensibilem: non proptereà dicimus, Christum Dominum comprehendere Deum. Imò & qui diceret, Christum Dominum comprehendere Deum, non tenebatur dicere, comprehensionem illius esse tàm claram, ac intēsam, ac est increata visio, qua Deus se ipsum cōprehendit, vt satis innuit Scotus *in Reportatis in 3. dist. 14. quæst. 2. §. & vers. Ad primum principale* verbis illis: *igitur causa finita ab infinita exceditur in modo intelligendi; non in hoc quòd potest actu in plura simul.* ¶ Insuper omitto examinare auctoritatem dicti Concilij: quamvis enim legitimè fuerit congregatum; tamē ab Eugenio IV. fuit dissolutum. Quo nōn obstante PP. perstiterūt, imò definierunt, Concilium legitimè congregatum esse supra Papam; ipsumque Eugenium deposuerunt. ¶ Propter hæc ergo, & multa alia, quæ in dicto Concilio cōtigisse narrant historiæ, omitto examinare illius auctoritatem, supponendo, vt certum, aliqua illius Concilij decreta nullius fuisse auctoritatis: aut quia emanarunt tempore, quo ab Eugenio erat dissolutum: & consequenter iam potiùs erat conciliabolum, quàm legitimum Concilium: aut quia talia decreta Pōtifex nō approbavit. Huius generis est decretum habitū *sess. 26.* vbi definitur opinio immaculatæ Conceptionis Virginis gloriosissimæ.

DUBIUM VIII.

21 Petes octavò, an anima Christi Domini per sciētiam Beatam videat in Verbo omnes creaturas, quas videt Deus sciētia visionis? (suppono ex tractatu de sciētia, cognitionē Dei bipartiri in scientiam visionis, & simplicis intelligentiæ. Per illam cognoscit Deus res existentes pro aliqua temporis differentia, hoc est, præteritas, præsentes, & futuras. Per posteriorem autem cognoscit possibilia.) Respondetur affirmativè. Quia hoc spectat ad excellentiam Christi D. Ita Catholici ferè omnes. De quo videatur Vazquez *disp. 51. cap. 2.* vbi diversas Patrum auctoritates ad hoc propositū adducit. ¶ Solùm adverto, non esse certum, quòd Christus Dominus per eamdemmet cognitionem Beatam videat omnia prædicta sunt enim, qui affirmant, Beatum non videre creaturas eadem visione Beata, qua videt Deum, sed per aliam distinctam. De quo videatur Felix *tract. de visione cap. 11.*

iff. 3. num. 2. Quare, quòd cer- est, & nos in hac conclusio- ffirmamus est, Christum Do- um eo quòd Beatus est, cogno in Verbo omnes creaturas eritas, præsentes, & futu-

3. Hinc reijcio Ricardum *in .14. q. 3.* affirmantem, Chri- Dominum non cognovisse nes cogitationes futuras. ¶ A ori reijcitur error Ignoitarū, etiam dicti sunt Agnoitæ, nec & Gnoitæ) & Thæmistiano- asserentium, Christum Do- ūm vt hominem, diem iudi- escisse, & quæ eo die futura. Qui hæretici obijciebant il- *Marci 13. De illo die, & hora scit, neque Angeli in cælo, ne- ilius hominis.* Respond. Chri- Dominum dici nescisse illum. n, non absolutè, sed ad reve- um alijs. Aut quia illud nescie in suis membris, seu fidelibus. m iuxta regulam Ticonij fa- lgatam: *Quæ, sunt corporis, untur capiti; & è contra.* cipuè videatur Vazquez. *ibi* 3.

4. Reijcitur etiam error hæ- corum nostri temporis, qui dicto errori addebant, nescisse m plura alia; imò & in pueritia uisse communem nesciētiam alijs pueris. Qui hæretici imi sunt prædictos Gnoitas; & e- Valentinianos, qui dexerunt, istum Dominum sub ferula ceptoris alphabetum didicisse. quo errore obijcitur illud, *Puer Iesus crescebat ætate, & sapiē- tia. Lucæ 2.* Respondetur dici cre- visse in sapientia exteriori: quia in dies sapiētiora verba loquebatur; & sapientiora opera efficiebat. Aut si in sapientia interiori cresce bat, non in Beatifica, neque in per se infusa; sed in experimentali, seu acquisita: quæ ad augmentum ęta tis crescebat.

DVBIVM IX.

24 Petes nonò, an per scien- tiam Beatam videat Chri- stus Dominus in verbo, omnia pos- sibilia? Respondetur affirmativè. Quia est possibile sine aliqua inver sione ordinis rerū: & alias extol- lit excellentiam Christi Domini. Ita *Scotus in 3. dist. 14. q. 2. ferè per to- tā, D. Bonav. Alens. Magister Sent. Albert. Maior, Pitig. Rada, Fabro, & multi alij, quos citant, & secun- tur Castillo disp. 15. q. 2. num. 12. & Felix cap. 15. diff. 3.* ¶ Oppositum tamen defendunt *D. Thom. quæst. 10. art. 2. Caiet. Vazq. Suar. & Be- canus, quos citat, & sequitur Gasp. Hurt. disp. 8. diff. 5.* dicens, sic cō- muniter sentire Theologos. Falli- tur tamen. Argumenta verò, quæ nobis obijciūnt, commodius ad- ducemus, & solvemus *à num. 30.* postquam sequenti dubio exami- naverimus qualitatem huius sciē- tiæ.

DVBIVM X.

25 Petes decimò, an Chri- stus Dominus cognoverit

rit possibilia omnia actualiter? Respondetur sub distinctione: vt ex dicendis constabit. ¶ Pro quo noto auctores nostræ sententiæ *num.* 24. positæ circa præsentem difficultatem esse divisos. Etenim Magister sent. & Alensis affirmāt, Christum D. vidisse in verbo per scientiam Beatam omnia possibilia actualiter. Quod probabile iudicant *Rada 3.p. controv.9. art. 3. conclus.5. & Pitig.in 3. dist. 14. q. 2. art.4. & alij, quos citat, & sequitur præcitatus Castillo.* Quibus favet Scotus *in 3. dist. 14.q.2.§. Tertio modo:* vbi hoc saltem probabiliter propugnat ¶ At D. Bon. & alij affirmant, intellectum animæ Christi D. solùm habitualiter, seu in actu primo cognoscere omnia possibilia. Quod dupliciter potest intelligi. Primò ita vt concedam quendam habitum, per quem intellectus reddatur potens in actu primo, vt pro libito operantis videat modo hoc obiectum, modò illud. Hunc modum cognoscendi habitualiter, possibilia impugnat Scotus *ibi §. & vers. contra istud.* Secundus modus cognoscendi habitualiter est dicentium, humanum intellectum Christi D. dici habitualiter cognoscere omnia possibilia: eoquòd in illomet actu, quo videt Deum relucent omnia quæ sunt in Deo: atque adeò per talem actum intellectus animæ Christi Domini redditur potens in actu primo, vt pro sua libertate modo videat hoc obiectum, modò illud. Quem modum philosophandi defendunt *Fabro, Smisig, Pitig. (& probabiliorē reputat Rada) Salus, & Herice, quos citat; & sequitur Felix cap. 15. diff. 3.* Hunc modum saltem probabiliter defendit Scotus *in 3. dist. 14. q. 2. §. Sed si ista via.* Imò in Report. *ibidem §. Dico igitur vers. Quarto potest* illum absolutè defendit: siquidem alijs modis refutatis, dicit; *hunc modum teneo.* ¶ Fortè tamen Auctores isti possunt in cōcordiam revocari. Quare claritatis gratia.

26 Dico primò: intellectus humanus Christi Domini non potest constitui potens per aliquem habitum ad cognoscendum omnia possibilia. Quia non apparet, quomodò habitus finitus, & limitatus possit inclinare intellectum, seu esse principium concurrendi cum illo ad cognoscendum omnia illa: cùm enim habeat determinatam entitatem, activitatem, & sphæram, videtur non posse ad omnia, & singula cognoscendum inclinare intellectum, aut cum illo effectivè concurrere. ¶ Si autem respondeant cum D. Bonav. Henrico, & Varrone (assertoribus prædicti habitus) illum habitum esse in sua entitate finitum quidē, & determinatum; fundare tamen respectus ad indeterminata obiecta; imò & ad infinita: Contra hoc obijcit Scotus sequi ex hoc, etiam posse animam Christi Domini cognoscere actualiter omnia possibilia: (quod isti negant) si dicamus habere actum, finitum quidem

in sua entitate, qui tamen sit
...mentum respectuum ad in-
..., & indeterminata obie-

Dico secundò: anima Chri
...mini per scientiam beatam
...liter cognoscit omnia pos-
..., quadam tamen indistin-
...e obiectiva. Sicut qui coram
...et multa, & diversa obiecta,
...uidem omnia simul attingit
...am tamen indistinctione o-
...iva. Et ratio est, quò d quævis
...tia finita, & limitata nequit
...fectè circa plura, quàm cir-
...um operari. Quod prove-
...eius limitatione, & finitudi-
...nde illud commune prolo-
...: (*Pluribus intentus minor est
gula sensus*) ad quamcumque
...tiam finitam est extenden-
... Et ideò, *cum anima Christi sit
...mnatur e cum anima nostra, si
...ta simul videt, indistinctissimè
...let*: concludit Scotus. *in Re.
...list. 14. q. 2. §. Dico igitur vers.
...*

Dico tertiò: prædicta actua-
...gnitio potest dici habitualis,
...enus est principium cognos-
...i distinctè, & perfectè quod-
...que obiectum, cui voluit
...tus Dominus se specialiter
...care. Itaque illomet actu bea
..., quo attingit Deum, resplē-
...actu omnia obiecta tàm ex-
...tia pro aliqua temporis dif-
...tia, quàm merè possibilia:
...en. cùm *ex defectu videntis*
...nquit Scotus nuper citatus)
aut ex limitatione potentiæ fi-
nitæ proveniat, quòd quodlibet
illorum obiectorum distinctè vi-
dere non possit: & aliàs per il-
lummet actum eius intellectus sit
proximè potens ad distinctè attin-
gendum quodcumque, ad quod
se voluerit convertere, aut ap-
plicare: fit, vt non incongruè
prædicta actualis cognitio indistin
cta dicatur habitualis, vt illam vo-
cant Scotus *ibi vers. Quartò potest*,
& multi alij.

29 Dices: ergo quilibet
Beatus eodem modo videbit om
nia futura, & possibilia: siqui-
dem in actu, quo videt Deum,
tamquam in speculo, resplen-
dent omnia, quæ continentur in
Deo. Respondetur negando: quia
etsi verum sit; quod actu beatifico
attingit non solum Deum; sed
etiam quodcumque obiectum,
quod Deus voluerit ostendere Bea
to, sivè à principio visionis, sivè po
steà in quocūque tempore. Tamē
nulli Beato repræsentat suus a-
ctus beatificus omnia obiecta
possibilia, immo neque existen-
tia. Christo autem Domino
quodcumque cognoscibile repræ-
sentat: hoc enim expostulat
eius dignitas, & excellentia. Et
ratio est, quòd ille actus est tam-
quā speculum voluntarium, *quod
omnia repræsentat simul cui vult;
alteri verò non omnia*: (inquit
Scotus nuper citatus) cùm repræ-
sentet ad mensuram voluntatis
Dei.

30 Nunc

30 Nunc commodiùs proponemus, & respondebimus argumẽtis, quę militant contra conclusionem *num.* 24. nempè, quod Christus Dominus per scientiam Beatam viderit omnia possibilia; necnon & contra conclusionem *n.* 25 positam, nempè quòd illa actualiter cognoverit. Igitur D. Thom. & alij *num.* 24. citati objiciunt, quòd *in Directorio Inquisitorum 2. p. q.* 11. Arnaldus de Villanueva dãnatur; eo quòd dixerit, animam Christi Domini ab instanti suæ cõceptionis scivisse omnia, quę Deus scit. Respondetur damnari, non propter conclusionem; sed propter fundamentum; nempè quia existimabat, (vt ibidem refertur) in Christo Domino nullam aliam cognitionẽ fuisse, præter increatam Verbi. Quod redolebat errorem Monotelitarum. De quo *c.* 4. *diff.* 2. à *num.* 5.

31 Obijciunt secundò, quòd possibilia sunt numero infinita: ergo si illa omnia cognosceret Christus, cognosceret infinita. Sed ad hoc requiritur infinita virtus cognoscitiva: ergo cùm anima Christi Domini hanc non habuerit, possibilia non cognovit. Respondetur (omisso antecedenti enthymematis) distinguendo minorem: quando illa distinctè cognoscit, concedo: si autem quadam indistinctione obiectiva illa cognoscat, nego. Quare negatur consequentia: quia creatus intellectus Christi Domini omnia possibilia non cognoscebat distinctè; sed quadam confusione; aut indistinctione obiectiva: vt constat ex dictis. ¶ Respondetur secundò (omisso prædicto antecedenti) aliter distinguendo minorem: Quãdò potentia cognoscit infinita obiecta per infinitas cognitiones à se elicitas, vel saltem conservatas in genere causæ efficientis, omitto. Quando cognoscit per vnam cognitionem, multiplicatis tamen respectibus rationis, nego. Et ideò negatur consequentia. Legatur Scotus *in* 3. *dist.* 14. *q.* 2. *§. & versic. Potest dici.* Itaque in eodem actu, quo Beatificè attingebat Deũ, relucebant omnia obiecta existẽtia, & possibilia solùm per additionem diversorum respectuum ad singula illa obiecta terminatorum. ¶ Eodem modo respondendum est ad argumentum illud de attentione: quod sic efformãt: Attentio potentię finitę tantò magis minuitur, quãtò plura obiecta cognoscit: ergo si obiecta sint infinita (qualia sunt possibilia) ad illa attendere non potest anima Christi Domini; aut debemus dicere, habere infinitam virtutem. Respondetur enim, hoc esse verum, si potentia attenderet per infinitos actus à se elicitos, vel saltem conservatos in genere causæ efficientis, (non autem solùm in genere causæ materialis) Falsum autẽ, quãdo potentia attendit per vnum actum, in quo solum multiplicãtur respectus rationis ad multiplicationem obiectorum.

32 Respondetur secundò, quòd atten-

ntio solùm minuitur propter ltiplicationem obiectorum di- cte cognitorum: secus autem ndo confusè, & indistinctè nofcuntur: vt passim experi- rin nobis; qui videntes multi- inem stellarum, hominum, um, &c. non fatigamur; quã- aliquam prædictarum rerum ltitudinem quadam confusio- aut indistinctione obiectiva vi- aus: fatigamus tamen, si appli- ius potentiam ad distinctè vi- dum aliqua illorum obiecto- i in speciali. ¶ Dices, etiam experiri fatigationem, quan- tica vnum tantùm obiectum is applicamus potentiam vi- m v. g. ergo fatigatio non pro- it ex eo quod velimus distin- percipere obiecta multa. Res- detur negando consequentiã: nique enim potest provenire gatio; nempè aut ex nimia ap- atione circa vnum obiectum, si circa multa applicemus po- iam, vt singula illorum distin- percipiamus. Et ratio est limi- potentiæ. Quare si plus ap- emus potentiam visivam, quamcumque aliam) quàm et applicari, fatigatur, sivè irca vnum, sivè circa multa cta a prædicta applicatio. Quod xplico. Supponamus, poten- visivam solùm posse adhibe- proportionatè operando cõ- um ad sex gradus visionis; & d vult adhibere cõcursum ad em. Tùnc fatigatur: quia ex- it se ipsam à sphæra suæ na- turalitatis in operando. (Idem contingit: quando nimis persevc- rat in operando: etenim etiam propter sui limitationem habet sphæram durationis in illa opera- tione, quam incapit proportio- natè.) Vnde fit, si ad septem gra- dus adhibeamus concursum circa vnum, aut circa multa obiecta, tunc incipit fatigatio. Non ergo fatigamur, quando in foro v g. in- numeram multitudinem homi- num, & diversarum rerum vide- mus; quia circa omnia illa visa per modum vnius proportiona- tè applicatur concursus potentiæ. Si autem aut circa illam multitu- dinem adhiberemus impropor- tionatum concursum potentiæ, fatigaremur: sicut, & si aliqua il- lorum obiectorum vellemus di- stinctiùs percipere, tunc enim qua- si partimur prædictos sex gradus concursus, & applicando singulis obiectis plus æquo, vt illa distinctè percipiamus, potentia incidet in fatigationem.

33 Eundem modum cognos- cendi futura, aut existentiam pro aliqua temporis differentia quan- tum ad actualiter, aut habituali- ter illa cognoscere, attribuimus Christo Domino, currit enim de existentibus ferè eadem ratio, ac de possibilibus: cùm etiam futuræ Angelorum, & hominum cogita- tiones, & volitiones sint numero ferè infinitæ & pro æternitate du- raturæ.

34 Notanter argumento *numero* 31. facto duplicem adhi-

bui solutionem. Etsi enim iuxta mentem Scoti *in Report.* elicuerim secundam, & tertiam conclusionē: ex quibus constat, Christum Dominum solùm habitualiter, aut actualiter indistinctè, & quadam confusione obiectiva vidisse omnia possibilia; & à fortiori existentia. Fateor tamen, mihi esse satis probabile, omnia illa cognovisse dictinctè, & sine aliqua confusione non solùm subiectiva; sed neque obiectiva. Quod & Scotus tamquàm probabile defendit *in 3. dist. 14. q. 2. §. & vers. Potest dici.* Et merito: si enim idem actus cum multiplicatione respectuum rationis ad diversa obiecta potest esse ratio cognoscēdi distinctissimè illa omnia obiecta: (vt patet in Deo) quare non dicemus, Christum Dominum per suum actū Beatificum cum multiplicatione tot respectuum rationis; quot sunt obiecta existentia, & possibilia, distinctè cognoscere omnia illa?

35 Nec insolubiliter vrget fundamentum nostræ conclusionis *num. 27.* positæ, nempè quòd potentia finita, & limitata, si ad tot extendatur obiecta, distrahatur taliter, vt ea imperfectissimè attingat; imò & plurimum fatigabitur: vt experientia constat. Hoc enim solùm est verum, quando per diversos actus singulis obiectis correspondentes diversa illa obiecta attinguntur: secùs autē, si potentia omnia illa, obiecta attingat per vnum, (aut paucos actus) cum multiplicatione tantùm respectuum rationis. Et ratio est, quod quilibet actus recepit suam entitatem à potentia, cuius virtus quacumque actus productione ad quantulum minuitur: cùm aliquid suæ virtualitatis communicet actui. (quod commune est omnib' causis) Et ideò entitas finita, & limitata multiplicando productiones debilitatur, & tandē deficiet. Hinc experimur, quòd senes non ita perfectè ac in statu suæ iuventutis vident, audiunt, & etenim eorum potentiæ per tot actuum multiplicationem sunt iam debilitatæ, & propè deficientiam. Potest ergo secūdū veritatem, & mētem Scoti defendi probabiliter animam Christi Domini vidisse in Verbo omnia, & singula non solùm existentia, sed etiam possibilia actualiter, imò & distinctè, & inconfusè tàm ex parte potentiæ, quàm ex parte obiecti: sicque ego probabiliter propugno. Quod volo esse quartam conclusionem. Nec Scotus in hoc potest esse nobis contrarius: cùm mihi sit certum in hac re fuisse problematicum: vt constat *ex 3. dist. 14. q. 2. ferè per totam.*

DVBIVM XI.

36 PEtes vndecimò, quid sit videre in Verbo, aut in essentia divina, vel in Deo? Resp. esse videre aliquid, movente Deo.

¶ Pro clariori intelligentia nota, quòd vt creatura aliqua dicа-

ur cognosci in Verbo, in es-
tia diuina, aut in Deo, requi-
, vt Deus aliquo modo sit ra-
, aut causa cognoscendi illam.
ọd dupliciter potest intelligi.
mò, quia essentia divina, Deus,
aliquod attributum illius sic
nectitur cum creaturis, vt ex vi
nitionis essentiæ, aut illius at-
ut i ipsæ creaturæ cognoscātur
essariò; Sic loquuntur. Thomi-
le creaturis possibilibus; cū qui
licunt connecti omnipotentiā.
cundò potest Deus, aut aliquod
ibutum illius esse ratio, aut cau
cognoscendi creaturam, non
pter connexionem; sed quia
ntia divina, seu (propriùs lo-
ndo) Deus, qui est obiectum
tificum movet intellectum
iti liberrimè, & gerit munus
ciei impressæ non solum ad
nitionem sui, sed etiam crea-
arum; quæ dicuntur videri in
rbo, in essentia divina, seu in
. Sic philosopharum Sco-
æ.

17 Vnde Thomistæ affir-
nt, tantò plures creaturas vide-
Beatum, quanto intensiorem
it visionem circa Deum. Sco-
æ autem affirmamus; ideò Bea
a plures, aut pauciores creatu-
videre in Verbo; quia Deus
rè movet eius intellectum ad
res, vel pauciores videndas. Et
nsequenter dicimus posse con-
gere, quòd stante perfectissi.
cognitione essentiæ diuinæ,
lam creaturam cōgnoscat Bea-
: & è contra, quòd videat multas, imò & omnes quando re-
mississimè cognoscit Deum.

¶ Hinc reijcio illud Tho-
mistarum quasi proloquium di-
centium, ad videndum plures
creaturas in Verbo intensius lu-
men requiri, quam ad videndum
pauciores. Quod esse falsum pa-
tet ex dictis. Imò addo, sine aliquo
lumine posse videri omnes crea-
turas in Verbo. Semel enim viso
Deo sine lumine (vel media specie
impressa: quam suppono esse pos-
sibilem, vel immediatè moven-
te Deo) posset ipse Deus movere
ad cognoscendum aliquam crea-
turam, vel omnes simul; non se-
cùs ac movet posita cognitione
Beata, quæ fit medio lumine. Et
sicut nunc dicitur cognitio crea-
turarum in Verbo, diceretur in
dicto casu. ¶ Dices: ergo si Deus
moveret ad cognitionem creatu-
ræ, non priùs movendo ad cogni-
tionem sui, talis cognitio dicere-
tur cognitio creaturæ in Verbo.
Respondetur negando: quia ad
cognitionem creaturarum in Ver
bo non sufficit, quòd immediatè
moveat Deus, sed etiam requiri-
tur; quòd præcedat cognitio divi-
næ essentiæ. Cuius nō est alia ratio,
nisi quod sic intelligunt Theologi.
¶ Respondetur secundò addmit-
tendo consequentiam.

DVBIVM XII.

31 Petes duodecimò, an, vt creatura dicatur cognosci in Verbo, sit necessarium, quod

eodem actu, quo videtur Deus, videatur creatura? Responde tur negativè. Quia certum est apud omnes, creaturam videri in Verbo; & tamen non est certum, creaturam videri eademmet cognitione, qua videtur essentia. Etsi enim hoc videatur concedere Scotus *in 1. dist. 1. q. 2. §. Modus ponendi, & in 3. distin. 14. q. 2. §. Potest dici, & quodl. 15 §. De secundo articulo, & cum eo Pilosus, Sosa, Ægidius & multi alij, quos citat, & sequitur Felix in tract. de visione cap. 11. diff. 3. num. 3.* Tamen de facto videri Deum, & creaturas in Verbo pluribus actibus realiter distinctis, affirmant Nominales, & aliqui alij, quos citat prædictus Felix *ibi num. 2.* & quos sequitur Vazquez *1. p. disp. 50. cap. 5. & 6.* de quo latiùs in prædicto tractatu de Visione. In præsenti autem hoc mihi certum statuo, quòd creaturam videri in Verbo idem est, ac videri sine propria creaturæ specie impressa, aut motione; sed immediatè movente Deo, seu gerente munus speciei impressæ. Quòd autem creatura cognoscatur eodē actu, vel diverso, ac cognoscitur Deus, est accidentarium ad cognitionem creaturę in Verbo. Hac enim ratione facilè distinguo visionem creaturæ in Verbo, à visione creaturæ in proprio genere. Etenim voco cognitionem creaturæ in Verbo, quæ fit sine motione creaturæ; aut sine propria illius specie impressa, & movente immediatè Deo: visionē autem creaturæ in proprio genere voco illam, quæ fit movente ipsa creatura. Media specie impressa sui; vel fortè per se ipsam immediatè.

39 Noto, hanc cognitionem creaturarum in verbo hic vocare Theologos cū Augustino 4. *super Genesim ad litteram c. 22.* non quia hoc munus movendi ad cognitionem creatam competit soli Verbo; (est enim quid commune toti Trinitati; cùm sit actio ad extra) sed quia, cùm Verbum diuinum procedat per intellectum, at tribuū tur illi omnia, quæ ad sapientiam spectant. ¶ Noto etiam, quod etsi ad hoc, vt creatura dicatur cognosci in Verbo non sit necessariū, vt eademmet cognitione cognoscantur Deus, & creatura: tamen ad salvandum, Christum D. vidisse omnia tàm existentia, quàm possibilia, dicendum est, vno, & eodē actu vidisse Deum, & creaturas addendo solùm respectus rationis super prædictū actum, vt satis manet explicatum præsertim à *n. 31.*

40 Manet ergo statutum ex dictis ad intentum huius difficultatis, Christum Dominum cognoscere in Verbo, in essentia divina, aut in Deo aliquā creaturam, non ex eo quòd habet summum lumen gloriæ; (quod lumen suppono esse requisitum ad connaturaliter eliciendum visionem Beatam.) aut quia habet summam, & perfectissimam visionem Dei; sed quia Deus liberè movet eius intellectum ad cognitionem

crea-

creaturarum: & sic elicit visionem, quæ formaliter repræsentat ipsas.

DIFFICVLTAS II.

De spectantibus ad scientiam Christi Domini quam in proprio genere vocant.

DVBIVM I.

1 PEtes primò, an in Christo Domino sit admittenda scientia creaturarum, in proprio genere? Respond. affirmativè. Quia cognoscere rem omnibus modis, quibus cognoscibilis est, spectat ad excellentiam Christi D. Quare etsi Christus D. habeat sciētiam, seu cognitionem creaturarum in Verbo, seu ad quam immediatè movet Deus; habuit etiā scientiā creaturarū in proprio genere; hoc est, habuit cognitionem, qua res creatas in se ipsis, vel per proprias illarum species cognoscebat: (quæ ideò vocatur scientia creaturarū in proprio genere) vt fatentur Theologi. Primò propter rationē dictā. Secundò, quia hæc scientia est cōnaturalis viatoribus: & Christus D. sic fuit cōprehensor, vt simul esset viator. Tertiò, quia etiā in Beatis constituit D. Aug. 4. *super Genes. litt. c. 11. & 12.* duplicem scientiam creaturarum: vnā in Verbo, quam appellat matutinam: & aliam in proprio genere, seu per proprias species, quam vocat vespertinam. Sed Christus D. vere fuit Beatus à primo conceptionis instanti: ergo in ipso, præter scientiam creaturarum in Verbo, admittenda est scientia creaturarum in proprio genere, seu per proprias species.

DVBIVM II.

2 PEtes secundò divisionē sciētiæ creaturarum in proprio genere? Respondetur, bipartiri in per se infusam, & in acquisitam, seu acquisibilem. Per se infusam vocant illam, cuius species intelligibiles, seu impressæ nequeunt proprio labore acquiri: & ideò ex natura sua, seu per se exigunt à Deo infundi (Hinc constat, actualem cognitionem, quam elicit intellectus, eò solùm posse dici per se infusam, quia species impressa, à qua partialiter generatur, petit ex natura sua infundi, seu species illa est per se infusa.) Acquisitam verò, seu acquisibilem vocant illam, cuius species impressa potest proprio labore, & industria acquiri. Quia tamen species deseruiens ad cognitionē acquisitam potest à Deo infundi; Theologi hanc sciētiam vocant per accidens infusam; hoc est, talem infusionem non exigentem naturam illius speciei.

3 Vbi nota, speciem, seu sciētiam per se infusam debere considerari absolutè, seu independenter ab hoc, vel illo subiecto creato, immo & ab omni subiecto

creato, & creabili. Dicunt enim aliqui, (etiam ex nostris) posse eādem: net speciem intelligibilem (& consequēter cognitionem inde ortam) esse perse infusam respectu Angeli: eoquòd ab homine nullo labore, aut industria potest acquiri; benè tamen ab Angelo. Hoc tamen mihi non probatur: quia per se infusum debet ex natura sua distingui à quocumque non tali; & consequenter à per accidens infuso. Quare si Deus crearet duas species, alteram per se infusam; & alteram infusam per accidens, & illas conservaret extra subiectum; adhuc tunc distinguerētur ex natura sua.

4 Igitur nobis dicendum est, solùm illam speciem impressam intelligibilem (consequenter cognitionem inde ortam) esse per se infusam, quæ à nulla creatura creata, vel creabili potest acquiri, seu produci: & è contra solùm illam speciem (ac per consequens cognitionem inde ortam) esse per accidens infusam, quæ ab aliqua creatura creata, vel creabili acquiri, seu produci potest: quamvis aliàs a subiecto, cui nunc infunditur, acquiri nequeat. Ita mihi videtur, necessariò esse philosophandum in principijs Scoti absolutè negantis virtutes morales per se infusas: (legatur *in 3. dist. 36. §. Contra hoc à versic. Licet de istis.*) est enim dificile creditu, nullam ex his virtutibus esse, quæ à subiecto aliquo determinato acquiri non possit. ¶ Item in principijs Scoti ens supernaturale dicitur absolutè illud, quòd est super omnem naturam creatam, vel creabilem, hoc est, quod à nulla produci potest: ergo à simili, ens supernaturale per se infusum (quod, me iudice, convertitur, aut est idem cum supernaturali quoàd substantiam) absolutè dicetur, quòd à nulla creatura creata, vel creabili potest produci. Quòd enim ab aliqua potuerit produci, quando contingat, infundi à Deo, solùm per accidens dicetur infusum: siquidem verè per accidens contingit infundi à Deo, quod poterat à creatura produci. Et ideò si mihi Deus infunderet speciem Angeli v. g. talem speciem vocarem per accidens infusam: eoquòd etsi pro hoc statu illa sit mihi inacquisibilis; est tamen aliqua creatura, (nempè Angelus, aut anima separata) à qua virib⁹ naturæ possit acquiri. ¶ Dices: supposito, quòd illud ens potest habere esse non solum per productionem à creatura, sed etiam per infusionem à Deo; etiam dicitur accidens productum, (species geometriæ v. g.) quandò producitur seu acquiritur à creatura; sicut dicitur per accidens infusum, quando infunditur à Deo. Respondetur negando assumptum: semper enim est attendendum illud, quod petit ex natura sua: & hoc est dicendum convenire illi per se: aliud

aliud verò per accidens: sivè hoc, sivè illo modo producatur. Quare omnes concedunt, speciem sensibilem (ovi v.g.) in casu, quod crearetur à Deo, esse per accidens creatam: & ideò esse absolutè vocandam educibilem: eo quod ex natura sua peteret educi de potentia subiecti.

5 Habemus ex duobus dubijs præcedentibus, in Christo Domino præter cognitionem creaturarum, quam habet in Verbo seu movente Deo; esse admittendam etiam cognitionem creaturarum in proprio genere: & hanc dividi in per se, & per accidens infusam. Cùm ergo ad cognitionem in proprio genere (sivè sit per se; sive per accidens infusa) concurrat obiectum aut illius species impressa, seu intelligibilis, necnon & potentia; antequam descendamus ad agendum in speciali de cognitionibus per se, & per accidens infusis; de speciebus ad vtrumque requisitis, necnon & de nonnullis alijs, quæ his cognitionibus quasi genericè cõpetunt, est prætractandum.

DVBIVM III.

6 PEtes tertiò, de quib' obiectis Christus Dominus habuerit species infusas; Respondetur habuisse species de omnibus, & singulis, quæ per species sunt cognoscibilia. Quia spectat ad excellentiam illius habere in actu primo id, quod requiritur ad cognoscendam quodcumque obiectum, quod per speciem est cognoscibile. Huc spectat pia illa, rationabilis, & celebris Scoti resolutio, qui affirmat, & ex Augustino probat, Christo Domino esse concedendum quidquid est possibile, si eius excellentiam cõmendet. Verba Scoti transcripsimus *diff. 1. num. 8.* Pro clariori autem, & firmiori huius conclusionis fundamento specialiùs de his speciebus est disputandum.

De speciebus quidditatum rerum.

7 COnstat ex nostra conclusione (& fatentur communissimè) Christum Dominum recepisse species infusas quidditatum omnium rerum non solùm existentium, sed etiam possibilium. Quia hoc est possibile; & commendat Christi D. excellentiam, seu perfectionem.

De speciebus indiuiduorum.

8 COnstat etiã ex nostra cõclusione, Christum Dominum recepisse infusas species intelligibiles omnium singularium, seu indiuiduorum cuiuscumque naturæ. Quia hoc est possibile, & commendat illius excellentiam.

de specie Dei, aut Trinitatis.

9 COnstat etiam ex nostra conclusione, Christo D. fuis-

fuisse infusam speciem Dei, vel Trinitatis. Quia hoc est possibile, & cōmendat excellentiā Christi Domini. Hanc speciem esse possibilē concedunt *Suar. in metaph. disp. 30. sect. 11. num. 21. Vazquez Molina Herice Ægid. Rada, Fab. Smising. & multi alij, quos citauimus in tract. de Angelis cap. 4. diff. 3. nu. 81.* Immo illam de facto concedit Scotus in Angelis viatoribus *in 2. dist. 3. q. 9. §. Ad quæstionem versic. Hac distinctione & §. & Vers. Dico igitur.* ¶ Sed multi Thomistæ videndi apud prædictos Recentiores negant, possibilem esse speciē impressam Dei, aut Trinitatis. Qui Thomistæ consequenter affirmant, Christo D. non fuisse infusam.

10. Hi ergo obijciunt, quòd species impressa debet adæquari obiecto: sed nulla creatura potest adæquari Deo: ergo nequit dari species impressa Dei. Respond. cōcedendo minorem de adæquatione entitativa, seu in essendo: & negando de adæquatione repręsentativa, seu in repræsentando. Neque est incōveniens, quòd per speciē, quæ est entitativè finita, repræsentetur obiectum, entitativè infinitū: sicut neq; quòd per speciē, quę entitativè est accidens, repręsentetur substantia. ¶ Dices: Deus habet infinitam repręsentabilitatē intēsivè: (vt sic loquar) ergo à nulla creata specie adæquari potest illius repręsentabilitas. Resp. ita esse atque adeò prædicta species (& notitia inde genita) repræsentat quidem omnem cognoscibilitatem extensivam obiecti, hoc est, omnia, & singula prædicata, & atributa Dei; nequit tamen repræsentare omnem intensionem gradualem (vt ita dicam) illius clarè, & distinctè. ¶ Obijciunt secundò, quòd nulla species potest esse immaterialis cum Deo: ergo Dei nō datur species. Resp. negando consequētiam: solùm enim in rebus corporeis requiritur, quod species sit immaterialior obiecto, vt possit recipi in potentia.

11. Obijcitur tertiò, quòd talis species potiori ratione, quàm Angelus, & homo esset imago Trinitatis: quia repræsentat clarè, & distinctè; quòd nō habent Angel⁹, & homo. Resp. cum Scoto *in 2. dist. 3. q. 9. §. Dico igitur vers. Ad tertiū* concedēdo de imagine nō cognita, & negando de cognita. Hoc enim modo creatura rationalis est perfectior imago Trinitatis: quia perfectiori modo participat deitatem: est enim substātia intellectiva, & amativa Dei. ¶ Dicitur imago cognità illa entitas, quę movet ad cognitionem alterius, postquā ipsa est cognita à potentia: vt imago Cæsaris v. g. quæ vt ducat in cognitonem Cæsaris, debet præcognosci. Non cognita dicitur illa entitas, quæ movet potentiam ad cognitionem alterius sine eo quòd potentia ipsam præcognoscat: qualiter movet quæcumque species impressa.

12. Obijciunt 4. quidquid De⁹ habet ex se, nequit habere per aliud

aliud: sed Deus de se est intelligibilis: ergo hoc nequit habere per speciem. Maior constat: ex eo enim, quòd Deus de se est omnipotens, implicat, habere omnipotentiam à creatura: & potentia, quæ de se est facilis, nequit hoc habere per habitum. Respondetur distinguendo maiorem: nequit habere per aliud, quòd tribuat tale esse, concedo: quòd illud, quasi manifestet, nego. Species autem impressa nô dat Deo esse, sed illud esse manifestat. Hoc ferè modo effectus creatus est omninò necessarius ad manifestandū Dei omnipotentiā; nostra indigentia ad manifestandū eius liberalitatem; nostra peccata ad manifestandum eius misericordiam, &c.

13 Obijciunt quintò, sequi ex positione huius speciei, creaturam naturaliter cognoscere Trinitatis mysterium. Patet sequela: Angelus enim superior cognosceret viribus naturæ illam speciem (immò & notitiam ex illa genitā) existentem in intellectu Angeli inferioris: ergo naturaliter cognosceret eius obiectum, nempè mysterium Trinitatis; Respondetur negando sequelam. Ad probationem nego consequentiam: quia nulla species impressa repræsentat suum obiectum, vt præcognita, sed vt ratio cognoscendi; & consequenter solùm repræsentat intellectui, cui inest: quem tātùm movet ad producendum notitiam, sui obiecti: alium autem intellectum movet per novam speciem ad cognitionem sui ipsius; non autem ad cognitionem sui obiecti. ¶ Dices: Angelus superior etiam naturaliter cognoscit speciem expressam, seu notitiam Trinitatis productā ab illa specie impressa, & potentia, cui inest: sed hæc notitia expressissimè repræsentat suum obiectum: ergo hoc obiectum seu Trinitas naturaliter cognoscitur ab Angelo superiori. Respondetur negando consequentiam: quia minor solùm est vera de intellectu, cui inest notitia: cui tantùm tribuit notitia effectum repræsentandi expressè suum obiectum in genere causæ formalis.

14 Sed Vazq. *disp. 52. Lorca disp. 50. & G. Hurtado disp. 8. diff. 12.* quamvis affirment, possibilem esse speciem impressam Dei, & Trinitatis illam tamen de facto negant Christo D. eoquòd existimant notitiam ex illa ortam necessario fore intuitivam, & Beatam & consequenter dicunt, Christum D. non cognovisse clarè, & intuitivè Deum, aut mysterium Trinitatis per aliam scientiam distinctam à scientia Beata. ¶ Hi ergo obijciunt, quòd illa species esset repræsentativa Dei existentis, & præsentis ergo talis species solùm deserviet cognitioni intuitivæ, & beatæ. Respondetur negando consequentiam: quia existentia, & præsentia Dei solum intētionaliter relucent in prædicta specie: sicut quodlibet obiectum relucet

lucet in sua specie. Ad intuitionē autem requiritur necessariò, quòd obiectum secundū esse reale existentiæ, & præsentiæ terminet cognitionem: & consequenter requiritur, quòd species deseruiens tali cognitioni, (dato, quòd intuitio fieri posśit, media specie: quòd negavi *in tract. de Angelis cap. 4. diff. 3. à num. 27.*) necessariò depēdeat à reali existentia, & præsentia obiecti. ¶ Dices, quòd Deus per attributum immensitatis est realiter, & facialiter præsens, & existens omnibus rebus: ergo prædictæ speciei, & notitiæ ex illa genitæ nihil deficere potest, vt sit intuitiva. Respond. negando consequentiam: quia tàm cognitioni genitæ ex illa specie impressā, quàm ipsi speciei dicta realis præsentia est accidentaria: cùm absque illa (si per imposśibile daretur Deus absens) conservaretur, tàm eadē numero species impressa, quàm notitia ex illa genita: etenim in huiusmodi repræsentatione nulla repugnantia reperitur. Immo hoc benè declarat species impressa Petri v. g. existens in sensu interiori, cui speciei, & notitiæ ex illa genitæ accidit, quòd Petrus sit, vel nō sit realiter existens, & præsens: cū ipsummet Petrum eodemmodo repræsentet, sivè existat, sivè non existat realiter; sivè realiter sit præsens, sivè non.

15 Vnde constat, dictam speciem impressam nōn esse comprincipium visionis Beatæ: quia (admissa posśibilitate cognitionis intuitivæ, & Beatæ per speciem impressam) talis species debebat in suo esse, & conservari dependere necessariò à reali existentia, & præsentia obiecti: (quòd non habet species, de qua in præsenti loquimur, & admittimus in Christo D.) sicut dependet species, qua media corporaliter videmus; necnon, & visio ex illa genita. Adde, quòd saltem de facto visio Beata elicitur à potentia elevata per lumen gloriæ. Scientia autem Christi Domini, quam infusam vocāt, & ad quam prædictam speciem admittimus, non eget, prædicto lumine gloriæ, neque illo adiuvatur.

16 Ex dictis *à num. 7.* constat, immeritò dixisse Marsilium *in 3. quæst. 10. art. 2. p. 4.* quòd in anima Christi Domini, vna tantùm fuit species per se infusa, per quam cognovit omnia obiecta, quorum habuit sciētiam per se infusam: Hoc, inquam, immeritò dictum est: quia vna species tantùm potest repræsentare vnum obiectum. Sicut enim essentia hominis v. g. est distincta ab essentia Leonis; ita species repræsētativa hominis debet esse distincta à specie repræsentativa Leonis v. g. Quare sivè species impressæ spectent ad sciētiam per se infusam, sivè ad scientiam per accidens infusam, multiplicandæ sunt ad multiplicationē obiectorū: non enim admittimus species vniuersales in repræsentādo. De quo egi *in tract. de Angelis c. 4. diff. 3. à num. 78.*

17 No-

17 Nota demum, Christum Dominum ab instanti suæ Cõceptionis recepisse omnes, & singulas species infusas, quas in illo fuisse affirmamus à n. 6. Nulla enim apparet ratio, cur earum infusionem ad aliud tempus, aut instans differamus: & aliàs hoc commendat excellentiam, & laudem illius.

18 Habemus ex dictis hucusque in hac difficultate, in Christo D. præter scientiam Beatam, fuisse, & esse modò scientiam seu cognitionem creaturarum in proprio genere. Item habemus, hanc dividi in per se, & per accidens infusam. Et demùm habemus, quòd ad cognitionem in proprio genere (sivè loquamur de cognitione per se, sivè de per accidens infusa) requiritur species impressa obiecti cognoscendi. Quod intelligo de cognitione abstractiva: intuitiva enim cognitio in proprio genere debet fieri sine specie impressa, sed immediatè movente obiecto: vt supponit Scotus *in 3. d. 14. quæst. 4. præsertim vers. De intuitiva*; & nos latè diximus *in tract. de Angelis cap. 4. diff. 3. à num. 27.* ¶ Sed ad alia procedamus.

DVBIVM IIII.

19 PEtes quartò, an Christus Dominus actualiter cognoverit omnia illa obiecta, quorũ species recepit infusas? (Has species recepisse ab instanti suæ conceptionis notabamus *num. 17.*) Respondetur sub distinctione. De hac enim scientia eodem modo loquor quantum ad actualem extensionem illius, ac loquuti sumus *diff. 1. à num. 25.* de cognitione in Verbo respectu possibilium, & futurorum. Quia vtraque cognitio elicitur à ChristoDomino, & solùm est differentia, quòd ad cognitionem creaturarum in Verbo immediatè movet ipsemet Deus; ad cognitionem autem creaturarum in proprio genere movent ipsæmet creaturæ; vel per semetipsas, si cognitio sit intuitiva; vel per speciem sui, si cognitio sit abstractiva: vt ex dictis satis constat. ¶ Sed pro clariori intelligentia.

20 Dico primò: ab instanti suæ conceptionis cognovit Christus Dominus actualiter per scientiam infusam Deum, eius attributa, & mysterium Trinitatis. Quia hoc spectat ad eius excellentiam: ergo supposita possibilitate speciei, est Christo Domino concedendum. ¶ Dico secundò: anima ChristiD. per scientiam infusam actualiter cognovit omnia tàm existentia, quàm possibilia, quadam tamen indistinctione obiectiva Hac quippè ratione potentiæ sensitivæ visiva, auditiua, &c. simul percipiũt actualiter multa, & valde distincta. Recolantur dicta à n. 27. ¶ Dico tertiò: ex possibilibus, & existentibus pro aliqua temporis differentia tot distinctè cognovit Christus D. per scientiã infusam, quot possunt cõcedi finitæ, & limitatæ virtuti elicitivæ illiª intellectus. Quia hoc est possibile, & spectat ad illius

per-

Perfectionem. (Pariformiter est philosophandum de cognitione creaturarum in Verbo, quam habuit Christus D.) Determinare autem, quanta, & qualia obiecta sint, quæ actualiter noverit distinctè, non est nostrum, neque sapientiæ creatæ. Illud tamen est nobis indubium, quòd per talem cognitionem indistinctam, & confusam ex parte obiecti intellectus Christi Domini, sic constitutus fuit potēs in actu primo ad distinctè cognoscendum quodcumque obiectum, vt pro libito suæ voluntatis potuerit se conuertere ad quodlibet cognoscendum distinctè.

21 Et quamvis hæc nostra resolutio, præsertim secunda conclusio non sic expressis verbis tradatur à Scoto, aut ab Auctoribus; (quos viderim) puto tamen, non paucos, & præsertim Scotum in illam posse vocari. Sed vt hoc clarè constet, videamus, quid in hoc dubio dixerint Auctores. ¶ Scotus *in 3. d. 14 q. 3. §. Ad quæstionem versic. Quod sic* loquendo de cognitione creaturarum in proprio genere, quam habuit Christus D. sic loquitur. *Nec tamen oportet ponere animam illam nosse actualiter quidditates, nec singularia.* Et assignans rationem subdit. *Quia notitia actualis in genere proprio est secundùm virtutem naturalem ipsius intellectus in se.* (Expendatur ista causalis Scoti: eadem enim currit in scientia creaturarum in Verbo. Et ideò nos de vtraque eodem modo loquuti sumus) *Non autem potest intellectus finitus ad quæcumque obiecta simul distinctè percipiendà converti virtute naturali.* Tamen hæc verba nobis non nocent: loquitur enim ibi Scotus de cognitione distincta: vt apertè declarat ly *distinctè*: quòd, & nos fatemur. Non tamen negat cognitionem indistinctam, quam nos affirmamus, & passim experimur in sensationibus exterioribus. ¶ Suarez *disp. 27. sect. 4. Montes. & Lorca disp. 50.* negant, cognovisse Christum Dominum per scientiam in proprio genere omnes quidditates possibiles. ¶ Oppositum defendit Felix *cap. 15. diff. 6. citans Scotum in 3. d. 14. q. 3. §. Ad quæstionem, Radam, Fabrum, & Pirygianum.* Negat tamen cum eisdem auctoribus, & Lorca, cognouisse per hanc scientiam (nempe in proprio genere) omnia singularia existentia pro quacumque temporis differentia. Quam singularium cognitionem concedunt D. Tho. *3. q. 11. art. 1. ad 3. & Thomistæ ibi. Item Suar. disp. 27 sect. 2. Vazquez, & Montes. citati, à prædicto Felix.* Timeo tamen, ne Felix Scoticè nimis in præsenti loquatur concedens Christum Dominū per hanc sciētiam cognovisse omnes quidditates possibiles; & negans cognovisse omnia existentia pro qualibet temporis differentia. Scotus enim in præcitatis verbis expressè negat cognitionem quidditatū sicut, & singularium. Quare vtrāque debet Felix negare. ¶ Sed, hoc omisso, tàm ipse, quàm cæteri

teri Auctores citati possunt vocari in nostram sententiam. Quando enim negant in Christo Domino aliquorum obiectorum cognitionem, ipsos explicamus de cognitione distincta: de indistincta autē, aut confusa ex parte obiecti, quando concedunt Christi Domini animam omnia obiecta possibilia, aut existentia simul actualiter cognovisse.

22 Denique dico quartò: probabile mihi est, Christum Dominum etiam per scientiam in proprio genere infusam cognovisse simul actualiter omnia possibilia (& à fortiori existentia) quorum species recepit infusas. Quia de hac cognitione eodemmodo ac de cognitione creaturarum in Verbo debemus loqui. (v.t. *num. 19. & 21.* expendebamus) Sed; quod etiam distinctè omnia cognoverit Christus D. per scientiam creaturarum in Verbo, diximus probabiliter *diff. 1. num. 34. & 35.* ergo possumus dicere probabiliter, cognovisse Christum Dominum etiā per scientiam infusam distinctè omnia, & singula tàm existentia pro quavis temporis differentia, quàm possibilia.

DVBIVM V.

23 PEtes quintò, an per scientiā in proprio genere cognoverit Christus Dominus futura cōtingentia? Respondetur negativè. Quia veritates contingentes non possunt cognosci ex vi cognitionis extremorum, seu quātumvis cognoscantur termini illorū: v. g. quantumvis clarissimè cognoscam hos duos terminus Petrum, & peccatum, non possum cognoscere, quod Petrus peccabit: quia complexio seu coniunctio illorum est quid distinctum ab illis; & quòd ponatur, vel non ponatur in rerum natura est omnino contingens, seu nullam connexionem habet cum prædictis extremis: sicuti habent risibile cū rationali; Petrus cum substantia, &c. Propter quam connexionem certissimè cognoscimus per necessariam consequentiam, quòd si in rerum natura ponitur risibile, ponetur etiam rationale; quod si ponatur Petrus, erit substantia, &c. Ita Scotus *in 3. d. 14. q. 3. § Ad quæstionem, vers. Etsi dicatur, Felix cap. 16. diff. 4. & multi Scotistæ in manuscriptis. Item Rada, & Fab. citati à Castillo disp. 15. q. 4. num 53. vbi dicit, sic etiam prius docuisse D. Thom. in 3. d. 14. q. 1. art. 3. & de veritate quæst. 20. art. 6. Possuntque in hanc sententiam vocari Suar. Vazq. & Hurt. citati ab eodem Castillo ibi n. 54. quatenùs affirmant, Christum Dominum non cognovisse futura per proprias illorum species.*

24 Sed Christum Dominum cognovisse futura per scientiam infusam docēt communiter Thomistæ cum D. Thom. *3. p. quæst. 11. art. 1. Item Suarez disp. 2. sect. 2. Vazq. disp. 52. cap. 2. G. Hurtado disp. 8. diff. 10. Montes. Imms, & ex nostris Rada, & Fabro citati à Fel. cap.*

cap. 16. *diff.* 4. dicentes cognosci futura contingentia non præcisè per scientiam infusam, sed simul per revelationem divinam. Hanc tamen limitationem non ponit noster Castillo, qui istam sententiam absolutè defendit *disp.* 15. *q.* 4 *à num.* 57. qui frustra contendit, hanc sententiam non esse contra Scotum; Scotistasque minùs consequenter ex vna parte negare cognitionem futurorum contingentium per scientiam Infusam; & ex alia concedere species abstractiuas plurium singularium. Igitur quòd hæc sententia sit contra Scotum constat ex loco citato. ¶ Quod autem Scotistæ loquantur consequenter (negantes cognitionem futurorum contingentium per hanc scientiam, & aliàs concedentes species plurium singularium) constat ex eo quod primum negant ex eo quod inter extrema ista (v.g. Petrus cras peccabit) non est connexio, & ideo etsi extrema per species cognoscantur, non potest cognosci complexio ex vi cognititionis extremorum. Concedunt meritò species singularium ad illa cognoscendum abstractivè; hoc est, præscindendo ab hoc, quod illud singulare (Petrus v.g.) habiturum sit coniunctionem cum illo alio singulari. (peccato v.g.)

25 ¶ Igitur pro ista Thomistarum sententia obijcitur illud Ioan. 14 *num.* 29. *& nunc dixi vobis priusquã fiat*: ergo Christus Dominus cognovit futura contingentia. Respondetur cognovisse quidem per scientiam beatam, seu movente Deo ad illorum cognitionem: non autem per species, aut per sciẽtiam in proprio genere: quia hoc est impossibile. ¶ Contra: futurum contingens est ens: ergo cognoscibile: ergo per propriam speciem. Respondetur negando secundam consequentiam: species enim, dum permanet, semper repræsentat rem eodem modo: atque adeo si futuritio contingens (Petri v.g. peccaturi) posset repræsentari per propriam speciẽ; postquam res præterijt, & dùm habet actualem existentiam, repræsentaretur, vt futura. Igitur futurum contingens solùm est cognoscibile per visionem Beatam (hoc est, Deo immediatè movente ad talem cognitionem) vel per reuelationem. Sicuti res credibilis, vt talis, solùm est cognoscibilis per fidem, & non in se ipsa.

26 Pro pleniori intelligentia nota, nos non negare species impressas contingentiæ, & futuritionis, seu per quam essentia futuri contingentis cognoscatur abstractivè: sed solum negamus speciem impressam, per quam certificetur intellectus, quòd aliquod futurum contingens ponetur in rerum natura. ¶ Eodem modo loquendum est de præteritione, & de præsentialitate. Quamvis enim detur species impressã abstractivè repræsentans præsentialitatem, aut præteritionem alicuius rei: intellectus tamen informatus per illam, cognos-

noscet quidem essentiam præteritionis, seu præsentiæ; non tamen manebit certus, quòd res aliquando extitit, vel existit extra causas. Et omnium eadem est ratio, nempè, quòd futuritio, præsentia, vel præteritio non connectuntur necessariò, sed solùm contingenter cum re creabili. Quare postquam intellectus informatus fuerit speciebus impressis Petri v. g. futuritionis, præsentiæ, & præteritionis, cognoscet quidem essentiam Petri, necnon & futuritionis, præsentiæ, & præteritionis: manebit tamen dubius an Petrus coniungendus sit cum futuritione, præsentialitate, aut præteritione. Hac ratione dictitant, quòd posita tota linea scientiæ simplicis intelligentiæ, qua cognoverat Deus omnium rerum essentias: & consequenter præsentiæ, futuritionis, & præteritionis; nullum futurum, præsens, aut præteritum agnovit; sed solum possibile esse, quod existentia futura, præsens, aut præterita coniungeretur cum obiecto possibili.

27 Simili modo Philosophandum est de re habente realem existentiam, si comparetur cum prædicato, quod convenit ei, non necessariò, sed contingenter, de Petro v. g. comparato cum albedine. Etsi enim intellectus cognoscat Petrum existentem; necnon, & albedinē existentē; tamen horū extremorū cōplexionē futuram, præteritam, aut præsentem numquam cognoscet per species, quibus cognoscit extrema: quia veritas illius complexionis nō clauditur in extremis. Et ideo complexio contingens non est cognoscibilis per speciē abstractivam; sed generaliter per revelationem, aut movente Deo per se ipsum immediatè: specialiter autem solum potest complexio cōtingens cognosci quantum ad futuritionem per fidem, aut movente Deo per se ipsum immediatè: & quantum ad præsentiam per intuitionem; & quantum ad præteritionem per recordationem cognitionis, quæ aliquando extitit in cognoscente. Legatur Scotus *in 3. d. 14. qu. est 3. §. Ad quæstionem à vers. Loquendo.*

¶ Hinc refutatus manet Castillo *disp. 15 q. 4.* præsertim *n. 66.* affirmans, quòd multiplicando species scilicet subsistentiæ, futuritionis, tēporis, contingentiæ, &c. potest cognosci futurū contingens. Fallitur tamen, quia, vt constat ex dictis, per illas omnes species solùm cognoscitur entitas futuri, tēpus, futuritio, cōtingentia, &c. non autē eorum connexio, seu adunatio. Manent etiam soluta aliqua Scoti testimonia adducta ab codē Cast.

28 Hucusque dicta in hac difficultate spectant ad cognitionem (scientiā vocant) Christi D. in proprio genere in cōmuni, & quasi generice. Cū autē hæc cognitio creaturarū in proprio genere, quam ab instanti suæ Conceptionis habuit Christus diuidatur in per se infusā, & in infusā per accidens; (ex *n. 2.*) descēdēdū est ad agēdū de vtraq; singillatim.

Diff-

DIFFICVLTAS III.

De spectantibus ad scientiam, seu cognitionem Christi Domini quæ dicitur per se infusa.

DVBIVM I.

1 PEtes primò, an sit omninò certum apud auctores fuisse in Christo Domino scientiam, seu cognitionem per se infusam? Respondetur negativè. Itaque quamvis sit certissimum, fuisse in Christo Domino scientiam, seu cognitionem in proprio genere: non tamen est ita certùm fuisse in eo cognitionem istam per se infusam. Quamvis enim illam concedant *D. Thom. Suar. Vazq. Ragusa, Alvarez, & Becanus, quos citat & sequitur G. Hurtad. disp.* 8. *diff* 9. quod, & passim supponunt, & fatentur multi alij. Tamen id negāt nostri *D. Bonaventura, Alensis, & Ricardus: item Dur. Gab. & Almaynus.* Immo Cavellus in *Scholio ad §. Hic distinguitur in* 3. *d.* 14. *q.* 3. dicit, quòd Scotus videtur negare scientiam per se infusam datam animæ Christi Domini. Quare meritò concludit, quod Medina 3. *q.* 9. *art.* 6. ex suo cerebro censurat hoc, vt temerarium.

2 Igitur non est omnino certū, fuisse in Christo D. scientiam, seu cognitionem in proprio genere, quam per se infusam vocant. Tamen, cùm communior opinio in eo talem scientiam fuisse affirmet: & meritò: sunt enim aliqua obiecta, quorum species non sunt acquisibiles per proprium laborē, aut industriam alicuius creaturæ: v. g. species Dei, aut Trinitatis. Ideò in præsenti de scientia, aut cognitione per se infusa Christi Domini tractamus. ¶ Cùm autem in scientijs, aut cognitionibus tria inveniantur, nempe obiectum, actus, & habitus; de singulis istorum est agendum.

De obiectis scientiæ per se infusæ.

DVBIVM II.

3 PEtes secundò, quot, & qualia obiecta spectent ad scientiam per se infusam? Respondetur, omnia, & illa solùm obiecta, spectare ad hanc scientiam; quorum species proprio labore, aut alicuius creaturæ creatæ, vel creabilis non possunt acquiri: quia vt *sup. n.* 2. declaravimus, & probauimus, scientia per se infusa est illa, ad quam prædictæ tantùm possunt deseruire. Vnde facilis erat mihi huius dubij decisio: Cùm enim quæcumque creatura (saltem existens) ex natura sua sit cognoscibilis ab alia; nulla erit obiectum scientiæ per se infusæ. Insuper cùm species Dei, eius attributorum, mysterij Trinitatis, & Incarnationis, à nulla creatura sit acquisibilis; Deus, eius attributa, mysteria Trinitatis, & Incarnationis erunt

erunt obiecta prædictæ scientiæ: atque adeò istorum cognitio spectabit ad sciētiam per se infusam. Sed quamvis hæc mihi sint certa: quia tamen non omnibus arridēt; & vt simul sciatur, quid de diuersis obiectis dixerint Auctores, nonnulla sunt specialiter disputanda.

DVBIVM III.

4 PEtes tertiò, an obiecta materialia, seu sensibilia spectent ad scientiam per se infusam? Respondetur negativè. Quia à quocumque obiecto materiali, seu sensibili potest aliqua creatura acquirere speciem: ergo neque ipsa species, (etiam si aliàs alicui infundatur) neque cognitio inde orta potest spectare ad scientiam per se infusam; sed ad per accidens infusam: iuxta dicta *diff. 2. à num. 2.* Ita Scotus *in 3 d. 14. q. 3. §. Contra conclusionem præsertim verſ. Præterea, Pitig. Fabro. & communiter Scotistæ, quibus adde Durandum; quod, & probabile reputat Lorca disp. 49. & 50. vt testatur Felix cap. 16. diff. 5.* vbi prædictos auctores citat; & hanc sententiam absolutè sequitur.

5 Sed D. Thom. *3. q. 11. art. 1. & communiter Thomistæ. Item Suarez, & Vazquez quos citat, & sequitur Castillo disp. 15. q. 4. num. 27.* affirmant, Christum D. cognovisse obiecta materialia scientia per se infusa. Et obijciunt Scotum *in 3. d. 14. q. 4* dicentem, Christum Dominum habuisse species intelligibiles perfectissimas: ergo sentit, has esse adeo perfectas, vt à nulla creatura sint acquisibiles: ac per consequens sentit, quòd sunt per se infusæ: & consequenter, quòd etiam est per se infusa scientia ex illis orta. Respondetur negando consequentiam: solùm enim vult, infusas fuisse Christo D species intelligibiles perfectissimas, quæ haberi possunt à suprema creatura. Cùm enim tales species non solū producantur ab obiecto, sed etiā ab intellectu agente; quantò perfectior est creatura, tantò perfectiorem speciem intelligibilem producit. Igitur vult Scotus, fuisse infusas Christo D. species intelligibiles adeò perfectissimas, vt perfectiores à nulla creatura (adhùc Angelica) creata, vel creabili essent producibiles.

6 Dices: intellectus agens Christi D. non posset producere species adeò perfectas: ergo sine fundamēto dicitur fuisse illi infusas species adeò perfectas. Resp. negando antecedens propter dicta *in hoc cap. diffic. 1. à num. 11.* Itaque cùm intellectus Christi D. specificè non differat, hoc est, non superetur in specifica perfectione ab intellectu Angeli, (imò neque ab aliquo creabili: gradus enim intellectivus hominis, Angeli, & cuiuscumque alterius creaturæ possibilis, immo & ipsius Dei est eiusdem rationis: sicut gradus entis, substātiæ, &c.) & aliàs in perfectione individuali sit perfectissimus creatus, immo, & creabilis; potest producere per-

 se-

fectissimas species. ¶ Adde, quòd adhuc admisso, intellectum Christi Domini esse imperfectiorem specificè, aut indiuidualiter intellectu Angelico, posset prædictas species perfectissimas producere, Deo cum illo miraculosè concurrente ad talem productionem; iuxta dicta *diff.* 1. *n.* 12 & 13.

7. Respondetur secundò. (omisso antecedenti) negando consequentiam, hoc enim postulabat excellentia tantæ personæ. ¶ Dices: ergo propter excellentiam Christi Domini debent illi concedi species intelligibiles diuersæ speciei, & pertinentes ad scientiam per se infusam: Respondetur negãdo suppositum, nempè posse de eodem obiecto dari species intelligibiles diversæ speciei: vtraque enim, & quæcumque creabilis esset intelligibilis repræsentatio eiusdem obiecti. Itaque sicuti nulla potest dari imago, seu pictura Cæsaris v.g. quamtumvis à perfectissimo Apelle delineetur, quæ specificè differat ab alia pictura eiusdẽ Cæsaris: ita nulla potest dari species intelligibilis specificè distincta ab alia repræsentativa eiusdem obiecti. ¶ Contra: species intelligibilis creaturæ petit produci ab obiecto, & intellectu agente: ergo ab intellectu agente creaturæ specificè distinctæ (qualis est Angelus comparatus cum homine) producetur species intelligibilis specificè diversa. Respondetur negando consequentiam; quia cõtingit in præsenti, quòd multoties, nempè quòd diversitas specifica causarum materialiter, & per accidens se habet respectu effectuum, qui eiusdem speciei prorumpunt, non obstante specifica distinctione causarum. Hac ratione Adamus immediatè productus à Deo, imo, & per creationem non differt specificè à Petro v. g. immediatè producto ab homine; imo, & per generationem. Item calor immediatè productus ab igne solùm numericè differt ab alio calore producto à sole, & ab alio calore, imò, & à Deo per creationem. (si sic produceretur) Sic species intelligibilis producta ab Angelo non differt specificè ab illa, quam producit intellectus agens hominis; etiamsi Angelus, & homo specificè differãt. Et omnium eadem est ratio, nempè quòd tales effectus non procedunt à suis causis, quatenùs specificè differunt, sed quatenus habẽt virtutem producendi illos; qua ratione solùm numericè differunt: sicut solùm numericè differunt animalitas hominis, & animalitas Leonis v.g.

8. Petes, quando ex specifica distinctione causæ, seu principij poterimus colligere distinctionẽ specificam effectus? (vt colligi docet Scotus *præsertim in* 4. *dist.* 49. *quæst.* 5. 6. *Ad quæstionem, vers. Aliter* his verbis. *Fruitio Beata, & non beata differunt specie, se ipsis quidem formaliter; sed à causis vel habitudine causarum causaliter*) Respondetur, quando causæ vt specificè distinctæ causant effectus: vt continn-

tingit in homine v g. causante hominem, si comparetur cum Leone causante leonem: istæ enim causæ constituuntur causæ illorũ effectuum, & illos causant per formas specificè distinctas: quales sunt forma hominis, & forma leonis. Quando autem causæ non causant per aliquid specificè distinctum, sed per aliquid, in quo conveniunt; quamvis ipsæ specificè differant, effectus illarum non participant distinctionem suarũ causarum. Legatur Scotus *in 2. dist. 1. quæst. 5. aut 6. §. & vers. Potest addi*, vbi affirmat, quod *intellectualitas Angeli in quantum intellectualitas nõ differt specie ab intellectualitate animæ, inquantùm intellectualitas, hoc est, quòd licèt iste actus primus, & ille* (scilicet Angelus, & anima) *differant specie, vt considerantur absolutè in se, non tamen secundùm illam perfectionem, quam virtualiter continent, secundùm quam sunt principia actuum secundorum*. Quod probat instantia aquilæ, & bovis, quorum animæ differunt specie; non tamen vis visiva vtriusque. Item probat instantia passionum entis; quæ solùm numero differunt in rebus differentibus plusquàm specie: vt patet de vnitate lapidis, & de vnitate hominis: quæ vnitates solùm numero differunt. ¶ Ad rem ergo homo, & Angelus, quamvis differant specificè; causant tamen species intelligibiles, non quatenùs differũt specie; sed quatenùs habent intellectus agentes differentes solùm numero.

9 Sed contra conclusionem *n*.4. positam adhuc obijcies, quòd in Christo D. fuit cognitio matutina, & vespertina circa idẽ obiectũ creatũ: ergo etiã poterit esse circa idẽ obiectũ sensibile alia, & alia cognitio, quarum vna fiat per speciem per se infusam, & alia per speciem per accidens infusam. Respondetur negando consequentiam: quia cognitio matutina, & vespertina sunt diversæ rationis; (hoc est, ad vnam movet Deus & ad aliam species) & ideò possũt multiplicari in eodem intellectu. Per species autem non multiplicantur cognitiones specie distinctæ circa idem obiectum: cùm idem eodem modo cognoscatur per vnam, ac per aliam: ac per cõsequens vna ex illis cognitionibus superflueret. ¶ Contra, quòd obiectum sensibile per diversas species attingitur à sensu, & ab intellectu: ergo eiusdem obiecti potest dari alia, & alia species inferioris, & altioris ordinis, ex quibus oriantur cognitiones specificè diversæ: Respondetur concedendo consequentiam de speciebus diuersæ naturæ; quales sunt sensibiles, & intelligibiles inter se comparatæ: & negando de speciebus eiusdem naturæ, seu ordinis: quales sunt omnes species intelligibiles inter se comparatæ: & omnes sensibiles etiam inter se comparatæ.

(∴)

DVBIVM IIII.

10 PEtes quartò, an obiecta creata spiritualia spectent ad scientiam per se infusam? Respondetur negativè. Quia istorum obiectorum species possunt acquiri à creatura nempè ab Angelo, & ab anima separata: & consequenter cognitio cuiuscumque illorum spectat ad scientiam per accidens infusam iuxta dicta *diff. 2. à num. 2.*

11 Vnde infero, Angelos, animam separatam, existentiam corporis Christi Domini in Eucharistia, lumen gloriæ, habitualem gratiam, & alia dona iustorum non esse enumerāda inter obiecta scientiæ per se infusæ: & consequenter cognitiones, quas de eis habuit Christus D. non spectare ad scientiam per se infusam. Quia à quocumque istorum sunt acquisibiles species ab aliqua creatura.

¶ Sed Felix *cap. 16. diff. 3. &* *Castillo disp. 15. quæst. 4. à num. 41.* (qui affirmat, in hoc conuenire Scotistas, & Thomistas) oppositum defendunt; & obijciunt, quòd Christus D. non potuit acquirere species illorum obiectorum: ergo sunt obiecta scientiæ per se infusæ. Respondetur negando consequētiam: quia ad scientiam per se infusam requiritur, quòd à nulla creatura possit acquiri species illius obiecti iuxta dicta *diff. 2 à num. 2.*

¶ Sed instat Castillo *ibi num. 43.* quòd species infusæ Christo Domino fuerunt adeò perfectæ, vt à nulla creatura possent acquiri: ergo spectant ad sciētiam per se infusā. Resp. negando antecedens: Cùm enim obiecta ista sint attingibilia à potentia creata per suas naturales vires; fit, vt species illorum per accidens infundantur, quando alicui infunduntur. ¶ Addo, quòd etsi posset poni in specie, alias acquisibili, & à Deo infusa quædam talis perfectio à creatura inattingibilis; hoc non extraheret speciem illam à linea acquisibilis; neque illā, aut scientiam inde ortam transferret ad lineam scientiæ per se infusæ. Hac ratione si delinearetur à Deo imago Virginis v.g. adeò perfecta, vt à nulla creatura similis posset depingi, non extraheretur à linea picturæ, nec ab alijs differret essentialiter: vt *n. 7.* expendebamus. Itē si daretur calor infinitè intensus, aut linea infinitæ magnitudinis, nō extraherētur à prædicamē tis: quia talis perfectio est illis accidentalis; & ex natura creaturæ illam non petebat.

12 Infero secundò, secreta cordium non esse obiecta scientiæ per se infusæ: atque adeò cognitiones, quas de illis habuit Christus D. non spectare ad scientiam per se infusam. Quia talia secreta sunt cognoscibilia ab Angelo saltèm, quamvis defacto propter specialem providentiam etiam Angelis occultentur. De quo latè egimus in tractatu de Angelis *cap. 4. diff. 4 à n. 30.*

13 Infero tertiò quidditates rerū possibilium non esse obiecta scien-

ſcientiæ per ſe infuſæ. Quia Angelus ſaltèm poteſt formare ſpeciem intelligibilem cuiuſcumque poſsibilis: & conſequenter cognitio, quam de his poſsibilibus habuit Chriſtus D non ſpectat ad ſcientiā per ſe infuſam. ¶ Sed *Rada, Fabro, & Pityzianus, quos citat, & ſequitur, Felix cap. 16. diff. 6.* oppoſitum defendunt: & obijciunt Scotum *in 3. d. 14. quæſt. 3. §. Ad quæſtionem verſic. De cognitione abſtractiva.* Reſp. ſolùm affirmare, Chriſtum Dominum per proprias ſpecies cognoviſſe quidditates rerum; non autem determinat, prædictas ſpecies, aut cognitiones inde ortas ſpectare ad ſcientiam per ſe, aut per accidens infuſam.

DVBIVM V.

14 PEtes quintò, an Deus, eius attributa, myſterium Trinitatis, & Incarnationis ſint obiecta ſcientiæ per ſe infuſæ? Reſpondetur affirmativè. Quia horū ſpecies (quas dabiles eſſe ſuppono *ex diff. 2 à num. 9.*) non ſunt acquiſibiles ab aliqua creatura: atq; adeò tam ipſæ ſpecies, quàm cognitiones inde ortæ ſpectant ad ſcientiam per ſe infuſam. ¶ Quòd prædictæ ſpecies non ſint acquiſibiles, conſtat mihi ex eo, quòd Deus eſt obiectum, aut ſpeculum voluntarium; vt dictant PP. & Theologi. Legatur Scotus *quodl. 14. §. & verſic. De ſecundo principali:* vbi adducit illud Ambroſij ſuper Lucam: *In eius poteſtate ſatis eſt videri, cuius natura eſt videri:* (ſupple, à creatura: gloſſat Scotus) *ſi vult, videtur: ſi non vult, non videtur.* Idē habetur ex Aug. *de videndo Deum.* Legatur etiam idem Scotus *in 3. d 14. q. 2. §. & verſ. Sed ſi iſtæ viæ,* vbi dicit, quòd Deus, ſeu *Verbū eſt manifeſtativū, aut ſpeculum voluntarium repræſentans omnia.* Hinc fit, quòd quamvis Deus ſit intimè præſens omnibus intellectibus, ſolos Beatos regulariter movet ad cognitionem ſui, & aliarum rerū ad menſuram ſuæ voluntatis.

¶ Ex dictis autem *diff. 2. à n. 10.* ſoluta manent omnia, quæ cōtra cognitionem iſtam Dei, & Trinitatis per ſcientiam in proprio genere (quam abſtractivam vocamus; eoquod fit media ſpecie impreſſa) poſſunt hic adduci. Itē ſoluta manent, quæ adduci poſſunt ad probandū, impoſsibile eſſe talem ſpeciē: vt dicunt multi Thomiſtæ. Inſuper manent ſoluta, quæ adducit Vazq. ad probandum, quòd cognitio ab illa ſpecie Trinitatis orta foret Beata. ¶ Nota demū, quòd myſterium Incarnationis dicitur à nobis ſpectare ad ſciētiā per ſe infuſam: eo quòd Verbum diuinum terminans naturam humanā Chriſti D. eſt obiectum voluntarium. Quare ſicut à nulla creatura poteſt in ſe videri, niſi ipſummet voluntariè ſe manifeſtet. Ita nequit videri, vt terminans naturam humanā ſine voluntaria ſui ipſius manifeſtatione. Et ideò ſicut cognitio Dei in ſe ſpectat ad ſcientiam per ſe infuſam: ita cognitio Incarnationis.

De actu scientiæ per se infusæ.

15 Habemus ex dictis in hac difficultate, nullum ens creatum esse obiectum scientiæ per se infusæ. Item habemus, solum Deum, eius attributa, mysterium Trinitatis, atque Incarnationis ea parte, qua Verbum diuinum terminat naturam assumptam esse obiecta scientiæ per se infusæ. Ex quibus apertè constat, actum scientiæ per se infusæ solùm attingere Deum, eius attributa, & mysteria Trinitatis, atque Incarnationis ea parte, qua Verbum terminat naturam assumptam. Quo supposito de actu scientiæ per se infusæ nonnulla dubia restant examinanda.

DVBIVM VI.

16 Petes sextò, an omnia obiecta huius scientiæ cognoverit Christus D. actu simul? Respondetur affirmativè. Quia hoc spectat ad illius excellentiam. Itaque Christus *D.* actualiter cognovit per proprias species clarè, & distinctè atque simul Deum, omnia eius attributa, & mysteria Trinitatis, atque Incarnationis. In hac conclusione nullus fortè à nobis dissentiret, si sibi persuaderet, hæc tantùm obiecta ad scientiam per se infusam spectare. Quia tamen Auctores communiter ad plura obiecta hanc scientiam extendũt; ideò inter sese de hac re dissentiunt. Etenim D. Thom. *Richard. Gab. Almaynus, & multi alij, quos sequuntur Lorca disp. 51. memb. 2. n. 9 & Suar. disp.* 28. *sect.* 2. negant, Christum D. actualiter simul cognouisse omnia obiecta huius scientiæ. ¶ Oppositum tamen affirmant *Vazq. disp. 53. cap.* 2. *& G. Hurt. disp. 8. diff. 16. quibus consentire videtur Petrus Hurt. tomo de Incarnat. disp. 56. sect. 5. subsect. 1,* §. 43.

17 Adde, nostram conclusionem esse intelligendam de cognitione intuitiva, necnon & de abstractiua. Quia cognoscere rem omnibus modis, quibus cognoscibilis est, spectat ad perfectionem cognoscentis. Et ideò *in tract. de Angelis c 4. diff. 2. à n.* 19 statuimus, in Angelo esse concedendas duas cognitiones de obiecto præsenti, alteram intuitivam, & abstractivam alteram. Quam esse sententiam Scoti, probavimus ibi, expressis illius testimonijs depromtis. Itaque Christus *D.* cognouit Deum, eius attributa, mysterium Trinitatis, & Incarnationis per scientiam infusam abstractivè simul, & intuitivè. Abstractivè quidem, quatenus media specie impressa movebatur eius intellectus ad horũ obiectorũ cognitionẽ. Intuitivè verò, quatenus prædicta obiecta per se ipsa immediatè mouebant ad sui cognitionem. Neutra autẽ harũ cognitionũ erat beata: quia neutra exigebat lumen gloriæ ex parte intellectus. Recolantur dicta *disp. 2. à num.* 14.

DV-

DVBIVM VII.

18 Petes septimò, an vnico actu cognouerit Christus D. omnia obiecta scientiæ per se infusæ? Respond. negativè. Quia sunt plura obiecta, quæ per hanc scientiam cognoscuntur: ergo nequeunt cognosci per eumdem actum. Patet consequentia: ad hanc scientiam (cum sit in proprio genere) movent obiecta ipsa; vel per se ipsa immediatè; si cognitio sit intuitiva: vel per impressam speciē sui; si cognitio fuerit abstractiva. Quare in nostra sententia quadruplex saltèm actus scientiæ per se infusæ est admittendus in Christo D. alter, quo cognoscat Deū, eius attributa, & mysteriū Trinitatis. (hæc enim omnia quasi integrant vnum obiectū: & ideò vnico actu cognoscuntur) Item ponendus est alter actus huius scientiæ, quo cognoscat mysteriū Incarnationis, saltèm ea parte, qua divinū Verbum (tamquā obiectū voluntariū cognitionis creatę) terminat naturam assumptam. Incarnatio enim est diversum obiectū movens potentiā tantùm ad sui cognitionē: & ideò potentia circa illam elicit distinctū actum. Igitur cùm in nostra sentētia nullum aliud obiectum scientiæ per se infusæ detur nisi Deus, eius attributa, & mysteria Trinitatis, (quæ per vnum actum attinguntur: cùm vnum obiectum quasi integrent) & Incarnationis; duplex actus est admittendus; sicut duplex est obiectum per se ipsum mouens ad cognitionem sui. Insuper cùm istud duplex obiectum simul abstractivè, & intuitivè cognoscatur à Christo *D.* per scientiā in proprio genere; fit planè, quòd quatuor actus huius scientiæ admittamus in Christo D. ¶ Pro hac nostra conclusione quatenùs admittūt in Christo D. plures actus huius scientiæ per se infusæ, possent citari multi Theologi: quia ferè omnes affirmant, varios, & multiplices esse actus huius scientiæ. Legatur Suar. *disp. 28. sect.* 1.

19 Sed Marsilius *in 3. quæst.* 10. *art, 2. p. 4. concl. 2 & 3.* dicit Christum D. vnico, & eodem actu cōtemplari omnia, & singula obiecta huius scientiæ. Et obijcit: possibile est, quod potentia attingat plura obiecta disparata vnico, & eodem actu: ergo nō est necessarium multiplicari actus scientiæ per se infusæ. Antecedens constat *ex diff.* 1. *num.* 38. vbi statuimus cum communiori sententia, Deum, & creaturam videri à Beato vnica, & eadem cognitione. Resp. negando consequentiā: quia antecedens solùm est verum de actu beatifico, aut de actu, quem infunderet Deus: qui, cùm contineat virtualiter cognoscibilitatem omnium cognoscibilium, potest movere ad cognitionem omnium ipsa fortè vnico actu repræsentando. Falsum autem est antecedens loquendo de actu, ad quem eliciendum movent species, aut obiecta ipsa creata: cùm enim qualibet

species creata solùm contineat cognoscibilitatem proprij obiecti, (idem est de obiecto per se ipsum movente) solùm ad cognoscendum proprium obiectum potest movere potentiam. ¶ Dices: simul mouent diversæ species: ergo potest potentia mota ab omnibus illis, simul elicere vnum actũ repræsentantẽ omnia obiecta illarum specierum. Respondetur negando consequentiam: quia motio cuiuslibet speciei petit, quòd potentia eliciat distinctum actum circa suum obiectum. Neque potest potentia invertere ordinem rerum: & sic debet multiplicare actus ad multiplicationẽ motionum specierum. Hinc ortum habuit vulgare illud: *actus specificantur* (hoc est, cognoscuntur, aut distinguuntur) *ab obiectis*. Quod non solùm est verũ de diversitate specifica, sed etiã de numerica: sicut enim benè infertur ex diversitate specifica obiectorũ, actus esse specificè diversos: ita benè infertur ex diversitate numerica obiectorum non subordinatorum, & moventium aut per se, aut per proprias species, diversitas numerica actuum, quibus talia obiecta attinguntur. ¶ Nec nobis potest obijci, quòd *diff. 1. num. 22.* dixerimus, potuisse per scientiam in proprio genere cognovisse Christum Dominum omnia existentia, & possibilia simul distinctè. Ibi enim solùm probabiliter locuti sumus.

DVBIVM VIII.

20 PEtes octavò, an ab instante suæ Conceptionis habuerit Christus Dominus scientiam per se infusam, seu actualem cognitionem omnium obiectorum huius scientiæ? Respondetur affirmativè. Quia cedit in excellentiã Christi Domini, & aliàs cum in nostra sententia sint paucissima obiecta huius scientiæ (nempe Deus, eius attributa, & mysteria Trinitatis, & Incarnationis) nullũ apparet incommodum ponere ex tunc prædictam scientiam, per quã distinctè cognouerit prædicta obiecta. Confirmatur ex dictis *diff. 2. num. 20.*

DVBIVM IX.

21 PEtes nonò, an Christus Dominus cessaverit aliquandò ab exercitio scientiæ per se infusæ? Respondetur negativè. Quia hæc non cessatio extollit excellentiam Christi D. & aliàs non apparet aliquod incommodum in hac continuatione, seu perseuerantia. ¶ Dices, exercitium huius scientiæ impedire exercitium potentiæ circa alia obiecta, ne perfectè ad illa attendat. Quod constat in extaticis, qui, dum perfectissima cognitione circa Deum aguntur, quasi soporantur circa obiecta externa. Respond. negando assumptũ. Ad instantiam dico, hoc provenire ex imperfectione huius status &

& simul ex minima capacitate illorũ, qui eum incolut. Quod longè abfuit à Christo Domino necnon & à Beatis in corporibus assumptis. Et ideo sicut per exercitium scientiæ Beatæ non impediebatur Christus Domin⁹ ab exercitio scientiæ in propio genere: ita per exercitium scientiæ in proprio genere circa Deum, &c. non impediebatur, nec impediuntur Beati ab exercitio scientiæ in proprio genere circa alia obiecta.

¶ Hinc reijcio Gabrielem *in 3. dist. 14. quæst. 1.* asserentem, Christum Dominũ cessasse a sciẽtia Beata circa obiecta, quæ cognoscebat sciẽtia per se infusa. Vbi duo falsa involvuntur. Primum est, Christum Dominum aliquando cessasse à scientia Beata. Secũdum est, aliquando cessasse à sciẽtia per se infusa. Item est falsum eius fundamentum, scilicet has scientias esse incompossibiles.

De modo quo Christus D. vsus fuerit scientia per se infusa.

DVBIVM X.

22 PEtes decimò, an Christ⁹ Dominus vsus fuerit hac scientia discurrendo? Respondetur affirmativè. Quia cognoscere rem omnibus modis, quibus cognoscibilis est, spectat ad perfectionem, & excellentiam cognoscentis: ergo quamvis Christus Dominus clarè cognoscat Deum v. g. per speciem illius; poterit ex cognitione creaturarum v. g. deducere cognitionem ipsiusmet Dei, illius omnipotentiæ, &c. Ita Scotus *in 3. dist. 14. quæst. 3. §. Ad argumenta vers. Ad quartum.* Pro qua sententia (quatenùs affirmãt, potuisse Christum Dominum per discursum cognoscere idem met obiectum, cuius speciem impressam, & cognitionem præhabebat) *Gasp. Hurtado disp. 8. diff. 15. citat D. Th. Caiet. Aluarez, Ragusam, & Becanum.*

23 Sed oppositum defendũt *nostri D. Bona v. & Ricardus, quos citant, & secuntur Vazquez disp. 52. & Suarez disp. 28.* Et obijciũt Damascen. 2. *de fide capit* 22. dicentem, esse de ratione discursus (qui est quidam mentis cursus, quo intellectus ex cognitione vnius obiecti, alterius cognitionẽ deducit) quòd ille, qui discurrit aliquid ignoret, nempè illud, cuius cognitionem ex alterius cognitione deducit. Vnde colligit Damasc. neque Deum, neque Angelos discurrere. Respondetur loqui de discursu practico, qui dicitùr consultatio, & reperitur, quãdo intellectus per modum dubitationis absque enuntiatione, aut sententia confert media inter se, & cũ fine quærens, quodnã illorũ sit vtilius ad consequutionem finis? Ad quem discursum practicũ requiritur dubitatio præcedens. Et ideò merito negatur in Deo, & in Christo D. non autem loquitur Damascen. de discursu speculatarivo: qui salvatur in hoc, quòd ex cognitione vnius rei

DIFFICVLTAS III.

De spectantibus ad scientiam, seu cognitionem Christi Domini quæ dicitur per se infusa.

DVBIVM I.

1 PEtes primò, an sit omninò certum apud auctores fuisse in Christo Domino scientiam, seu cognitionem per se infusam? Respondetur negativè. Itaque quamvis sit certissimum, fuisse in Christo Domino scientiam, seu cognitionem in proprio genere: non tamen est ita certum fuisse in eo cognitionem istam per se infusam. Quamvis enim illam concedant *D. Thom. Suar. Vazq. Ragusa, Alvarez, & Becanus, quos citat & sequitur G. Hurtad. disp. 8. diff. 9.* quod, & passim supponunt, & fatentur multi alij. Tamen id negãt nostri *D. Bonaventura, Alensis, & Ricardus: item Dur. Gab. & Almaynus.* Immo Cavellus in *Scholio ad* §. *Hic distinguitur in 3. d. 14. q. 3.* dicit, quòd Scotus videtur negare scientiam per se infusam datam animæ Christi Domini. Quare merito concludit, quod Medina *3. q. 9. art. 6.* ex suo cerebro censurat hoc, vt temerarium.

2 Igitur non est omnino certũ, fuisse in Christo D. scientiam seu cognitionem in proprio genere, quam per se infusam vocant. Tamen, cùm communior opinio in eo talem scientiam fuisse affirmet: & meritò: sunt enim aliqua obiecta, quorum species non sunt acquisibiles per proprium laborẽ, aut industriam alicuius creaturæ: v. g. species Dei, aut Trinitatis. Ideò in præsenti de scientia, aut cognitione per se infusa Christi Domini tractamus. ¶ Cùm autem in scientijs, aut cognitionibus tria inveniantur, nempe obiectum, actus, & habitus; de singulis istorum est agendum.

De obiectis scientiæ per se infusæ.

DVBIVM II.

3 PEtes secundò, quot, & qualia obiecta spectent ad scientiam per se infusam? Respondetur, omnia, & illa solùm obiecta, spectare ad hanc scientiam; quorum species proprio labore, aut alicuius creaturæ creatæ, vel creabilis non possunt acquiri: quia vt *diff. 2. à n. 2.* declaravimus, & probauimus, scientia per se infusa est illa, ad quam prædictæ tantùm possunt deseruire. Vnde facilè serat mihi huius dubij decisio: Cùm enim quæcumque creatura (saltem existens) ex natura sua sit cognoscibilis ab alia; nulla erit obiectum scientiæ per se infusæ. Insuper cùm species Dei, eius attributorum, mysterij Trinitatis, & Incarnationis, à nulla creatura sit acquisibilis; Deus, eius attributa, mysteria Trinitatis; & Incarnationis

erunt

erunt obiecta prædictæ scientiæ: atque adeò istorum cognitio spectabit ad sciētiam per se infusam. Sed quamvis hæc mihi sint certa: quia tamen non omnibus arridēt; & vt simul sciatur, quid de diuersis obiectis dixerint Auctores, nonnulla sunt specialiter disputanda.

DVBIVM III.

4 PEtes tertiò, an obiecta materialia, seu sensibilia spectent ad scientiam per se infusam? Respondetur negativè. Quia à quocumque obiecto materiali, seu sensibili potest aliqua creatura acquirere speciem: ergo neque ipsa species, (etiam si aliàs alicui infundatur) neque cognitio inde orta potest spectare ad sciētiam per se infusam; sed ad per accidens infusam: iuxta dicta *diff. 2. à num. 2.* Ita Scotus *in 3 d. 14. q. 3. §. Contra conclusionem præsertim vers. Præterea, Pitig. Fabro. & communiter Scotistæ, quibus adde Durandum*; quod, *& probabile reputat Lorca disp. 49. & 50. vt testatur Felix cap. 16. diff. 5.* vbi prædictos auctores citat; & hanc sententiam absolutè sequitur.

5 Sed D. Thom. *3. q. 11. art. 1. & communiter Thomistæ. Item Suarez, & Vazquez quos citat, & sequitur Castillo disp. 15. q. 4. num. 27.* affirmant, Christum D. cognovisse obiecta materialia scientia per se infusa. Et obijciunt Scotum *in 3. d. 14. q. 4* dicentem, Christum Dominum habuisse species intelligibiles perfectissimas: ergo sentit, has esse adeo perfectas, vt à nulla creatura sint acquisibiles: ac per consequens sentit, quod sunt per se infusæ: & consequenter, quòd etiam est per se infusa scientia ex illis orta. Respondetur negando consequentiam: solùm enim vult, infusas fuisse Christo D species intelligibiles perfectissimas, quæ haberi possunt à suprema creatura. Cùm enim tales species non solū producantur ab obiecto, sed etiā ab intellectu agente; quantò perfectior est creatura, tantò perfectiorem speciem intelligibilem producit. Igitur vult Scotus, fuisse infusas Christo D. species intelligibiles adeò perfectissimas, vt perfectiores à nulla creatura (adhùc Angelica) creata, vel creabili essent producibiles.

6 Dices: intellectus agens Christi D. non posset producere species adeò perfectas: ergo sine fundamēto dicitur fuisse illi infusas species adeò perfectas. Resp. negando antecedens propter dicta *in hoc cap. diffic. 1. à num. 11.* Itaque cùm intellectus Christi D. specificè non differat, hoc est, non superetur in specifica perfectione ab intellectu Angeli, (imò neque ab aliquo creabili: gradus enim intellectivus hominis, Angeli, & cuiuscumque alterius creaturæ possibilis, immo & ipsius Dei est eiusdem rationis: sicut gradus entis, substātiæ, &c.) & aliàs in perfectione individuali sit perfectissimus creatus, immo, & creabilis; potest producere per-

 fe-

fectissimas species. ¶ Adde, quòd adhuc admisso, intellectum Christi Domini esse imperfectiorem specificè, aut indiuidualiter intellectu Angelico, posset prædictas species perfectissimas producere, Deo cum illo miraculosè concurrente ad talem productionem, iuxta dicta *diff.* 1. *n.* 12 & 13.

7. Respondetur secundò (omisso antecedenti) negando consequentiam, hoc enim postulabat excellentia tantæ personæ. ¶ Dices: ergo propter excellentiam Christi Domini debent illi concedi species intelligibiles diuersæ speciei, & pertinentes ad scientiam per se infusam: Respondetur negādo suppositum, nempè posse de eodem obiecto dari species intelligibiles diuersæ speciei: vtraque enim, & quæcumque creabilis esset intelligibilis repræsentatio eiusdem obiecti. Itaque sicuti nulla potest dari imago, seu pictura Cæsaris v.g. quamtumvis à perfectissimo Apelle delineetur, quæ specificè differat ab alia pictura eiusdē Cæsaris: ita nulla potest dari species intelligibilis specificè distincta ab alia repræsentativa eiusdem obiecti. ¶ Contra: species intelligibilis creaturæ petit produci ab obiecto, & intellectu agente: ergo ab intellectu agente creaturæ specificè distinctæ (qualis est Angelus comparatus cum homine) producetur species intelligibilis specificè diuersa. Respondetur negando consequentiam; quia cōtingit in præsenti, quòd multoties, nempè quòd diuersitas specifica causarum materialiter, & per accidens se habet respectu effectuum, qui eiusdem speciei prorumpunt, non obstante specifica distinctione causarum. Hac ratione Adamus immediatè productus à Deo, imo, & per creationem non differt specificè à Petro v. g. immediatè producto ab homine; imo, & per generationem. Item calor immediatè productus ab igne solùm numericè differt ab alio calore producto à sole, & ab alio calore, imò, & à Deo per creationem. (si sic produceretur) Sic species intelligibilis producta ab Angelo non differt specificè ab illa, quam producit intellectus agens hominis; etiamsi Angelus, & homo specificè differāt. Et omnium eadem est ratio, nempè quòd tales effectus non procedunt à suis causis, quatenùs specificè differunt, sed quatenus habēt virtutem producendi illos; qua ratione solùm numericè differunt: sicut solùm numericè differunt animalitas hominis, & animalitas Leonis v.g.

8. Petes, quando ex specifica distinctione causæ, seu principij poterimus colligere distinctionē specificam effectus? (vt colligi docet Scotus *præsertim in 4. dist. 49. quæst. 5. §. Ad quæstionem, vers. Aliter* his verbis. *Fruitio Beata, & non beata differunt specie, se ipsis quidem formaliter; sed à causis vel habitudine causárum causáliter*) Respondetur, quando causæ, vt specificè distinctæ causant effectus: vt, con-

tin-

tingit in homine v g. causante hominem, si comparetur cum Leone causante leonem: istæ enim causæ constituuntur causæ illorũ effectuum, & illos causant per formas specificè distinctas: quales sunt forma hominis, & forma leonis. Quando autem causæ non causant per aliquid specificè distinctum, sed per aliquid, in quo conveniunt; quamvis ipsæ specificè differant, effectus illarum non participant distinctionem suarũ causarum. Legatur Scotus *in 2. dist. 1. quæst. 5. aut 6. §. & vers. Potest addi*, vbi affirmat, quod *intellectualitas Angeli in quantum intellectualitas nõ differt specie ab intellectualitate animæ, inquantùm intellectualitas, hoc est, quòd licèt iste actus primus, & ille* (scilicet Angelus, & anima) *differant specie, vt considerantur absolutè in se, non tamen secundùm illam perfectionem, quam virtualiter continent, secundùm quam sunt principia actuum secundorum*. Quod probat instantia aquilæ, & bovis, quorum animæ differunt specie; non tamen vis visiva vtriusque. Item probat instantia passionum entis; quæ solùm numero differunt in rebus differentibus plusquàm specie: vt patet de vnitate lapidis, & de vnitate hominis: quæ vnitates solùm numero differunt. ¶ Ad rem ergo homo, & Angelus, quamvis differant specificè: causant tamen species intelligibiles, non quatenùs differũt specie; sed quatenùs habent intellectus agentes differentes solùm numero.

9 Sed contra conclusionem *n. 4.* positam adhuc obijcies, quòd in Christo D. fuit cognitio matutina, & vespertina circa idẽ obiectũ creatũ: ergo etiã poterit esse circa idẽ obiectũ sensibile alia, & alia cognitio, quarum vna fiat per speciem per se infusam, & alia per speciem per accidens infusam. Respondetur negando consequentiam: quia cognitio matutina, & vespertina sunt diversæ rationis; (hoc est, ad vnam movet Deus & ad aliam species) & ideò possũt multiplicari in eodem intellectu. Per species autem non multiplicantur cognitiones specie distinctæ circa idem obiectum: cùm idem eodem modo cognoscatur per vnam, ac per aliam: ac per cõsequens vna ex illis cognitionibus superflueret. ¶ Contra, quòd obiectum sensibile per diversas species attingitur à sensu, & ab intellectu: ergo eiusdem obiecti potest dari alia, & alia species inferioris, & altioris ordinis, ex quibus oriantur cognitiones specificè diversæ: Respondetur concedendo consequentiam de speciebus diuersæ naturæ; quales sunt sensibiles, & intelligibiles inter se comparatæ: & negando de speciebus eiusdem naturæ, seu ordinis: quales sunt omnes species intelligibiles inter se comparatæ: & omnes sensibiles etiam inter se comparatæ.

(.·.)

DVBIVM IIII.

10 PEtes quartò, an obiecta creata spiritualia spectent ad scientiam per se infusam? Respondetur negativè. Quia istorum obiectorum species possunt acquiri à creatura nempè ab Angelo, & ab anima separata: & consequenter cognitio cuiuscumque istorum spectat ad scientiam per accidens infusam iuxta dicta *diff.2.à num.2.*

11 Vnde infero, Angelos, animam separatam, existentiam corporis Christi Domini in Eucharistia, lumen gloriæ, habitualem gratiam, & alia dona iustorum non esse enumerāda inter obiecta sciētiæ per se infusæ: & consequenter cognitiones, quas de eis habuit Christus D. non spectare ad scientiam per se infusam. Quia à quocumque istorum sunt acquisibiles species ab aliqua creatura.

¶ Sed Felix *cap. 16. diff. 3. &* *Castillo disp.15.qu est.4.à num.41.* (qui affirmat, in hoc cōuenire Scotistas, & Thomistas) oppositum defendunt; & obijciunt, quòd Christus D. non potuit acquirere species illorum obiectorum: ergo sunt obiecta scientiæ per se infusæ. Respondetur negando consequētiam: quia ad scientiam per se infusam requiritur, quòd à nulla creatura possit acquiri species illius obiecti: iuxta dicta *diff.2 à num.2.*

¶ Sed instat Castillo *ibi num. 43.* quòd species infusæ Christo Domino fuerant adeò perfectæ, vt à nulla creatura possent acquiri: ergo spectant ad sciētiam per se infusā. Resp. negando antecedens: Cùm enim obiecta ista sint attingibilia à potentia creata per suas naturales vires; fit, vt species illorum per accidens infundantur, quando alicui infunduntur. ¶ Addo, quod etsi posset poni in specie, aliàs acquisibili, & à Deo infusa quædam talis perfectio à creatura inattingibilis; hoc non extraheret speciem illam à linea acquisibilis; neque illā, aut scientiam inde ortam transferret ad lineam scientiæ per se infusæ. Hac ratione si delinearetur à Deo imago Virginis v.g. adeò perfecta, vt à nulla creatura similis posset depingi, non extraheretur à linea picturæ, nec ab alijs differret essentialiter: vt *n.7.* expendebamus. Itē si daretur calor infinitè intensus, aut linea infinitæ magnitudinis, nō extraherētur à prædicamē tis: quia talis perfectio est illis accidentalis; & ex natura creaturæ illam non petebat.

12 Infero secundò, secreta cordium non esse obiecta scientiæ per se infusæ: atque adeò cognitiones, quas de illis habuit Christus D. non spectare ad scientiam per se infusam. Quia talia secreta sunt cognoscibilia ab Angelo saltèm, quamvis de facto propter specialem prouidentiam etiam Angelis occultentur. De quo latè egimus in tractatu de Angelis *cap.4. diff.4 à n.30.*

13 Infero tertiò quidditates rerū possibilium non esse obiecta scien-

ſcientiæ per ſe infuſæ. Quia Angelus ſaltèm poteſt formare ſpeciem intelligibilem cuiuſcumque poſsibilis: & conſequenter cognitio, quam de his poſsibilibus habuit Chriſtus D non ſpectat ad ſcientiā per ſe infuſam. ¶ Sed *Rada, Fabro, & Pitzgianus, quos citat, & ſequitur Felix cap. 16. diff. 6.* oppoſitum defendunt: & obijciunt Scotum *in 3. d. 14. quæſt. 3. §. Ad quæſtionem verſic. De cognitione abſtractiva.* Reſp. ſolùm affirmare, Chriſtum Dominum per proprias ſpecies cognoviſſe quidditates rerum; non autem determinat, prædictas ſpecies, aut cognitiones inde ortas ſpectare ad ſcientiam per ſe, aut per accidens infuſam.

DVBIVM V.

14 PEtes quintò, an Deus, eius attributa, myſterium Trinitatis, & Incarnationis ſint obiecta ſcientiæ per ſe infuſæ? Reſpondetur affirmativè. Quia horū ſpecies (quas dabiles eſſe ſuppono *ex diff. 2 à num. 9.*) non ſunt acquiſibiles ab aliqua creatura: atq; adeò tam ipſæ ſpecies, quàm cognitiones inde ortæ ſpectant ad ſcientiam per ſe infuſam. ¶ Quòd prædictæ ſpecies non ſint acquiſibiles, conſtat mihi ex eo, quòd Deus eſt obiectum, aut ſpeculum voluntarium; vt dictant PP. & Theologi. Legatur Scotus *quodl. 14. §. & verſic. De ſecundo principali:* vbi adducit illud Ambroſij ſuper Lucam: *In eius poteſtate ſatis eſt videri, cuius natura eſt videri:* (ſupple, à creatura: gloſſat Scotus) *ſi vult, videtur: ſi non vult, non videtur.* Idē habetur ex Aug. *de videndo Deum.* Legatur etiam idem Scotus *in 3. d 14. q. 2. §. & verſ. Sed ſi iſtæ viæ,* vbi dicit, quòd Deus, ſeu *Verbū eſt manifeſtativū, aut ſpeculum voluntarium repræſentans omnia.* Hinc fit, quod quamvis Deus ſit intimè præſens omnibus intellectibus, ſolos Beatos regulariter movet ad cognitionem ſui, & aliarum rerū ad menſuram ſuæ voluntatis.

¶ Ex dictis autem *diff. 2. à n. 10.* ſoluta manent omnia, quæ cōtra cognitionem iſtam Dei, & Trinitatis per ſcientiam in proprio genere (quam abſtractivam vocamus; eoquod fit media ſpecie impreſſa) poſſunt hic adduci. Itē ſoluta manent, quæ adduci poſſunt ad probandū, impoſsibilē eſſe talem ſpeciē: vt dicunt multi Thomiſtæ. Inſuper manent ſoluta, quæ adducit Vazq. ad probandum, quòd cognitio ab illa ſpecie Trinitatis orta foret Beata. ¶ Nota demū, quòd myſterium Incarnationis dicitur à nobis ſpectare ad ſciētiā per ſe infuſam: eo quòd Verbum diuinum terminans naturam humanā Chriſti D. eſt obiectum voluntarium. Quare ſicut à nulla creatura poteſt in ſe videri, niſi ipſummet voluntariè ſe manifeſtet. Ita nequit videri, vt terminans naturam humanā ſine voluntaria ſui ipſius manifeſtatione. Et ideò ſicut cognitio Dei in ſe ſpectat ad ſcientiam per ſe infuſam: ita cognitio Incarnationis.

De actu scientiæ per se infusæ.

15 Habemus ex dictis in hac difficultate, nullum ens creatum esse obiectum scientiæ per se infusæ. Item habemus, solum Deum, eius attributa, mysterium Trinitatis, atque Incarnationis ea parte, qua Verbum divinum terminat naturam assumptam esse obiecta scientiæ per se infusæ. Ex quibus apertè constat, actum scientiæ per se infusæ solùm attingere Deum, eius attributa, & mysteria Trinitatis, atque Incarnationis ea parte, qua Verbum terminat naturam assumptam. Quo supposito de actu scientiæ per se infusæ nonnulla dubia restant examinanda.

DVBIVM VI.

16 Petes sextò, an omnia obiecta huius scientiæ cognoverit Christus D. actu simul? Respondetur affirmativè. Quia hoc spectat ad illius excellentiam. Itaque Christus D. actualiter cognovit per proprias species clarè, & distinctè atque simul Deum, omnia eius attributa, & mysteria Trinitatis, atque Incarnationis. In hac conclusione nullus fortè à nobis dissentiret, si sibi persuaderet, hæc tantùm obiecta ad scientiam per se infusam spectare. Quia tamen Auctores communiter ad plura obiecta hanc scientiam extendũt; ideo inter sese de hac re dissentiunt. Etenim D. Thom. *Richard. Gab. Almaynus, & multi alij, quos secuntur Lorca disp. 51. memb. 2. n. 9. & Suar. disp. 28. sect. 2.* negant, Christum D. actualiter simul cognouisse omnia obiecta huius scientiæ. ¶ Oppositum tamen affirmant *Vazq. disp. 53. cap. 2. & G. Hurt. disp. 8. diff. 16. quibus consentire videtur Petrus Hurt. tomo de Incarnat. disp. 56. sect. 5. subsect. 1, §. 43.*

17 Adde, nostram conclusionem esse intelligendam de cognitione intuitiva, necnon & de abstractiua. Quia cognoscere rem omnibus modis, quibus cognoscibilis est, spectat ad perfectionem cognoscentis. Et ideò *in tract. de Angelis c. 4. diff. 2. à n. 19.* statuimus, in Angelo esse concedendas duas cognitiones de obiecto præsenti, alteram intuitivam, & abstractivam alteram. Quam esse sententiam Scoti, probavimus ibi, expresis illius testimonijs depromtis. Itaque Christus D. cognouit Deum, eius attributa, mysterium Trinitatis, & Incarnationis per scientiam infusam abstractivè simul, & intuitivè. Abstractivè quidem, quatenùs media specie impressa movebatur eius intellectus ad horũ obiectorũ cognitionẽ. Intuitivè verò, quatenùs prædicta obiecta per se ipsa immediatè mouebant ad sui cognitionem. Neutra autẽ harũ cognitionũ erat beata: quia neutra exigebat lumen gloriæ ex parte intellectus. Recolantur dicta *disp. 2. à num. 14.*

DV-

DVBIVM VII.

18 Petes septimò, an vnico actu cognouerit Christus D. omnia obiecta scientiæ per se infusæ? Respond. negativè. Quia sunt plura obiecta, quæ per hanc scientiam cognoscuntur: ergo nequeunt cognosci per eumdem actum. Patet consequentia: ad hanc scientiam (cum sit in proprio genere) movent obiecta ipsa; vel per se ipsa immediatè; si cognitio sit intuitiva: vel per impressam speciē sui; si cognitio fuerit abstractiva. Quare in nostra sententia quadruplex saltèm actus scientiæ per se infusæ est admittendus in Christo D. alter, quo cognoscat Deū, eius attributa, & mysteriū Trinitatis. (hæc enim omnia quasi integrant vnum obiectū: & ideò vnico actu cognoscuntur) Item ponendus est alter actus huius scientiæ, quo cognoscat mysteriū Incarnationis, saltèm ea parte, qua divinū Verbum (tamquā obiectū voluntariū cognitionis creatę) terminat naturam assumptam. Incarnatio enim est diversum obiectū movens potentiā tantùm ad sui cognitionē: & ideò potentia circa illam elicit distinctū actum. Igitur cùm in nostra sentētia nullum aliud obiectum scientiæ per se infusæ detur nisi Deus, eius attributa, & mysteria Trinitatis, (quæ per vnum actum attinguntur: cùm vnum obiectum quasi integrent) & Incarnationis; duplex actus est admittendus; sicut duplex est obiectum per seipsum mouens ad cognitionem sui. Insuper cùm istud duplex obiectum simul abstractivè, & intuitivè cognoscatur à Christo D. per scientiā in proprio genere; fit planè, quòd quatuor actus huius scientiæ admittamus in Christo D. ¶ Pro hac nostra conclusione quatenùs admittūt in Christo D. plures actus huius scientiæ per se infusæ, possent citari multi Theologi: quia ferè omnes affirmant, varios, & multiplices esse actus huius scientiæ. Legatur Suar. *disp.* 28. *sect.* 1.

19 Sed Marsilius *in 3. quæst.* 10. *art*, 2. *p*. 4. *concl*. 2 *&* 3. dicit Christum D. vnico, & eodem actu cōtemplari omnia, & singula obiecta huius scientiæ. Et obijcit: possibile est, quod potentia attingat plura obiecta disparata vnico, & eodem actu: ergo nō est necessarium multiplicari actus scientiæ per se infusæ. Antecedens constat *ex diff.* 1. *num*. 38. vbi statuimus cum communiori sententia, Deum, & creaturam videri à Beato vnica, & eadem cognitione. Resp. negando consequentiā: quia antecedens solùm est verum de actu beatifico, aut de actu, quem infunderet Deus: qui, cùm contineat virtualiter cognoscibilitatem omnium cognoscibilium, potest movere ad cognitionem omnium ipsa fortè vnico actu repræsentando. Falsum autem est antecedens loquendo de actu, ad quem eliciendum movent species, aut obiecta ipsa creata: cùm enim qualibet

simul ex minima capacitate illorũ, qui eum incolut. Quod longè abfuit à Christo Domino necnon & à Beatis in corporibus assumptis. Et ideo sicut per exercitium scientiæ Beatæ non impediebatur Christus Domin⁹ ab exercitio scientiæ in propio genere: ita per exercitium scientię in proprio genere circa Deum, &c. non impediebatur, nec impediuntur Beati ab exercitio scientiæ in proprio genere circa alia obiecta.

¶ Hinc reijcio Gabrielem *in 3. dist. 14. quæst. 1.* asserentem, Christum Dominũ cessasse à sciẽtia Beata circa obiecta, quæ cognoscebat sciẽtia per se infusa. Vbi duo falsa involvuntur. Primum est, Christum Dominum aliquando cessasse à scientia Beata. Secũdum est, aliquando cessasse à sciẽtia per se infusa. Item est falsum eius fundamentum, scilicet has scientias esse incompossibiles.

De modo quo Christus D. vsus fuerit scientia per se infusa.

DVBIVM X.

22 PEtes decimò, an Christ⁹ Dominus vsus fuerit hac scientia discurrendo? Respondetur affirmativè. Quia cognoscere rem omnibus modis, quibus cognoscibilis est, spectat ad perfectionem, & excellentiam cognoscentis: ergo quamvis Christus Dominus clarè cognoscat Deum v. g. per speciem illius; poterit ex cognitione creaturarum v. g. deducere cognitionem ipsiusmet Dei, illius omnipotentiæ, &c. Ita Scotus *in 3. dist. 14. quæst. 3. §. Ad argumenta vers. Ad quartum.* Pro qua sententia (quatenùs affirmãt, potuisse Christum Dominum per discursum cognoscere idem et obiectum, cuius speciem impressam, & cognitionem præhabebat) *Gasp. Hurtado disp. 8. diff. 15. citat D. Th. Caiet. Aluarez, Ragusam, & Becanum.*

23 Sed oppositum defendũt *nostri D. Boua v. & Ricardus, quos citant, & secuntur Vazquez disp. 52. & Suarez disp. 28.* Et obijciũt Damascen. 2. *de fide capit 22* dicentem, esse de ratione discursus (qui est quidam mentis cursus, quo intellectus ex cognitione vnius obiecti, alterius cognitionẽ deducit) quòd ille, qui discurrit aliquid ignoret, nempè illud, cuius cognitionem ex alterius cognitione deducit. Vnde colligit Damasc. neque Deum, neque Angelos discurrere. Respondetur loqui de discursu practico, qui dicitur consultatio, & reperitur, quãdo intellectus per modum dubitationis absque enuntiatione, aut sententia confert media inter se, & cũ fine quærens, quodnã illorũ sit vtilius ad consequutionem finis? Ad quem discursum practicũ requiritur dubitatio præcedens. Et ideò merito negatur in Deo, & in Christo D. non autem loquitur Damascen. de discursu speculatatiuo: qui salvatur in hoc, quòd ex cognitione vnius rei

rei deducamus cognitionem alterius (sivè ista res aliunde sit cognita, sivè non) vel saltem præhabita vtamur. Per hoc enim præcise salvatur esse cursum de vno obiecto in aliud.

24 Obijciunt 2. quod tàm antecedens, quàm consequens cognoscuntur eadem specie impressa, imò & eadem cognitione, seu specie expressa: ergo nequit esse discursus. Respondetur omittendo, antecedens falsũ quoàd vtrãque partem. Quoàd primam: quia non admittimus species vniversales in repræsentando. Et ideò dicimus, quòd species movens ad cognitionem principij, seu antecedentis, non movet ad cognitionem principiati, seu conclusionis. Est etiam falsum quantùm ad secundam partem; quia intellectus diversâ cognitione, seu specie expressa informatus, certificatur de conclusione, ac de principio. Itaque omisso antecedenti falso, nego consequentiam: quia est accidentale discursui, quòd ad ipsum multiplicentur cognitiones: solũ enim requiritur necessariò multiplicatio cognitorũ; (sivè eadem, sivè diversis cognitionibus attingantur obiecta cognita) dummodo cognitio, seu attingentia vnius ex cognitione, seu attingentia alterius deducatur. Quare placet mihi sententia illorum, qui in tractatu de Scientia Dei, affirmant Deum etiam discursivè cognoscere.

25 Obijciunt 3. cognitio illata requirit successionem, seu moram temporis: ergo si Christ⁹ Dominus cognovit per discursum, pro aliquo tempore nõ cognovit obiectum aliquòd nempè illud, cuius cognitio deducitur ex cognitione alterius. Respondetur negando antecedens: non enim requiritur maior prioritas aut posterioritas, quã interjcausam, & effectũ: cùm vna cognitio, seu attingentia causetur ex alia, seu ab alia deducatur: causa autem, & effect⁹ possunt esse simul in eodẽ temporis momento, seu instante; dũmodo causa sit prior natura. ¶ Respondetur secundò (omisso antecedenti) negando consequẽtiam: semper enim fuit cognita conclusio à Christo Domino per propriam illius speciẽ. Quare dato, quòd ad discursum requireretur mora temporis, solùm inferretur, quòd illo tempore Christus Dominus non noverat consequẽs seu conclusionem per discursum; non autem quòd absolutè nõ noverat.

27 Ex dictis mihi colligo, difficultatem huius dubij nõ esse specialem de scientia per se infusa; sed communem scientiæ circa obiecta, quorũ species supponnũtur in illo, qui discurrit. ¶ Constat etiam mihi, ad actum scientiæ circa obiectum, cuius species sunt in cognoscente, non esse necessariũ vti discursu: cùm sine illo obiectũ cognoscatur in se ministerio speciei impressæ. ¶ Vndè etiam constat, nos admittere Christum D.

cog-

cognovisse obiecta scientiæ per se nfusæ discurrendo, non quia existimamus illa non cognovisse in se & sine discursu, ministerio speciei impressæ: neq; quia existimamus, cognitionem, quam elicit intellectus motus specie impressa esse minùs perfectam: sed talem discursum admittimus; quia obiectū conclusionis est cognoscibile non solùm per speciem, sed etiam per discursum: & aliàs spectat ad excellentiam cognoscentis cognoscere rem omnibus modis, quibus cognoscibilis est.

DVBIVM XI.

27 Petes vndecimò, vtrùm obiecta, quorum intuitionem habuit Christus Dominus cognoverit cōponendo, aut dividendo? Resp. affirmativè. Quia cognoscere rem pluribus modis spectat ad excellentiam cognoscentis. ¶ Sed pro clariori notitia nota, quòd quando coram me est Petrus albus v.g. simul apprehendo Petrum, & eius albedinem; necnon & inhærentiam albedinis in Petro: seu cōiunctionem albedinis cum Petro: per quam simplicem apprehēsionem manet intellectus meus omninò certificatus, quòd Petrus est albus. Quod & in Christo D. contingebat. Dicimus ergo in cōclusione, quòd non obstante illa certitudine proveniente ex simplici apprehensione Petri, albedinis, & inhærētiæ albedinis in Petro, potuit Christus D. per cōpositionē, aut iudiciū attribuere Petro albedinē. Quia certitudo habita per primā operationē intellectus no est incōpossibilis cū certitudine habita per secundam. Imò addimus, sic cōtigisse de facto in Christo D. Quia cognoscere rem pluribus modis spectat ad excellentiā cognoscentis. Ita Castillo *disp. 15. q. 6. n. 14. & Felix c. 16. diff. 8. dub. 2.*

28 Sed *Vazq. disp. 52. Suar. disp. 28. & G. Hur. disp. 8. diff. 14* oppositū defendunt: & obijciunt quod supposita prima cognitione, quæ per primā operationem omninò certificat intellectum, secunda videtur superflua. Resp. negando: cognitio enim iudicativa est diversa ab apprehensiva: & ideò neutra superfluit. Aliàs eodem argumento probaretur, quòd posita cognitione creaturarum in Verbo, non erat admittenda cognitio earumdem creaturarum in proprio genere. Igitur sicut illa nō superfluit ita neque illa: imò vtraque est necessaria, nō quidē ad certificandū intellectum de illo obiecto, sed vt illud cognoscat omnibus modis, quibus cognosci potest. ¶ Quod dicimus de cognitione, qua Christus D. cōponebat albedinem cū Petro v. g. dicendum est de cognitione, qua dividebat Petrum v. g. à prædicato, quod illi non conveniebat, ab equo v. g. &c. Potuit enim optimè, & de facto fecit hanc divisionem per secundam operationem, (Petrus non est equus; Petrus albus non est niger) non obstante, quòd per pri-

primam intellectus manet omnino certificatus.

DVBIVM XII.

29 PEtes duodecimò, an Christus Dominus vsus fuerit scientia per se infusa cum conversione ad phantasmata? Respondetur negativè. Quia nullum obiectum scientię per se infusæ potest cadere sub phantasiam. ¶ Pro clariori autem notitia nota, quòd vocant intelligere cum conversione ad phantasma, imaginationem, seu phantasiam cogitare idem obiectum, quo 1 intelligit intellectus. Qua conversione indiget noster intellectus pro hoc statu: quia nullum obiectum nunc percipit nisi ministerio sensuum. Quare sicut ad primam cognitionem, seu ad percipiendum obiectum eget speciebus sensibus: (quæ dùm resident in phantasia, phantasmata dicuntur) ita quoties circa obiectum aliquid operatur, eget, illud phantasiare: quia intellectus agens non producit speciem intelligibilem sine ministerio phantasmatis. Et ideo dixit philosophus 3. *de Anima cap. 8 oportet, intelligentem phantasmata speculari.*

30 Hinc patet, hanc quæstionē seu dubitationem non habere locū in nostra sententia, quæ affirmat, solū Deum, eius attributa, & mysteria trinitatis, & incarnationis esse obiecta scientiæ per se infusæ. Imò nec habet Locū in cōmuni Scotistarum sententia, quæ hanc sententiā extendit ad plura obiecta creata spiritualia. Cùm enim omnes excludamus à sphæra scientię per se infusæ quęlibet obiecta materialia, seu sensibilia; (circa quę tantum phātasia potest occupari) certum erit intellectū animæ Christi D. in vsu huius scientiæ phantasma non speculari; imò neque posse.

31 In sententia autem D. Th. affirmātis, circa obiecta materialia, seu sensibilia occupari scientiā per se infusam, locum habet præsens dubitatio. Sed tam ipse, quàm eius expositores respōdent negativè: & consequenter dicunt sciētia per se infusa vsum fuisse Christum D. in omni occasione, etiam in pueritia, & dum dormiebat. Et ratio vtriusque est, quòd species huius scientiæ non solùm, non sunt acquisitæ, sed neque acquisibiles à Christo Domino, & cōsequenter nullam affinitatem habent cum phantasia.

32 Maior difficultas est in hac sententia, vtrum saltē si Christus D. vellet, posset vti hac scientia cum conuersione ad phantasma? Negatiuè respōdent exposіtores D. Th. (ipso relicto) Quia actus huius scientiæ ab intrinseca natura sua, est independens ab omni cognitione sensuum: ergo etiam si vellet, & posset imperare Christus D phantasiæ, & imaginationi, vt idem obiectum, quòd intellectus intelligit, speculetur: tamen non posset facere, vt operatio

intellectus penderet à phanta-
speculatione: quod necessariū
ex convenientia Authorum)
ntelligendum cū conversione
hantasma. Si enim sufficeret,
d operatio imaginationis, &
ntasiæ accidentariè, & conco-
anter se haberent cum opera-
ne intellect⁹, sequeretur, quòd
itus in corpore glorioso dice-
ir intelligere cum conversio-
d phantasma, si eas creaturas,
s videt in Verbo, apprehende-
per imaginationem, seu phan-
iam.

comparatione sciētiæ per se infusæ
risti D. cum simili Angelorum
scientia.

Vppono, in quatuor posse has
scientias comparari. Primò in
fectione specifica. Secundò in
odo cognoscendi. Tertiò in nu-
ro obiectorum. Quartò demū
ntensione.

DVBIVM XIII.

3 PEtes tertiodecimò, an
sciētia per se infusa Chri-
Domini excedatur à simili An-
orum scientia in perfectione
ntiali? Respondetur negativè.
ia sic philosophari, cedit in ex-
entiam Christi Domini, & aliàs
possibile. Huc spectant dicta *in*
capite diff. 1. à num. 15. Item di-
in hac difficultate nu. 6. 7. & 8.
q; in perfectione essentiali sciē-
per se infusa Christi D. æqualis
est cum simili scientia Angelorū:
quia vtraque procedit à principijs
eiusdem speciei, nēpe à specie per
se infusa, à lumine, seu habitu; nec
non & ab intellectu: qui licet idē-
tificetur in Christo D. cum natura
specificè diuersa à natura Angeli;
tamē nō differt specificè ab intel
lectu Angeli: vt cū Scoto dixi lo-
cis citatis.

DVBIVM XIV.

34 PEtes quartodecimò, an sciē-
tia per se infusa Christi D.
excedatur à simili scientia Ange-
lorū in modo cognoscēdi? Resp.
negativè. Quia tàm Christus D.
quàm Angeli vtuntur hac sciētia,
seu speciebus huius scientiæ cog-
noscēdo quidditativè obiecta illi⁹
per species abstractivas. ¶ Dices,
quòd Christus D. potest vti hac
scientia discurrendo. Resp. idem
posse Angelos. Hi enim possunt dis-
currere, & de facto discurrunt: vt
probavi *in tract. de Angelis c. 4.*
diff. 2. à n. 16. ¶ Dices, Christum
D. posse vti hac scientia cum con-
versione ad phantasma: ergo saltē
ex hac parte erit scientia Christi
D. imperfectior simili scientia An-
gelorū. Resp. negando antecedēs
propter dicta *à n. 29.* ¶ Resp. se-
cundò ad vtramque obiectionem
(admisso antecedenti) negando
consequentiā. Quòd enim Christ⁹
D. non solū abstractivè vtatur hac
sciētia, sicut vtitur Angelus; (hoc
est quidditativè, & in se cognos-
cendo obiecta;) sed etiam discur-
rendo; necnō & cū conversione
ad

ad phantasma, (si hoc cõtingeret) non arguit imperfectionẽ, sed potius perfectionem, nempe cognoscere rẽ omnibus modis, quibus cognoscibilis est.

DVBIVM XV.

35 PEtes decimoquintò, an scientia per se infusa Christi D. excedat similem Angelorũ scientiam in numero obiectorũ? Respondetur sub distinctione. Pro cuius explicatione. | Dico primò: scientia per se infusa Christi D. excedit similem scientiam Angelorum viatorum in obiectorum numerum. Quia per hanc scientiam cognovit Christus D. non solùm Deum, eius attributa, & mysteriũ Trinitatis; sed etiam Incarnationem. (*ex num.* 3. 14. 16, *&* 20.) Sed Angelus viator non habuit evidentem cognitionem mysterij Incarnationis: ergo scientia per se infusa Christi D. excedebat similẽ scientiam Angelorum, seu ad plura obiecta se extendebat. Probatur minor: quamvis enim Angel⁹ viator habuerit fidem Incarnationis; (vt dixi *in tract. de Angelis c.* 4. *diff.* 4. *à num* 74. *cum D. Th. Sua. Vazquez & alijs*) non tamen videtur verisimile, quod de mysterio nondum executo infuderit Deus illi speciem.

36 Dico secundò: scientiæ per se infusæ Christi Domini & Angelorum, postquam fuit executa Incarnatio fuerunt æquales quãtùm ad numerum obiectorum actu existentium. Quia eadem ratione qua probabile est apud Scotum, infusam fuisse Angelis in via speciem Dei abstractivam, videtur probabile, fuisse illis iam Beatis communicatam scientiam per se infusam Incarnationis. Ratio autem Scoti fuit perfectio naturæ Angelicæ; cui talem speciem conferre videtur congruum. Quæ ratio magis vrget in præsenti: eoquòd Angeli Beati perfectiori gaudent statu.

37 Dices, quòd Angelus Beatus cognovit hoc mysterium per fidem, & prædicationem Apostolorum: vt docere videtur D. Hieronymus *cap. 6. in magnis commentarijs epistolæ ad Ephesios in verba illa capitis tertij Mysterij absconditi à sæculo.* Vbi docet Hieronymus esse sermonem de mysterio Incarnationis; & vocari absconditũ à sæculis; quia illud ignoraverunt omnes spirituales creaturæ. Item ad verba illa; *vt innotesceret Principibus* docere videtur, ex prędicatione huius mysterij facta in Ecclesia didicisse Angelũ multiplicem sapientiam Dei. De quo plura diximus *in tract. de Angelis c. 4 diff. 4. n. 75.* Respondetur, quòd quamvis non sit impossibile, Angelum Beatum habere fidem de Incarnatione: quia in patria solum necessariò evacuatur fides de obiecto clarè, & facialiter cognito: solùm autem obiectum Beatificũ necessariò clarè, y intuitivè videtur: & consequenter posset Angelus, & quicumque alius Beatus In car-

ationem & quodcumque a mysterium, aut creaturam nino non cognoscere, aut illā noscere per revelationem, fidem. Tamen minùs con- existentibus in illo statu, cog cere per fidem, quàm per sciē infusam. ¶ Dices secundò: eli Beati cognoscunt in Ver- seu cognitione matutina In- ationem: ergo superfluè eam ii cognoscunt per scientiam e infusam. Resp. negando cō entiam: spectat enim ad illo- perfectionem cognoscere pluribus modis: & ideò eis editur communiter cum Au no cognitio nō solùm matu- sed vespertina. Recolātur di- *iff. 2. nu. 1.*

Consultò autem dixi, æ- es fuisse scientias per se infu- hristi D. & Angelorum, quā- ad numerum obiectorum *existentium.* Quia si de possi- us sit sermo multum excessit tia Christi D. scientiam An- rum: isti enim non habuerūt reatas species omnium pos- um saltem singularium: (vt *in tract. De Angelis c. 4. diff. n. 51.*) benè tamen Christus t constat *ex diff. 2. à nu. 6.*) at ideò verisimile est, Christum tu cognovisse aliquot Incar- nes possibiles; quarum om- à primo suę Incarnationis nti habuit species inditas. (Re tur dicta *diff. 2. à num. 20.*) e, quòd qui diceret, Christū tualiter cognovisse clarè, & distinctè simul omnia possibilia (iuxta *ibidem dicta num. 22.*) diceret consequenter, distinctè cognovisse omnes Incarnationes possibiles. Sed quidquid sit de hoc; cū nobis omninò certum sit, cognitionem cuiuscumque Incarnationis spectare ad scientiam per se infusam: & cùm Christus D. habuerit species impressas (quidquid de actuali cognitione confusa, aut distincta sit) Incarnationum possibiliū m: ex hoc capite scientia per se infusa Christi D. ad plura se extendebat, quam similis Angelorum scientia.

DVBIVM XVI.

39 PEtes decimosextò an scientia per se infusa Christi D. excedat similem scientiam Angelorum in intensione? Resp. affirmativè. Quia hoc est possibile, & exaltat excellentiam Christi D. Possibilitas autem facilè suadetur expendendo principia concurrentia ad hanc cognitionem, seu scientiam. Ad quam concurrunt potētia, species, & habitus. Sed potentia est æquè perfecta specificè in Christo, ac in Angelis: iuxta dicta *diff. 1. num. 11.* Imo in perfectione individuali intellectualitas Christi D. multum excedit intellectualitatem Angeli: ergo ex hac parte sciētia per se infusa Christi D. excedit similem Angelorum scientiam. Item species impressæ, & habitus cōcurrētes cū intellectu Christi D. ad hāc cognitionem fuerunt perfectio-

fectiores quàm in Angelis: immo perfectissimi excogitabiles : hoc enim spectat ad perfectionẽ Christi D. ergo vndequaque visio, seu cognitio per se infusa Christi D. evadit perfectior simili Angelorũ cognitione, seu scientia.

40 Dices, quòd Scotus *in 3. d. 14. q. 4.* docet, aut supponit, intellectum animæ Christi D. esse minùs perfectum Angelico: ergo falsò dicim⁹, esse eiusdem perfectionis specificæ, necnon & quòd intellectus Christi D. excedit in perfectione individuali. Respond. negando consequentiam. quia Scotus solum loquitur problematicè: oppositum enim docuerat problematicè (& mihi quidem probabilius) loco citato *diff. 1. num. 11.* In qua doctrina persistit *in Report. in 3. dist. 13. q. 3. §. Ad quæst.*

41 Dices secundò, quòd Scotus docet, ad cognitionem intuitivam immediatè cõcurrere obiectum: ergo saltem ex hac parte cognitio intuitiva Christi D. non potuit esse perfectior cognitione Angelorum. Respondetur concedendo antecedens : de quo inter Scotistas est altercatio: etenim nec pauci, nec ignobiles existimant, Scotum solùm problematicè hoc docere: ego tamen affirmo, absolutè esse verum. Recolantur dicta *in tract. De Angelis cap. 4. diff. 2. à n. 19.* Itaque concesso antecedenti, negatur consequẽtia: quia obiectũ perfectius movet intellectum Christi D. quã Angelicũ, etsi enim prædicta motio ex parte obiecti præcisè semper sit æqualis; tamen ex parte Dei concurrentis cũ obiecto ad talem motionem elevatur ad summum gradum movendi; vt in simili docet Scotus, & nos expendebamus *diff. 1. n. 12. & 13.*

¶ Resp. secundò, quòd tunc non erit excessus ex illo capite; sed ex alijs. Nec enim ad salvandũ nostrã conclusionem requiritur excessus ex quocumque capite.

42 Dices tertiò: probabile est in Scoto quòd intellectualitates hominis, & Angeli differũt specificè non solũ, vt identificantur cũ eorum naturis; sed etiã vt sunt principia visionũ. Sic probabiliter docet Scotus *in 2. d. 1. q. 5. art. 6. §. Potest etiã addi, vers. Hoc etiam.* Postquã enim probabiliter docuerat, intellectualitates hominis, & Angeli nõ differre specificè, subdit. *Aut si istud non est verũ, sed relinquatur modò istud sub dubiũ.* Idẽ docet *in Report. in 3. d. 13. q. 3. Ad tertiam quæst. vers. Dico, quòd si poneretur.*

¶ Insuper probabile est in Scoto, intuitionẽ nõ fieri media specie: vt *nu. 41.* notabam⁹: ergo ex neutro horũ capitũ visio Christi D. potuit esse perfectior Angelica: quin imò ex parte intellectus, Angelica erit perfectior; ergo quãvis aliàs ex parte habitus cõcurrẽtis ad illã visio Christi D. habeat aliqualẽ maiorẽ perfectionẽ: erit tamẽ difficile probatione, quòd excessus ille habitus sit maior, quàm excessus perfectionis, quod potentia Angelica superat potentiam Christi Domini & consequenter erit proba-

)ne difficile, quod scientia, seu
iitio Christi D, sit absolutè per
or simili scientia Angelorum.
pond. omisso, aut concesso
:nostra enim conclusio funda
in opposita opinione Scoto
lematica, & mihi probabi-
.

Dices: ergo Christus D. est
ùs perfectus Angelis non so-
in naturalibus (de quo nõ du-
ur propter illud *Psal. 8. num.*
inuisti eum paulo minùs ab An
& ad Hæbræos 2. num. 7.) Sed
n in gratuitis. Respond. ne-
lo: quia quamvis secundùm
duas opiniones probabiles be-
iferatur, intuitionem acquisi-
Christi D. esse minus perfectã
li Angelorũ intuitione (omis-
xaminare, an excessus habitus
currentis ad intuitionẽ Chri-
).sit maior excessu, quo in per-
one intellectus Angeli superat
llectum Christi D.) tamen tunc
ndum est, intuitionem vtrius-
(scilicèt Christi D. & Angeli)
tare ad naturalia; cùm ad illã
currant obiectum immedia-
è potentia secundùm proprias
utes. Quare excessus ille erit in
uralibus; non autẽ in gratuitis.
espond. secundò negando cõ-
ientiam: quia quamvis intel-
us Angeli, etiam vt est princi-
n visionis sit perfectior intel-
u Christi D. tamen maior est
essus perfectionis, quo habitus
currens ad intuitionem Chri-
D. excedit habitum, qui con-
it cùm intellectu Angeli. Et
ratio est, quòd habitus ille est sum-
mus possibilis: hoc enim spectat
ad perfectionem Christi D. Quòd
autem intellectus Angeli (etiam
supremi) sit perfectissimus, qui
creari potest, est difficile proba-
tione.

44 Hinc constat, immeritò
Caiet. 3. *p. q.* 11. *art.* 4. affirmasse
reprimendum esse Scotum, dum
dicit, scientiam intuitivam Chri-
sti D. esse inferiorem simili Ange-
lorum cognitione (de per se acqui
sita erat sermo.) Quia Scot⁹ ponit
in cœlum os suum (inquit Caiet.)
dum ponit, Christum D. minora-
tum ab Angelis non solùm in na-
turalibus, sed etiam in gratuitis.
Fallitur tamen Caiet. tùm, quia,
vt constat ex nostra conclusione,
intuitio Christi D. lõgè perfectior
evadebat, quàm Angelica, tàm ex
parte intellectus, quàm ex parte
habitus, necnon & speciei. Tum,
quia, dato, quòd non concurrat
species impressa, sed ipsummet
obiectum immediatè moveret ad
intuitionem; necnõ & quòd Deus
simul cùm obiecto concurrens ad
motionem non poneret summã
perfectionem in tali motione. In-
super & dato quod intellectus An
geli esset perfectior Intellectu Chri
sti D. quatenus intellectus est prin-
cipium visionis: intuitio tamen
Christi D. esset perfectior ex parte
habitus; vt *num. præcedenti* expli-
cabamus. Tum demùm, quia da-
to, quòd intuitio acquisita Christi
D. esset minùs perfecta, quàm An-
gelica; non ideò foret dicendum,

T Chri-

Christum D. fuisse minoratum ab Angelis, etiã in gratuitis: quia intuitio illa reducenda erat in naturalia Christi D. *vt num.* 43. dicebamus. Inmeritòque Caietanus reprehendit Scotum in hoc. Imò in idem quod reprehendit Caietanus videtur incidisse: dum ibi cùm D. Th. sustinet, species per se infusas animæ Christi D. fuisse minùs vniversales; & consequenter minus perfectas speciebus infusis Angelorum. Ex quo videtur sequi, cognitionem Christi D. ex hac parte non solùm in naturalibus (scilicèt quatenùs provenit ab intellectu) sed etiam in gratuitis esse minùs perfectam cognitione Angeli.

De habitu scientiæ per se infusæ Christi D.

45 SVppono, quòd operari ex habitu perfectionem aliquam affert actibus procedentibus à potẽtia habituata. Quæ perfectio deficit actui procedenti à potentia non habituata. Nec modò disputo, an prædicta perfectio actus sit illi substantialis? an solùm modalis? vtrumque enim mihi est probabile cum Scoto *in* 1. *dist.* 17. Ex quo supposito certum debet esse, Christum D. habuisse habitũ ad exercitium scientiæ per se infusæ. Quia eius operatio debet habere omnem perfectionem possibilem. Quo supposito aliqua dubia restant examinanda.

DVBIVM XVII.

45 PEtes 17. an hic habitus sit realiter distinctus à speciebus infusis Christo D.? Resp. affirmativè. Quia obiectum, & intellectus sunt causæ diversæ rationis respectu intellectionis, & ita concurrunt diuerso modo: ergo vna non potest supplere activitatem, aut causalitatem alterius. Hinc est quòd quantumvis crescat activitas intellectus, nequit intelligere sine specie impressa, aut obiecto immediatè concurrente: & quãtũvis crescat perfectio speciei impressæ, aut obiecti, nequit dari intellectio sine intellectu. Modo sic habitus est eiusdem ordinis, ac potentia; & ideò ponitur ad illã adiuvandum, seu ad perficiendum eius activitatem: ergo sicut species nequit agere vices potentiæ, seu illã supplere: ita neque agere vicẽ habitus, seu illũ supplere. Minor subsumpta constat in alijs potẽtijs, & præcipuè in volũtate: ad cuius operationem, præter obiectum propositũ, requiritur habitus, vt actus (charitatis, v. g.) perfectior evadat. Sivè quia habitus habet aliquẽ influxũ effectivum in actus sequẽtes. Sive quia solùm præstat potẽtijs facilitatẽ, propensionẽ, prõptitudinẽ, & delectabilitatem, per quas potentia inclinata, expedita, seu facilitata prorũpit maiori conatu circa obiectũ, vel materiam. Vtrũque enim modũ philosophãdi probabiliter defendit Scotus *in* 1. *dist.*

stin.17.quæst.2. Priorem *in §.* *io modo:* Posteriorem verò *in* *ntra istam opinionem, vers. Qui* *t.*

Hanc conclusionē defendit us *in 1.d..7.q.2. vel.3.§. Ad ū de secunda via, vers. Ad vlti & dist.3.q.7.§. Ad quæstionē à Ad propositū, & in 4. d.49.q. Respondeo. v. Ex hoc sequitur,* enùs affirmat, præter speciē essā, ponendū esse lumē glomò in primo loco sic cōclu- fine quæstionis. *Nemo negat niter in gloria habitū luminis e in intellectu.* Quare immeri- xit Castillo *disp. 15. q.5. n.4.* sitā sententiā necessariò esse idā in doctrina Scoti. Quia de abitu (inquit) philosophādū cut de habitu luminis gloriæ; esse distinctū à specie, aut cō- obiectivo expresse negat as. Immeritò (inquā) dicit v- ae, vt constat ex locis citatis. dò autē Scotus videtur nega- nē gloriæ, loquitur in sentē- i probabili; quæ affirmat, in- ū passivè se habere respectu nis Beatę. In qua sententia nō ritur lumē gloriæ: quia istud nitur ad recipiēdū visionē, lùm propter ornatū; sed ad ciendā. Recolātur dicta *diff.* o. Igitur, hac lite inter Casti- alios Scotistas omissa, nostrā sionē defendūt Suar. *disp.29 , Ragusa, Lorca, Becanus, Heri rrubal, Granados, Caiet, & rez, quos citat, & sequitur Fe sp.16. diffic.7.*

48 Sed oppositum defendunt *Vazq disp.54. Valentia q.11.puncta 1. Gaspar Hurt. diffi.2. & præcitatus Castillo.* Itaque sicut hi Authores loquendo de visione Beata negāt, lumen esse habitum distinctum à specie impressa. Ita in præsenti di- cunt, habitū concurrentē ad actus scientiæ per se infusæ non esse rea- liter distinctum à speciebus. Affir- mant enim, has species exercere duo munera, nempè se tenere ex parte obiecti ipsum repræsentādo: necnon & receptas in potētia ip- sam elevare, seu costituere in esse principij sciētiæ per se infusæ. Pro qua sententia obijcitur. Circa obie- cta nō solū materialia, sed etiam formalia virtutū infusarū (scilicèt fidei, spei, & charitatis) possunt eli- ci actus naturales, videlicèt à potē- tijs nō elevatis per habit⁹ infusos: ergo à simili sine habitu supernatu- rali distincto à speciebus attinget Christus D. obiectū supernaturale. Antecedēs docet Scotus *in 3. dist. 26. §. Ad quæstionem, vers. Hæc distinguuntur;* vbi docet, quòd fides infusa, & acquisita habent idem obiectum sub eadem ratione. Et *dist. 27. §. Ad primum argumentum principale, versic. Ad quartum dico* docet, amicitiam na- turalem, & infusam tendere in Deum sub eadem ratione. Et *in 1. distin. 17. quæst. 2. §. Ad argumenta pro opinione, versiculo Ad secundum* docet, voluntatem merè naturalem circa obiectum supernaturale sibi ostensum, vel per fidem, vel per

claram Dei visionem posse exercere actum merè naturalẽ, quamvis non meritoriũ: sicut esset meritorius, si eliceretur ab habitu charitatis infuso. Et *quodl.* 14. §. *De primo, versic. Alia differētia* docet, quod Deo immediatè revelanti posset quis credere credulitate acquisita. Quam sententiam, præter Scotistas, sequuntur *Lorca disp.* 9. *de Gratia, Sotus, & Medina.* Resp. negando consequentiã: quia actus naturalis, quo attingitur obiectum supernaturale est minùs perfectus: & consequenter Christo D. non tribuendus.

49 Obijcitur 2. nihil est ponendum ex parte causæ, seu principij activi, cui ex parte effectus aliquid non correspondeat. Sed in actu scientiæ per se infusæ nihil correspondet habitui: ergo non datur habitus distinctus à speciebus. Respondetur negãdo minorem: quia si actus ponatur solùm quoad modum supernaturalis, hic modus correspondet habitui. Si autem ponatur supernaturalis quòad substantiam, in eius intrinseca substãtia reperitur quædam supernaturalitas: quæ, in quantùm provenit ab obiecto, accõmodatur speciei per appropriationem, seu accommodationem: tamen, quatenus provenit ab intellectu, accommodatur habitui, qui se tenet ex parte intellectus: & consequenter qui est distinctus à specie intelligibili.

50 Obijcitur 3. intellectus est causa universalis, & determinabilis; sed sufficienter determinatur per speciem: ergo illa sola [redacted] tur. Respond. negando mi[redacted] quia intellectus eget dupli[redacted] minatione; nempè alia se t[redacted] ex parte obiecti; est enim [redacted] rens ad operandum circa [redacted] obiecta: & alia se tenente ex [redacted] sui ipsius: quia est indiffe[redacted] attingendum obiectum [redacted] turale proportionatè, & [redacted] portionatè; hoc est, at[redacted] naturali, & attingentia su[redacted] rali: quam indifferētiam [redacted] bitus supernaturalis. ¶ Ad [redacted] go sicut species solùm tolli[redacted] tellectu indifferentiam [redacted] obiecti: (id est, facit, quòd [redacted] hoc obiectum potiùs quàm illud) ita solùm potest præstare cognitioni supernaturalitatem [redacted] vam. Item, cùm indi[redacted] intellectus ad proportionatè, & improportionatè attinge[redacted] iectum supernaturale se te[redacted] parte potentiæ, solùm po[redacted] per habitum: hic enim non est species, sed se tenet ex parte potentiæ.

51 Huc spectat doctrina illa Scoti *in* 1. *dist.* 3. *q.* 7. §. *A a*[illegible]*nem, vers. Respondeo* dicentis, speciei impressæ accidere inhærentiã ad producendum visionẽ: (idem poterat affirmare Scotus, & nos affirmamus de munere [illegible]di potentiam) quia id poterat efficere, si conservaretur extra potentiam cum debita approximatione. Sicut idem facit obiectũ Beatificum secundùm mult[redacted] bus subscribo) qui negant: [redacted]

spe-

ciem impressam ad visionem atam. Igitur, cùm accidat spe- i impressæ inhærere potētiæ ad ducendum visionem; quando æret, quantumvis supernatura- it, supplere non potest superna- alitatem petitam ex parte po- tiæ.

DVBIVM XVIII.

2 PEtes decimo octauò, vtrū prædictus habitus sit vni- respectu omnium obiectorū? p. affirmativè. Quia quamvis diversa obiecta, quę attingun- per hanc scientiam; omnia ta attinguntur sub vnica ratio- formali; ergo sicut vnicus est habitus, quo attinguntur om revelata; eo quòd omnia attin- tur sub vnica ratione formali, cèt quatenùs dicta à Deo: (idē dè habitu spei, & charitatis) ita ræsenti.

DVBIVM XIX.

PEtes 19. quæ sit ratio for- malis, sub qua scientia per fusa attingit sua obiecta? Res- d. esse cognoscere obiectū per priam illius speciem abstracti- sine discursu, & conversione phantasma. Itaque prædictus tus inclinat ad cognoscēdum modo. ¶ Dices, quòd *num.* diximus vsum scientiæ per se sæ stare posse cùm discursu: er- ius ratio formalis, seu sub qua igit obiectum, non est incom- possibilis cum discursu. Respond. ita esse: ipsa tamen ad discursum non inclinat: cùm ad suum exer- citium non sit necessarium dis- currere.

54 Ex dictis *n.* 52. & 53. constat hunc habitū scientiæ per se infusæ esse distinctum à lumine gloriæ. (cuius oppositum dixerūt aliqui) Quia lumē inclinat ad videndum Deum intuitivè, & Beatificè: secùs autem hic habitus. ¶ Item constat hunc habitum, seu simplicē qua- litatem esse supernaturalē quoad substantiam. Quia petit infundi: cum à nulla creatura creata, aut creabili possit acquiri. ¶ Vnde etiam constat, hunc habitum esse distinctū ab habitu, seu facilitate, quæ generatur ex frequentatione actuum scientiæ per se infusæ. Si- cut facilitas, seu habitus generatus ex actibus fidei supernaturalis (idē est de habitib' generatis ex actibus supernaturalibus spei, & charita- tis) est distinctus ab ipso habitu fi- dei infusæ.

DVBIVM XX.

55 PEtes 20. an obiecta tàm materialia, seu sensibilia, quàm spiritualia; tàm naturalia, quàm supernaturalia possint attin gi hoc vnico habitu scientiæ per se infusæ? Affirmant Ricardus, Marsilius, & Suar. Negant tamen D. Bonau. Caiet. & alij. In nostra autem sententia hoc dubium non habet locum: quia solùm assig- namus pro obiectis huius scientię

 Deum,

Deum; eius attributa, Mysterium Trinitatis, & Incarnationis. Recolantur Dicta à num. 3.

DIFFICVLTAS IV.

De spectantibus ad scientiam, seu cognitionem Christi D. in proprio genere, quæ dicitur acquisita, seu acquisibilis.

DVBIVM I.

1 PEtes primò, an sit certum fuisse in Christo D. hanc cognitionem? Respondetur affirmativè. Quia de illa veniunt necessariò intelligenda aliqua Scripturæ testimonia, præcipuè illud *ad Hebræos 5. Didicit ex his, quæ passus est, obedientiam. Et Isaiæ 8. Antequã sciat* (experimentaliter) *puer vocare Patrem, & Matrem, &c. & cap. 7. butyrum, & mel comedet, vt sciat reprobare, &c. & antequam sciat puer reprobare malum, &c. Et Lucæ 2. Iesus proficiebat sapientia,* (experimentali) *& ætate.*

2 Nota, hanc scientiam per se acquisitam diuidi in intuitivã, & abstractivam. Abstractiva est, qua cognoscitur obiectum abstrahendo ab actuali præsentia, & existentia. Intuitiva est, quæ ab actuali præsentia, & existentia pendet insupplebiliter. Recolantur dicta *diffic. 2. à num.* 14. Igitur cùm dicimus, in Christo D. fuisse scientiam per se acquisitam, nõ solùm loquimur de abstractiva; (quæ pro prius dicitur scientia) sed etiam de intuitiva, seu experimentali: de qua locuntur testimonia *num. 1.* adducta.

3 Nota etiam, scientiam acquisitam dici illam, quæ oritur à specie, quam intellectus propria virtute acquirit. Acquisibilis autẽ dicitur illa cognitio, quæ oritur à specie, quæ potest haberi labore, vel industria alicuius creaturæ; de facto tamẽ infunditur à Deo prædicta species impressa tali cognitioni deserviens. Recolantur dicta *diffic. 1. à num. 2.*

4 Nota obiter, in Christo D. etiam esse ponendum intellectũ, seu habitum principiorum, sapiẽtiam, scientiam, artem, & prudẽtiam. Hæc enim omnia spectant ad perfectionem naturæ assumptæ; & aliàs nullam involvunt imperfectionem. Et quidem de habitu principiorum, (quem vocãt intellectum) & de prudentia nulla est dubitatio: cùm etiam in nobis reperiantur sine aliqua admixtione imperfectionis. Quod si sapiẽtia, & scientia in nobis non sint sine admixtione opinionis, & dubitationis, seu incertitudinis: tamẽ in Christo D. ita non contigit, quia eius sapientia, & scientia solùm se extendebat ad conclusiones evidentes lumine naturali. De quibus autem lumen naturale assequi non poterat evidentem cognitionem, assecutus est quidquid potest ratio naturalis: atq; adeo omnes ratio-

s probabiles, & iudicia verisi-lia omnium opinionũ. Et quã-per hæc de veritate non iudi-erit, sed suspenderit assensum: iè tamen de probabilitate, quæ dens esse poterat. ¶ Habuit am artẽ, sed sine vsu: quod non llat: quia quamvis ars dirigat ad m; non tamen pendet essentia-r ab eo: cùm tota perfectio ar-ad intellectum pertinens pos-haberi sine illo. ¶ His statutis, specialia scientiæ acquisitæ, vel uisibilis redeundo, restant ali-a dubia examinanda.

obiectis scientiæ per se acquisitæ, vel acquisibilis.

DVBIVM II.

PEtes secundò, quæ obiecta pertineant ad hanc scien-m? Respondetur pertinere om-obiecta materialia, seu sensibi-necnon & spiritualia quæcum-e creata, quæ nõ involvunt res-ctum ad Deum se voluntariè nifestantem. Quare si secluda-s Deum, eius attributa, & my-ria Trinitatis, & Incarnationis, uæ *ex diffic. 3. num.* 14. perti-nt ad scientiam per se infusam) tera omnia comprehenduntur hac scientia. Quia à quocum-e istorum possunt acquiri spe-s ab aliqua creatura. Recolan-tur dicta per totam ferè dif-ficultatem procedentem.

⁂

De actu & modo scientiæ acquisitæ, seu acquisibilis.

DVBIVM III.

6 PEtes tertiò, an actus intui-tivus huius scientiæ fiat cùm conversione ad phantasma? Resp. affirmativè. Quia species ad hanc scientiam intuitivã requisita pendet in suo fieri, & cõservari ab actuali præsentia, & existentia ob-iecti; & ab ipso, medijs operatio-nibus sensuum, & intellectus agẽ-tis causatur, & conseruatur. ¶ Di-ces; probabile est Scoto, ad intui-tionem nõ requiri speciẽ impres-sam, sed obiectũ secundùm suum esse reale præsentiæ, & existentiæ movere potentiam: (Recolantur dicta *diff. 2. n.* 15) ergò falso sup-ponimus, quod species requisita ad intuitionem pendet ab actuali præsentia, & existentia obiecti. Resp. negando consequentiam. Itaque nego, in Christo D. aut in alio homine posse dari cognitionẽ intuitivam scientiæ acquisitæ sine specie impressa intellectuali cau-sata ab intellectu agente ministe-rio phantasiæ. Doctrina autem illa probabilis Scoti affirmantis ad in-tuitionẽ nõ requiri speciẽ, solùm tenet loquẽdo de intuitione sen-suum; necnõ & de intuitione An-geli, aut animæ in statu separa-tionis. In statu autem coniun-ctionis, cùm *nihil sit in intellectu, quin priùs fuerit in sensu*, intelle-ctus non potest moveri ab obie-cto immediatè; sed movetur à

T 4 spe-

specie intelligibili causata ab intellectu agente ministerio phantasiæ: atque adeò semper debet dari species intelligibilis pēdens a phātasmate.

DVBIVM IV.

7 Petes quartò, an actus sciētiæ acquisibilis abstractivæ possit dari sine conversione ad phantasma? Respon affirmativè. Quia habuit species infusas: ex *diffi. 2. num. 6.* ergo sicut acquisitio specierum non erat ministerio sensuum; ita neque vsus illius. ¶ Dices: *oportet, intelligentem phantasmata speculari ex 3. de Anima cap. 8.* ergo quando intellectus vtitur illa specie per accidens infusa, necessariò recurrit ad phātasma. Resp. negando consequentiam: quia Philosophus loquitur de communi modo operandi, in quo species abstractivę non infunduntur, sed acquiruntur.

DVBIVM V.

8 Petes 5. an potuerit Christus D. vti hac sciētia cùm conversione ad phantasma? Resp. negativè. Quia ex convenientia Authorū vsus sciētiæ cùm cōversione ad phantasma est à phantasmate dependere: ex *diffi. 3. n. 31.* sed hanc dependentiam non habuit Christus D. in his speciebus recipiendis; cùm illas acceperit infusas: ergo non potuit vti hac sciētia, seu his speciebus cùm conversione ad phantasma.

DVBIVM VI.

9 Petes 6. an saltèm posset, quando vtebatur hac sciētia abstractiva, simul vti phantasmate eiusdem obiecti? Respondetur affirmativè. Quia nullum apparet incommodum in hoc, quod tunc imperet phantasiæ formare phantasma de eodē obiecto, quod intellectus intelligit sciētia illa abstractiva. ¶ Dices: illa species non fuit acquisita ministerio sensuum: ergo in phantasia non mansit species illius obiecti: ergo nequit illud phantasiare. Resp. negando secundam consequentiam: quia potest illud phantasiare ad instar alterius. Qua ratione format species rerum spiritualium, (Angeli, v. g.) quæ in phantasia fuisse non possunt.

Resolutio aliorum dubiorum remissivè.

10 Nonnulla alia fuissent in præsenti disputanda, nisi eorum decisio constaret ex superiùs dictis. Igitur dubium illud, vtrùm omnia obiecta scientię per accidens infusæ cognoverit Christus D. actu simul? resolvenda est sub distinctione: cognovit enim omnia illa simul quodam genere confusionis obiectivæ; non autem distinctè: iuxta dicta *diff. 2. à n. 20.* vnde multa sunt in præsenti applicanda. ¶ Ad dubium istud, vtrùm vnico actu cognoverit Christus D. omnia obiecta scientiæ acquisitę, seu

acquisibilis? Respon negativè: ta dicta *diff. 3. à n. 18.* ¶ Ad du- m istud, vtrùm ab instanti suæ ceptionis habuerit Christus D. ntiam abstractivā per accidens sam? Resp. affirmativè. Quia : spectat ad eius perfectionem: ta dicta *diff. 3. n. 20.* ¶ Ad du- n. istud, vtrùm aliquando ces- erit Christus D. ab exercicio ntiæ acquisibilis? Resp. nega- propter dicta *diff. 3. à n. 21.* Ad dubium istud, vtrùm Chri- D. vsus fuerit hac scientia dis- rendo? Resp. affirmativè prop- dicta *diff. 3. à n. 2.* ¶ Ad dubiū d, vtrùm Christus D. vsus fue- ac scientia componendo, & dendo? Resp. affirmativè prop dicta *diff. 3. n. 27.*

omparatione scientiæ acquisitæ, acquisibilis Christi D. cū simili scientia Angelorum.

DVBIVM VII.

PEtes 7. quomodo se ha- beat scientia acquisita, aut isibilis Christi D. cōparata cū Angelorū scientia? Resp. fe- dē modo cōparari has scien- c sciētias per se infusas Chri- & Angelorū comparavimus *à n. 33.* Quare dico primò: ectione essentiali non exce- ciētia acquisita Christi D. à scientia Angelorū. Quia sic phari cedit in excellentiam D. & aliàs est possibile. Re- ur. dicta *diff. 3. à n. 6. & n. 33.*

12 Dico secūdò, in modo cog- noscendi scientia acquisita Christi D. abstractiva non exceditur à si- mili Angelorū scientia. Quia tàm Christus D. quàm Angeli vtuntur hac scientia cognoscēdo eius ob- iecta per species abstractivè reprę- sentativas illorū. Recolantur dicta *diff. 3. n. 34.* Si autem comparatio fiat inter scientias intuitivas, seu experimētales, etiam est dicendū, scientiam Christi D. non excedi. Quia quamvis Christus D. in hac scientia cōvertatur ad phātasma; quæ dependentia non reperitur in Angelo; iste tamen convertitur ad obiectum pręsens, & existens: non autem videtur minor dependen- tia ista, ac illa.

13 Dico tertiò: in numero ob- iectorum scientia abstractiva Chri- sti D. excedit similem scientiā An- gelorum. Quia Christus D. rece- pit plures species: (Recolantur di- cta *diff. 2. à n. 6.*) ergo ista scientia maior fuit, quàm Angelorū. ¶ Si autē neges consequētiā: eo quòd, quamvis Christus D. habuerit tot species; non tamen habuit exerci- tium omnium illarū: aliàs elicuis- set infinitas visiones. (Recolantur dicta *diff. 2. à n. 20.*) Respondetur, ita esse loquendo de cognitione distincta: tamen tot actuales cog- nitiones distinctas habuit, quot possunt concedi finitæ, & limita- tæ virtuti elicitivæ intellectus il- lius: hoc enim spectat ad excellen- tiam tantæ personæ, & ad illius magisterium. Non verò videtur congruum, tot visiones Angelo

Con-

concedere: ergo scientia abstractiva Angeli excedit una simili sciẽtia Christi D. Recolãtur dicta *diff. 2. à n 20. & diff. 3. à n. 35.*

14 Dico quartò: in numero obiectorũ scientia acquisita intuitiva Christi D. non se extendit ad tanta obiecta, ac similis scientia Angelorum. Quia maior est sphera activitatis Angeli, quàm Christi D. Nam Angelus attingit per hanc scientiam experimentalem non solùm obiecta materialia, & sensibilia, sed etiam spiritualia: Christus autem D. per hanc scientiam solùm attingebat materialia, seu sensibilia, quæ erant præsentia sensibus.

15 Dico quintò: in intensione scientia acquisita Christi D tàm abstractiva, quàm intuitiva præstantior fuit, quàm similis scientia Angelorum. Quia hoc est possibile, & aliàs spectat ad excellentiam Christi D. Possibilitas autem suadetur ex eo quòd ad hanc sciẽtiam concurrunt intellectualitas, species, & habitus per accidens infusus. Sed in intellectualitate Christus D. excedebat gradualiter intellectualitatẽ Angeli. (si istæ intellectualitates solũ numero differant. Recolantur dicta *diff. 1. à n. 11.*) Item habitus infusus Christo D. erat summus: ergo ex his duobus capitibus eius visio perfectior evadebat. Recolantur dicta *diff. 3. à n. 39.* ¶ Dices: ad cognitionem intuitivã acquisitã non concurrũt species infusæ, sed acquisitæ ministerio intellectus agentis. sed iste in Christo D. est minùs perfectus, quàm in Angelo: ergo acquisivit species minùs perfectas: ergo ex hac parte intuitio Angelica acquisita evadit perfectior: ergo absolutè erat perfectior. Resp. (omissis maiori, & prima consequẽtia) negando secundã: quia, cùm habitus Christo D. infusus fuerit summus; eius excessus videtur esse maior. Resp. secundò negãdo minorem: quia intra eamdẽ speciẽ perfectior est intellectus Christi D. atque adeò producit perfectiorẽ speciem impressam.

DVBIVM VIII.

16 PEtes 8. an Christus D. aliquid ab homine, vel ab Angelo didicerit? Resp. negativè. Quia minùs cõveniens, & decens erat, vt Christus D. Magister omniũ hominũ, necnõ & Doctor, atque Angelorũ illuminator, (vt docet Dionysius *de Cælesti Hierarchia c 7.*) ab eis doceretur, aut illuminaretur. Et ideò omnia scivit per scientiã beatam, necnõ & per scientiã in proprio genere. ¶ Sed cõtra hanc Theologorũ cõveniẽtiã obijcitur, quòd videtur, linguã à parẽtibus didicisse. Resp negãdo: quia ab instãti cõceptionis habuit gratiã, quę dicitur generalingua rũ: de qua egimus *c. 7. diff. 6. n. 7.* ¶ Obi. 2. quòd relatu aliorũ plura didicit. Resp. negãdo: quia hic modus addiscẽdi per fidẽ humanam imperfectionẽ fallibilitatis habet annexã: & ideò in Christo D. esse nõ potuit: sed quãdo narrata audic-

ebat præbebat assensum, aut dis-
ssum eliciebat iuxta id, quod
rò sciebat per scientiā sibi infu-
n, & Beatā; sed absque directio-
proponētis. (In qua cōsistit edo
o) Audiebat quidē narrata, &
eis species abstrahebat, quibus
liùs, & faciliùs obiecta appre-
ndebat, & de illis iudicabat, &
ea illa discurrebat per scientiā
uisitā, seu experimētalē, quàm
emet proponens, seu narrans.

17 Obi. 3. quòd Lucæ 2. dici-
fuisse in medio Doctorum in-
rogans illos: ergo discebat ab
Resp. negando consequētiam:
a non semper interrogatio fit
discendū: vt cōstat *ex Lucæ 24.*
7. vbi Christus D. interrogavit
cipulos euntes in Emaus; & ali-
æpè. Interrogabat autē Docto-
, vt vicissim ab eis interroga-
eos edoceret. Quod innuit E-
gelista verbis illis: *Stupebāt om-
super prudentiam, & responsis*
¶ Obi. 4. quòd *apparuit illi
gelus confortans eum: Lucæ 22.*
aliquam proposuit illi ratio-
n, qua ponderata à Christo D.
solaretur: ergo Angelus eum
ruxit, & docuit. Respon. cùm
q. *disp. 56. c. 2. & G. Hurtado,*
lū non propriè confortasse,
consolatū fuisse Christum D.
ponendo ei aliquā rationē, vt
tē subiret: sed tantū eius ani-
promptitudinē ad patiēdum,
rtitudinē laudasse: quod ver-
nforto etiā significat. ¶ Resp.
dò *cum Lorca disp. 51. n. 4. &*
cod. ī Hurta lo, Angelū propriè fuisse cōsolatū Christū D. & ipsius tristitiā lenijsse absq; instructione aliqua solo colloquio, & cōversatione sui tāquā copatiētis Christo D. quomodo tristitia afflicti leniri solent.

18 Notant benè *Vazq. ibi c. 1. n. 1. & G. Hurt.* quòd postquā Tridentinū *sess. 5. in decreto de vsu sacrorū librorū* declaravit, editionē Vulgatā esse canonicā cum omnibus suis partibus, nō potest dubitari de historia illius apparitionis: cùm expressè cōtineatur in Vulgata. ¶ Dubitaverat autē de illa historia D. Hilarius 10. *de Trinit. nō lōgè à medio*, vt sic respōderet Arianis, qui hoc testimonio vtebantur, ut probarent, Verbū esse purā creaturā. ¶ Est autē deceptus Caietanus *in illud Lucæ 22.* dicens, D. Hieronymū de hac historia dubitasse. Quia reverà non dubitavit: solùm enim dixit *dialogo cōtra Pelagianos* in aliquibus codicibus nō inveniri. Fortassè (subdit Vazq.) quia propter metū Arianorum à Catholicis fuerat abrasa. Sicut etiā testatur D. Epiphanius propter metum Arianorum ab aliquibus Catholicis fuisse deletam illud de fletu Christi D.

De habitu scientiæ acquisitæ Christi D.

Svppono, quòd operari ex habitu aliquā perfectionē affert actibus procedentibus à potentia habituata. Recolantur dicta *diff. 3. num. 45.* ¶ Suppono secundò, quòd quæcumque operatio Chri-

Christi D. debet poni perfectissima. Ex quibus certum relinquitur, quod ad actualem eius scientiam acquisitam debet præcedere habitus in potentia. De quo habitu aliquot dubia sunt examināda.

DVBIVM IX.

19 Petes 9. an habitus acquisitus scientiæ Christi D. cōsistat in solis speciebus? Respond. negativè cùm cōmunissima sententia. Quia hic habitus est quædam qualitas se tenens ex parte potentiæ, per quam ista redditur facilitata, inclinata, & prōpta ad operandum circa obiectum, seu materiam illius habitus: ergo quid distinctū est à speciebus: istæ enim se tenent ex parte obiecti: estque illis accidentarium inhærere potentiæ ad concurrēdum cum illa, atque ad illam movendū, vt producat actum. Recolātur dicta *diff. 3. à num.* 46.

DVBIVM X.

20 Petes 10. an hic habitus sit vnus? an plures? Respondetur, esse plures in esse scibilis, & in esse qualitatis: sicut in alijs hominib⁹ sunt plures habitus metaphysicæ, v. g. habitus Logicæ, &c.

DVBIVM XI.

21 Petes 11. an habitus scientiæ per se acquisitæ Christi D. fuerit per accidens infusus? Resp. affirmativè. Quia est possibilis ista infusio, & cedit in excellentiam Christi D. Ita D. Bonau. *in 3. dist. 14. art. 3. q. 2. Durandus. Gab. Ricardus, & Palud. quos citāt, & sequuntur Suar. disp. 30. sect. 2. & Felix cap. 17. diff. 1.* ¶ Vnde reijcitur sententia affirmans, Christū D. proprio labore, & paulatim acquisisse hunc habitum. Ita *D. Th. 3. p. q. 9 art. 4. Caiet. Medina, Aluarez, Ragusa, & Vazq. quos citat, & sequitur Castillo disp. 15. q. 7. à n 8.* ¶ Item reijcitur G. Hurt. *disp. 8. diff. 22.* dicens, hunc habitum fuisse partim Christo D. per accidens infusum, & partim labore proprio acquisitū. Itaque cōtra has sententias procedit nostra conclusio affirmans, Christo D. ab instanti suę conceptionis fuisse per accidens infusum quemcumque habitū natura sua acquisibilem.

22 Sed pro sententia D. Th. &c. obijcies Scotum *in 3. dist. 14. q. 3. §. Ad quæstionē, vers. Quod si* dicētem Christū D. aliqua cognouisse habitualiter per species infusas, & aliqua non, posse tamē illa noscere, si fiant aut ponantur in existētia reali: ergo sentit, Christū D. habuisse habitū proprijs actibus acquisitum. Patet consequētia: quia si ab instante cōceptionis habuisset habitū per accidens infusum; non aliqua, sed omnia cognouisset habitualiter. Resp. Scotum apertè loqui, non de habitu se tenente ex parte potētię, sed de specieb⁹ ipsis quæ multoties vocātur habit⁹ (legatur Scot⁹ *ibi q. 4.*) eò fortè, quod permanent in potentia: & con-

se-

quenter habent modum habi-
is, prout distinguitur ab actu, qui
natura sua citò transit. ¶ Di-
es, hoc esse contra dicta *diffic. 2.*
um 7. & 8. vbi statuimus, Chri-
um D. habuisse infusas species
mnium naturarum communiũ;
ecnon & omnium singularium
iuscumque naturæ. Vnde planè
fertur, nullum posse excogitari,
uod Christus D. non cognoverit
abitualiter, sumpta cognitione
abituali pro habere speciem im-
ressam. Respond Scotum solùm
roblematicè loqui: vt constat ex
sius verbis. Respond. secundò,
lùm intendere, quòd etsi om-
um singulariũ habuerit species
npressas; nõ tamen omnia actua-
ter cognovit intuitivè; sed solùm
a, quæ erant realiter existentia,
præsentia intra sphærã eius po-
ntiæ cognoscitivæ. Si enim Sco-
s non loqueretur de cognitione
tuitiva actuali frustra recurreret
realem existentiam: (vt recur-
illis verbis: *potest tamẽ noscere il-*
habitualiter, si illa fiant in existen
reali, &c.) etenim neque ad
gnitionem habitualem sumptã
o specie impressa; neque ad cog-
tionem actualem abstractivam
necessaria realis existentia rei
gnitæ.

13 Obijc. 2. quòd *didicit ex his,*
e passus est, obedientiam, ad He-
e. 5. ergo acquisivit speciem.
espond concedendo consequẽ-
ũm de specie sensuum, seu sensi-
. non autem de specie intelligi-
i. Cùm enim in illius intellectu
fuerit iam alia species solùm nu-
mero distincta ab ista; quam aliàs
acquireret, non potuit alia de no-
vo generari, ne vna illarum esset
superflua. ¶ Obi. 3. quòd talis sciẽ-
tia in Christo D. fuit otiosa, & su-
perflua per totum tempus infan-
tiæ. Patet: quia vsus talis scientiæ
debet esse cum conversione ad
phantasma. Si autẽ poterat Chri-
stus D. pro tunc converti ad phan-
tasma, potuisset etiam hanc scien-
tiam acquirere: atque adeò infu-
sio præcedens videtur superflua. Si
tamen pro tunc propter indispõsi-
tionem sensuum non poterat in-
tellectus converti ad phantasma-
ta, otiosa erat prædictæ scientiæ
infusio. Respondetur negando an-
tecedens: cuius probatio procedit
de speciebus, nõ de habitu, de quo
est præsens difficultas; & quem (si-
cut & species) dicimus fuisse infu-
sum Christo D. ab instanti concep-
tionis; vt ex tunc perficeretur eius
intellectus, & posset prorumpere
in actus perfectissimos, quando-
cumque vellet. Hac ratione non
fuerunt otiosi in Christo D. habi-
tus virtutum moralium, & Theo-
logalium ab instanti suæ concep-
tionis. Nec sunt otiosæ scientiæ
habituales in hominibus, quandò
dormiunt. Igitur dato, quòd Chri-
stus D. ad vsum huius scientiæ ab-
stractivæ per accidens infusæ ege-
ret conversione ad phantasma.
(quod negavi *num. 9.*) Minimè
infertur, prædictam scientiam ha-
bitualem (idem dico de spec e-
bus) esse superfluam, aut otiosam

Chri-

Christo D. ab instanti conceptionis, aut quando dormiebat: quia ex tunc, & pro tunc perficiebat potentiam.

24 Obijc. 4. perfectiùs est habere scientiam proprio labore acquisitam, quàm infusam: ergo Christo D. non est concedenda infusa. Respon. (omisso antecedē-ti non satis mihi certo) negando consequentiam: quia hoc fieri non poterat sine ingenti miraculo: quale fuit, (secundùm Caietanū) quòd ministerio Angelorum brevi tēporis interuallo fierent Christo D. presentia omnia obiecta huius scientiæ. Contra quem Authorem benè obijciunt communiter, quod si non renuit miraculū concedere in scientia ista; aptius est concedere infusionem ab instanti cōceptionis. Tùm, quia est minùs miraculum. Tùm, quia eius intellectus ex tunc manebat perfectus per scientiam. ¶ Obi. 5. sequi ex nostra sententia, intellectum agentem Christi D. esse otiosum, Resp. hoc esse per accidens: sicut erit in Beatis tàm intellect⁹ agens, quàm potentiæ generativa, nutritiva, & augmentativa.

25 Obi. 6. Deus potuit Christo D. infundere actus huius scientiæ, & tamen non fecit: ergo ex hoc, quòd potuit infundere habitum, non sequitur, illum de facto infudisse. Respond. ita esse. Non enim affirmamus fuisse infusum habitum ex hoc præcisè, quòd nō repugnat; sed simul ex hoc, quòd spectat ad perfectionem Christi D. ad quam spectat, quòd eliciat act⁹ huius scientiæ: (sicut & per se infusæ) cùm illos connaturali modo possit elicere sine aliquo inconveniente; quod non vitaretur, si acquireret habitum, & illum non recepisset infusum, tunc enim dicendum foret, Christum D. carere hac scientia habituali pro intervallo requisito ad eius acquisitionem; vel quòd interventu ingentis miraculi omnia obiecta simul fuerunt præsentia Christo D. & simul circa omnia elicuit actus: quorum vtrumque est difficile creditu.

CAPVT IX.

De merito, & satisfactione Christi Domini.

CVM ad meritum, & ad satisfactionem per modum meriti ex parte operantis concurrant gratia dignificando, & scientia dirigendo: cùmque iam de vtraque, duobus præcedentibus capitibus dixerimus: succedit in præsenti de merito, & satisfactione meritoria Christi D. tractare.

⁂

DIFFICVLTAS I.

De spectantibus ad meritum de condigno Christi D.

DVBIVM I.

1 Petes primò, conditiones ad meritum de condigno requisitas? Resp. aliquas esse omninò necessarias ex conuenientia authorum: vt suppono *ex tractatu de Merito*: de quo legendus est noster Felix *in tractatu de Gratia c. 9. n. 10.* Vnde notò, ex tribus capitibus requiri conditiones ad meritum condignum, seu de condigno, nempè ex parte actus, ex parte merētis, atque ex parte illius, apud quem meremur. Ex parte actus requiritur, quod sit bonus, & honestus, liber libertate contingentiæ, & proportionatus cùm præmio. Hæ conditiones adeò sunt necessariæ, vt nec diuinitùs suppleri possint, quare fieri nequit, vt sit meritorius actus (vel omissio; vt non nullis placet, quibus subscribo) carens honestate: quales sunt mali, necnon & indifferens. Neque qui caret libertate contingentiæ: vt sunt actus primò primi. Neque qui caret proportione cùm præmio: vt est actus naturalis, qui merere nequit præmium supernaturale, nisi priùs eleuetur ad illum ordinem saltèm per directionē charitatis, vel alterius virtutis supernaturalis; aut saltē per acceptationē antecedentē. Quā acceptatione sufficere videtur insinuare Scotus *in 1. dist. 17. q. 3. §. & vers. De secundo articulo.*

2 Ex parte merentis duæ conditiones requiruntur. Prima est, quòd, qui meretur condignè præmiū supernaturalē, sit in statu gratiæ. Secunda, quòd sit viator. De priori cōditione cōmuniter dicitur peti ex natura rei, & esse indispensabilē. Existimo tamē, hic esse opus distinctionis. Non enim est necessaria gratia interna, seu habitualis; benè tamē ista, vel saltē extrinseca acceptatio in amicū, vel filiū adoptiuū: vt *n. 1.* dicebamus loquendo de proportione operis cùm præmio. ¶ De cōditione status viæ communiter dicitur, nō esse requisitā ex natura rei: atque adeò esse dispensabilē à Deo. ¶ Ex parte demum illius, apud quem meremur, requiritur promissio præmij sub ratione operis faciendi: quæ promissio habet rationē pacti, & per eam promittens manet obligatus (ex iustitia, aut saltèm ex fidelitate) ad remunerandū meritum, seu dandum præmiū. Vtrùm autem hæc promissio non solùm inducat obligationē præmiādi; sed etiam præstet, aut præstare possit valorem operibus? controuertitur in tract. de Gratia. Circa quod Scotistæ bipartiuntur.

DVBIVM II.

3 Petes secūdò, an opera Christi D. habuerint prædictas cōditiones? Resp. dubitari nō posse, aliqua saltē illius opera habuisse prædictas conditiones. Est enim con-

concors Ecclesiæ, & Doctorum consensus asserentium, meruisse nobis iustificationem. Quod & definit Trident. *sess. 6. cap. 7.* ¶ Pro clariori autem intelligentia singulas cõditiones perpẽdamus. Quis enim audeat negare, quòd aliqua opera Christi D. (ieiunium, v.g.) fuerint bona, & honesta, facta cùm libertate cõtingentiæ, & proportionata cùm præmio. ¶ Est etiam indubitatum, habuisse conditiones requisitas ex parte merentis. Fuit enim in statu gratiæ, & viator. Quia etsi ab instanti conceptionis eius anima clarè viderit Deum, & de illo perfectissimam habuerit fruitionem; tamen per miraculum beatitudo animæ non redundabat in corpus: & consequenter simul erat Beatus, necnõ & viator, seu tendens in gloriam corporis, atque in generis humani redemptionem. Quòd sit componibile meritum cùm beatitudine animæ, fatetur Ecclesia ipsa, dùm diffinit, Christum D. meruisse nostram iustificationem; & passim postulando per merita illius. Et ratio esse potest, quòd status viæ non est conditio petita ex natura rei ad rationem meriti: vt *num. 2.* notabamus.

4 Est etiam certum, quòd ex parte Dei præcesserit pactum, seu promissio præmiandi opera Christi D. Quia aliqua eius opera fuerunt meritoria: & aliàs pactum à ratione meriti nequit separari, seu ad meritum est insupplebile. Et specialiter loquendo: de passione, & morte continetur promissio in illis verbis *Isaiæ 53. Si posuerit pro peccato animam suam videbit semen longævum.* Quòd pro omnibus, & singulis Christi D. operibus est distribuendum sic. *Si ieiunauerit pro peccato humani generis, merebitur eius deletionẽ. Si vigilauerit, si prædicauerit, si amauerit, &c.* Quia hoc spectat ad excellentiam, & exaltationem meritorum Christi D. ¶ Ex quibus constat, nullum fuisse opus Christi D. quod nõ habuerit omnes conditiones ad meritũ de condigno, & consequenter ad satisfaciendum per modum meriti requisitas.

De actionibus quibus Christus D. meruit.

DVBIVM III.

5 PEtes 3. an Christus D. meruerit per Beatã dilectionem Dei? Respond. affirmatiuè. Quia illa dilectio habet omnes cõditiones ad meritũ requisitas *num. 1. & 2.* Ita Scotus *in 3. dist. 18. §. In ista quæstione vers. Ad secundùm, Fabro, Pitig. Altisiod. Gab. Maior Almaynus, & Capreolus (qui dicit, fuisse sententiam D. Th.) quos citat Cauellus in Scholio ad vers. contra illud, & quos secuntur Castillo disp. 14. quæst. 1. num. 11. & Felix cap. 14. diffic. 1.* Verum est, quòd Almaynus, & Gab. (teste Vazq. *disp. 74. cap. 2. num. 6.*) dicunt, in Beatis duos esse actus fruitionis, seu dilectionis Dei: alterum à solo [illegible] pro-

oductũ, & infusum animæ, quo
atur: alterũ elicitum ab ipsa fa-
ltate animæ; qui actus non est
atificus, seu in ipso (aiunt) non
nsistit beatitudo; & quem di-
nt esse meritorium.

Oppositum defendunt *D.*
nav. Alensis, & Altisiodorensis,
os citat, & sequitur Vazq. disp.
c 3. Item Becanus c. 14 q. 3. G.
rt, disp. 14. diff. 2. & Petr⁹ Hurt.
p. 63. sect. 1. §. 20. Qui affirmant,
ristum D. non meruisse per actũ
ectionis; sivè ista dilectio sequa-
ad scientiam beatam, sivè ad
entiam infusam: existimant e-
n, solùm meruisse per dilectio-
proximi, & per actus aliarum
tutum. Item opponuntur no-
e conclusioni, qui dicunt, Chri-
m D. meruisse quidem per actũ
ectionis Dei, qui sequitur ad
tiam infusam; non tamen per
n, qui sequitur ad scientiam
tam. Hi sunt *Caiet. & Ferrara,*
s citant, & sequuntur Suarez
ut. 3. sect. 2. (vbi hanc sententiã
uit D. Thom. 3. p. q. 19. art. 3. in
tione ad 1.) & Lorca disp. 72.
clus. 2. & 3. Igitur hi omnes no
oppositi obijciunt. Ad meritũ
uiritur libertas: sed dilectio
isti D. qua diligebat Deum bea
tè, non est libera: ergo neque
ritoria. Minor probatur instan-
liorũ beatorum; qui non pos-
t peccare; eo quòd carēt liber-
. Resp. ex doctrina Scoti *in 4.*
9 q. 6. §. Hic duo à vers. Contra
ndam negando minorem. Qui-
nque enim Beatus absolutè, & simpliciter est liber ad peccandum
sivè per solam cessationem dilec-
tionis; sive etiam per elicientiam
positivi odij Dei. De quo inter nos
Scotistas est non parva controver-
sia. Videatur Felix *tract. de Beatit.*
c. 4. diff. 1. à num. 11.

7 Minor illa argumenti *num.*
præced. facti (dilectio, qua Christus
D. beatificè diligebat Deum, non
est libera) probari potest ex alio ca-
pite, nempè ex eo, quod non elici-
tur à Christo D. sed infunditur à
Deo, vt dixerunt Gab. & Almay-
nus: de quo *n. 5.* Vnde sic argumen
tor. Illa dilectio infunditur: ergo
non est libera: ergo neque merito-
ria. Respondetur negando antece-
dens. Huc spectant dicta *c. 8. diff. 1*
à n. 7. vnde multa, & pro confir-
matione huius argumenti, & pro
solutione illius sunt mutuanda.

8 Obijciunt 2. Beatus non po-
test mereri: ergo neq; Christus D.
Resp. concedendo antecedens de
potentia ordinaria, & negando de
absoluta: quia status viæ ad meritũ
requiritur, nõ ex natura rei, sed ex
dispositione diuina. Meruit tamē
Christus D. de lege ordinaria, &
non alij Beati; eo quòd isti nullo
modo manent in statu viæ; sicut
manebat Christus D. qui ideò pa-
tiebatur. Et ratione huius circum-
stantiæ omnia illius opera habebāt
congruentiam, vt à Deo accepta-
rentur ad præmium, pro quo offe-
rebantur. ¶ Nota, quòd propter
hoc argumentum dixit Scotus,
suam, & nostram sententiam esse
difficilem. Vnde Vazquez citatus

V sum-

sumpsit occasionem ad affirmandum, Scotum non omninò fuisse huius sententiæ. Fallitur tamen: solùm enim dixit, hoc *esse difficile propter alios Beatos*. Et meritò: cùm enim nulla ratione sint viatores, nequit in eis salvari ratio meriti de potentia, aut lege ordinaria: benè tamen in Christo D. qui simul fuit Beatus, & viator. Præterea affirmare, aliquid esse difficile non est oppositum defendere, aut ab illius propugnatione cessare.

9 Obijciunt 3. voluntas creata Christi D. non solùm est libera, sed etiam est quædam specialis natura: ergo quamvis liberè feratur in multa obiecta; in aliquod tamē debet ferri naturaliter, seu necessario, scilicèt in Deum, qui est perfectissimum obiectum volūtatis. Probatur consequentia à paritate volūtatis divinæ; quæ est natura & libera; & ideò fertur liberè in creaturas; in Deum autem, aut in seipsum omninò necessariò. Respond. negando cōsequentiam. Ad probationem dico, voluntatē divinam non ideò necessariò amare Deum, quia volūtas est natura; sed quia est summe recta: & ideò nequit cessare à summa rectitudine; quæ in amore summe recti, seu Dei reperitur. ¶ Adde, quòd, cùm voluntas divina sit quædam natura essentialiter libera; etiam respectu Dei, & in productione Spirit. Sancti procedit liberè libertate essentiali, quæ consistit in hoc, quòd non determinetur ab obiecto, sed se ipsam determinet, quamvis cū summa, & omnimoda necessitate, prout necessitas opponitur cōtingentiæ. Voluntas autem creata cùm sit essentialiter libera, & aliàs nō sit summè recta, attingit quodcumque obiectum (etiam infinitū) liberè non solum libertate essentiali, sed etiam contingentiæ.

DVBIVM IIII.

10 PEtes 4. an Christus D. meruerit per actum dilectionis Dei sequutum ad scientiā per se infusam? Respondetur affirmativè. Quia tali actui competunt conditiones ad meritum condignum petitæ *num.* 1. *&* 2. Ita Scot. *in* 3. *d.* 18. *§. In ista quæst. vers. Tunc ad propositum, Caiet. & Ferrar. quos secuntur Suar. disp.* 39. *sect.* 2. *& Lorca disp.* 72. Imò suppositis his, quæ de amore Beatifico diximus *à n.* 5. existimo, quod in præsenti potiùs est controuersia de supposito, nempè àn in Christo D. detur dilectio Dei secura ad scientiam per se infusam, quàm de eius qualitate meritoria.

11 Sed Vazq. *disp.* 72. *c.* 3. *n.* 11 *G. Hurt. disp.* 14. *diff.* 2. *& aliqui alij* duo affirmant. Primum est in Christo D. vnicā fuisse dilectionē Dei, illam scilicèt, quæ sequitur ad scientiā Beatā. (quam esse meritoriam negarunt isti *n.* 6.) Secundò dicunt, quòd dato, fuisse in Christo D. etiam dilectionem securam ad scientiam per se infusam, ista non fuisset meritoria. Quare affirmant Christum D. non meruisse per vllū chari-

aritatis affectū erga Deum; sed r amorem erga proximum, & r exercitium aliarum virtutum. ergo obijciunt contra nostram nclusionē. Christus D. per scienm per se infusam, non cognovit um, vt est in se: ergo nullus est us charitatis secutus ad hāc sciē. Resp. negando antecedēs prop dicta c.8. præsertim diff. 2. n. 20. io Thomistæ, qui cōcedunt anedens, negant cōsequentiam: la ex effectibus supernaturalib' icèt ex actu fidei supernaturavisionis intuitivæ D. Petri v.g. os cognovit Christ' D. per sciē n per se infusam in sententia omistarū: & in nostra per sciēm seu cognitionē per accidens sam, iuxta dicta c.8. diff. 3. à n.) cognovit Christus D. à posteri, & quo àd an est ? Deum Aurem supernaturalem: quæ est nitio sufficiens ad diligendum am amore supernaturali, & me rio.

2 Obi. 2. duo accidentia solū nero differētia nō possunt esse odem subiecto: ergo neque in isto D. duæ dilectiones Dei, al Beata, & altera nō Beata. Pa consequentia: quia istæ solū nu ro differunt. Resp. antecedens m esse verū de accidentibus ninò similibus; quales sunt duæ ntitates, duæ qualitates, seu allines, &c. Secùs autem si non omninò similes, seu eiusdem onis. Quare Scotistæ admittis in homine habente plures fiplures paternitates solùm numero diversas terminatas ad illos filios: (contra Thomistas dicentes esse eamdem cum diversis extensionibus) eoquòd istæ paternitates non sunt omninò similes: cū respiciant diversos terminos. Igitur cùm prædictæ dilectiones non sint omninò similes, (est enim altera Beata, & altera nō beata) cōpatiūtur de lege ordinaria in eodē subiecto. ¶ Resp. 2. negando consequentiam, & eius probationem: quia illæ dilectiones Christi D. erga Deum differūt specificè. Quod colligitur à posteriori ex eo quòd petunt prævias conditiones specificè distinctas, quales sunt scientia Beata, & scientia in proprio genere. Hac ratione Scotus *in 4. d. 49. q. 5. §. Ad quæstionē, vers. Aliter* tāquam probabilius defendit, quòd fruitio Beata, & non Beata differunt specificè; eò scilicèt quòd petunt conditiones prævias specificè diversas, quales sunt cognitio fidei, & cognitio Beata.

13 Obi. 3. cognitio infusa nequit movere ad amorem in præsentia scientiæ Beatæ: ergo circa Deū beatificè cognitū, & amatū, Christus D. non habebat dilectionem ortā ex cognitione non beata. Antecedens probat experientia diligentis aliquem propter pulchritudinem cognitam ex aliorū relatu. Si enim posteà intueatur ipsūmet pulchrū, cessat dilectio orta ex relatu, & succedit dilectio orta ex clara visione rei in se. Respond. negando antecedens. Ad probationem dico, disparitatem esse, quòd

quòd fides versatur circa non visa. (est enim *argumentum non apparentium. Ad Hebræos* 11. *n.* 1.) Quare mutuò se excludunt fides, & cognitio clara eiusdem obiecti: & cōsequentèr affectus, qui ex ipsis sequuntur. Visio autem Beata, & cognitio per se infusa circa idem obiectum nullā dicunt oppositionem: ac per consequens neque dilectiones, quæ ex ipsis origināntur.

DVBIVM V.

14 PEtes 5. an Christus D. meruerit per opera, ad quæ tenebatur ex præcepto? Resp. affirmativè. Quia illa opera habent cōditiones ad meritum petitas *n.* 1. & 2. Ita Vazq. *disp* 74. *c.* 4. & 5. *G. Hurt. disp* 14. *diff.* 3. *Castill. disp.* 14. *q.* 1. *num.* 29. *Fel. c.* 14. *diff.* 2. & *communiter Recentiores*: antiqui enim de hoc non disputarunt expresse. Mihi tamen satis insinuat Scot. in 3. *d.* 18. § & *vers. Ad primum principale*, quaten⁹ affirmat, Christū D. fuisse summè coniunctum Deo affectione iustitiæ, non autem affectione commodi.

15. Sed pro clariori huius notitia nota, quòd circa suppositum huius dubij Lorca *disp.* 73. singulariter existimavit, Christū D. non habuisse strictum præceptum moriendi; sed solū habuit (inquit Lorca) notitiam, & insinuationem voluntatis divinæ, quam ipse liberè curavit implere non obligatione, sed ferventissima charitate, & obediētia. Quam insinuationē Patres aliquādo largiori appellatione (inquit ille) vocant mādatum, & præceptum. Pro hac autem sententia, quæ affirmat, Christum D. non habuisse strictū præceptum obligans in conscientia, vt nos redimeret, (quam Lorca eruditè sanè defendit) citat Paludanum *in* 3. *d.* 12. *q.* 2. *art.* 3. quatenùs omne præceptū positivum excludit à Christo *D.* citat etiam *Cister. Victor.* & *Alb. Magnum.* ¶ Nota, Lorcam non absolutè negasse omnia præcepta respectu Christi *D.* Distinguit enim naturalia diuina, & positiva: & affirmat, fuisse vera præcepta naturalia, quæ Christū D. in conscientia obligabant v. g. subvenire indigenti, &c. Nō tamen obligabatur præceptis positivis; qualia sunt legalia legis Moysis; decalogi, & præceptum de morte subeunda pro redemptione generis humani. Tamen cōtra hunc Authorē reliqui defendūt, Christo D. fuisse præceptam mortem (vt reliqua nunc omittamus) in hominum redēptionem. De quo redibit sermo *c.* 14. *diff.* 1. *à n* 9.

16. His notatis contra nostram conclusionē *n.* 14. positā sic cōmuniter obijcitur; Christ⁹ D. peccare non potest: ergo nequit non implere præceptum: ergo necessariò, aut sine aliqua cōtingentia illud adimplet: ergo eius adimpletio non habet libertatem ad meritum requisitam. Hoc argumentum ferè insolubile est omnibus, qui affirmant, Christum D. fuisse impeccabilem ex vi vnionis hypostaticæ, aut ratione alicuius existen-

xiſtētis in ipſo, quod habeat phyſicam oppoſitionem cum peccato. Quare Authores ſic philoſophantes in varias, & ferè in intelligibiles ſolutiones ſunt diſtracti. In primis enim propter hoc argumētum. Lorca *diſp. 73.* negavit, Christo D. fuiſſe impoſitum præceptum moriendi in hominum redemptionem: vt *n.* 15. notabam⁹. Immeritò tamen ſic philoſophatur Lorca: quia ex hoc ſequitur, in Christi D. mortem nō intervenisse obedientiam veram: (hæc enim reſpicit præceptum) quod eſt contra illud *factus obediens vſque ad mortem: ad Philipēſes 2.* Aliqui alij (vt referunt ipſemet Lorca *ibi*, & *Vazquez diſp. 74*) dixerunt, quòd licèt opus Christi D. cadens ſub præceptum fuerit liberum in ſenſu compoſito, non tamen in ſenſu diviſo. ¶ Alij, quòd ſuppoſitio præcepti non eſt intrinſeca in voluntate, ſed ſolùm extrinſeca, & non aufert libertatem. ¶ Alij, quòd licèt opus præceptum non habeat libertatem, benè tamen voluntas illa, qua admiſit præceptum. ¶ Alij, quòd præceptum ſolùm cadit ſuper opus externum, quod ante ipſum Chriſtus D. liberè volebat prædictum opus efficere: talem volitionem vocant adimpletionem materialem præcepti. ¶ Alij (& eſt probabilius inter recentiores) quòd licèt ſubſtantia operis cadentis ſub præceptum non eſſet libera, benè tamen plures circumſtantiæ illius, ſcilicèt tempus, intentio, motivum extrinſecum: vnde tota actio exercebatur liberè. ¶ Tamen contra omnes, & ſingulos iſtos modos philoſophandi militant omnia Scripturæ teſtimonia, quibus dicitur Chriſtū D. habuiſſe præceptum exercendi aliquam actionem: qualia ſunt illud *Ioan. 1. Hoc mandatum dedit mihi Pater: & cap. 14. Sicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio: & cap. 15. ego Patris mei præcepta ſervavi.* Si tamē aliqui Patres videātur negare præceptū reſpectu Chriſti D loquuntur de illo ratione divinitatis.

17 Igitur prædictum argumētum in tot traxit modos philoſophandi Authores, qui exiſtimant, Chriſtū D. ex vi vnionis fuiſſe impeccabilem, aut ratione alicuius phyſici exiſtentis in Chriſto, quòd habeat phyſicam oppoſitionē cū peccato. In ſentētia autem Scoti, quæ defendit, impeccabilitatem Chriſti D. ſolùm eſſe moralem, facilis eſt præfati argumenti ſolutio. Quare in forma reſpondemus diſtinguendo antecedens illud: (*Chriſtus D. peccare non poteſt*) phyſicè, nego: moraliter, concedo. Quæ diſtinctio eſt accommodanda ferè omnibus propoſitionibus, & negāda eſt vltima conſequentia. Sicut omnes negant, quòd confirmatus in gratia nō habet libertatem ſufficientem ad merendum. Ferè eadem inſtantia fieri poteſt de prædeſtinato, necnon & de prævento per auxilium efficax: & longè vrgētior eſt inſtantia glorioſiſſimæ Virginis, quæ nō ſolū fuit prædeſtina-

ta, & confirmata in gratia sed etiã semper fuit præventa auxilio efficaci ad non peccãdum venialiter; & ita non habuit sufficientem libertatem ad merendum. Et omnium eadem est ratio, nẽpè, quòd etsi prædestinatus habeat potentiã physicã, seu antecedentẽ, per quã physicè potest damnari; & quamvis confirmatus in gratia habeat physicã potentiam ad peccandum mortaliter, & quamvis præventus auxilio efficaci habeat physicã potentiam ad non respondendũ auxilio: tamen omnes isti defacto nõ consequentur potentiã istam propter impotentiã moralẽ ortam ex voluntate divina, quæ decrevit cũ illis non cõcurrere, vel propter aliud morale impedimentũ secũdũ diuersas sententias, quæ de hoc circumferuntur. Sic ergo Christus D. habuit quidẽ physicam potentiam ad peccãdũ (scilicèt volũtatẽ creatam defectibilem) nõ impeditam per aliquod physicè incompossibile cum peccato. Tamen cùm propter specialem manutenentiã Dei esset moraliter determinatus ad nõ peccandũ, semper, & infallibiliter adimpleturus erat præceptũ: & consequenter erat infallibile, quòd nunquam erat peccaturus.

13. Nota, manutenentiam Dei esse voluntatẽ divinam præveniẽtem Christi D. volũtatem, vt semper contineret actum fruendi, insuper, & vt numquã prorũperet in peccatum; Ex quo proximè provenit quòd Christus D. nũquam redacet ad actũ potentiam remotam non fruendi, vel peccãdi; vt docet Scotus *in 4. d. 49. q. 6. §. Dico ergo, vers. sic dico* ¶ Vnde notabis, Christum D. secundũ quòd homo est, seu eius humanitatem etiã vt vnitam, imo etiam vt Beatã non esse physicè impeccabilẽ. Quia neq; vnio, neque gratia sanctificans, neque beatitudo pugnat physicè cũ peccato habituali, aut actuali. (excipio actuale odium Dei: quod physicè pugnat cum fruitione; aut dilectione Dei reperta in Beatitudine; si tàm Beatitudo, quàm odiũ habeant idem motivũ formale) Legatur Scot. *in 3. d. 28. §. & vers. De secundo dico, & Fel. tract. de Beat. c. 4. diff. 3. & n. 10. & 11.* ¶ Addo, quod moralis impeccabilitas Christi D. non provenit proximè ab vnione hypostatica, à gratia sanctificãte, aut à Beatitudine; sed tãtũ remotè, scilicèt quatenùs excellentia vnionis petit ex congruentia, quòd humanitati vnitæ conferãtur dona supernaturalia, & præcipuè Beatitudo. Quibus omnibus adhuc collatis, nondũ manet proximè impeccabilis moraliter Christus D. secũdũ humanitatẽ; sed tãtũ remotè, scilicèt quatenus status Beatitudinis debito congruentiæ petit, ne Deus permittat, voluntatẽ Beati, quę est physicè libera, prorũpere in aliquod peccatũ. Sicut philosophamur de confirmato in gratia, de prædestinato, de illo, qui est prævẽtus auxilio efficaci. Quare concludẽdũ est, illud, quo Christus D. secũdũ humanitatẽ mãsit, & manet moraliter impeccabilis proximè; esse manutenentiã Dei nuper explicatam.

De

empore, quo Christus D. meruit.

DVBIVM VI.

PEtes sextò, vtrùm à primo instanti conceptionis cœ... t meritum Christi Domini? ...ondetur affirmativè. Quia commendat excellentiā Christi. Secundo, quia ex tunc fuerūt ...ia ad meritum requisita: nē... erfecta potentia voluntatis; tualis gratia; & obiectum suf... tissimè propositum, tàm per ...tiam beatam, quàm per infu... ergo nihil deficiebat ad me... iè operandum. Ita Scotus in ... 18. §. & vers. Est igitur, D. ... 3. p. quæst. 34. art. 3. in corpo. ...agister sentent. D. Bonauent. ...dus, Gab. Rubio, & Bassolius, ...itant, & sequuntur communi... ...ræcipuè Cavellus ibi, & Lorca ...4. n. 5. Hucetiam spectant, ...iximus in tract. de Angelis ... 3. diff. 1. à num. 103. statuen... ...ngelum potuisse peccare in ... instanti.

Sed oppositum defendunt Alensis 3. p. q. 17. membr. 2. & Albertus: quam sententiā ...nau. reputat faciliorē. Imò Du... ...s in 3. dist. 18. q. 2. n. 7. proble... ...è affirmat, Christum D. non ...isse, quoàdvsque in illo fue... ...erfecta organa sensuum. Ta... ...æc Durandi sententia à mul... ...eritatis, imo erroris nota ...ur. Videtur enim expressè ...a illud Isaiæ 8. n. 4. antequam ...uer vocare patrem, & matrē, ...tur fortitudo Damasci, &c. exponunt communiter) antequam perveniat Christus D. ad illum statum corporis, in quo pueri infantili ætate agnoscunt parentes, operabitur nostram Redemptionem. Insuper hæc sententia Durandi multū derogat meritis Christi D. ¶ Sed quidquid sit de Durādo, pro sententia Alex. & Alberti obijcitur, quòd operatio esse non potest in eodem instāti temporis, in quo res operās producitur. Respondetur concedendo de operatione successiva; & negādo de instantanea: (quales sunt spirituales, & multæ corporeæ) Sol enim in eodem instanti, in quo creatus est, illuminavit.

21 Obi. 2. ad meritum requiritur libertas: sed ista stare non potest sine indifferētia ad opus: ergo neque meritum. Tunc sic: sed indifferentia ad opus debet præcedere ad operis determinationē: ergo in primo instanti nequit intelligi meritū, seu potentia determinata per actum secundum. Resp. distinguēdo minorē subsumptā; & illā cōcedēdo de præcedētia naturæ; & negando de prioritate tēporis. Et ratio est, quòd cùm in quocūq; instanti tēporis sint multæ prioritates, & posterioritates naturæ, in vno instanti, aut in vna prioritate naturæ potest esse indifferens ad se determinandum in alia sequenti.

22 Obi. 3. libertas esse non potest sine deliberatione: sed hæc requirit morā temporis: ergo in primo instāti nequivit Christ⁹ D. exercere libertatē: & consequēter neq; mereri. Probatur minor: nā deli-

V4 be-

beratio includit consultationem, & discursum, atque adeò pluralitatem cognitionum cum successione. Maior autem constat ex eo, quòd actus liber, seu meritorius est electivus. Resp. cum Scot. *ibi vers. Respondeo* negando maiorē: sufficit enim apprehensio obiecti cum indifferentia, seu cum rationibus, propter quas amari, aut respui potest. Quod in instanti fieri potest. Aliàs Deus, qui non habet deliberationem cum discursu, nō operaretur liberè: neq; Angeli, aut nos in rebus, in quibus non egem⁹ discursu. Si autem aliquando requiritur discursus, est propter imperfectionem cognitionis. Qui enim perfectè cognoscit, sine discursu proponit voluntati id, quod debet fieri. Probatio autē maioris non est ad rem: quia quando actus liber, aut meritorius dicitur electiu⁹, sumitur electio pro quocumque actu voluntatis consequēte plenam apprehensionē intellectus. In qua acceptione sumitur à Scoto *in 2.d.6. q.1.§. & vers. Ad argumenta.* ¶ Resp. secundò negādo minorē. Ad probationem dico, posse in eodem instanti temporis esse omnes cognitiones requisitas ad syllogismū: inter quas requiritur quædam successio lata, id est, quòd vna præcedat aliam: non autem stricta, id est, quòd vna sit prior tēpore alia. Et ratio est, quòd cùm in discursu sit vna cognitio deducta ex alia; inter has cognitiones solùm requiritur prioritas, & posterioritas necessaria inter causam, & effectum: causā autē, & effectū posse simul esse in eodē instanti reali temporis probat (inter alias) instantia solis, & lucis in prima sui productione.

13 Obijciunt quartò. Primus actus voluntatis debet esse necessarius: ergo Christus D. in primo instanti non potuit mereri. Probatur antecedens: quia necessarium debet præcedere, & esse principiū contingentis: vt patet in Deo, & creaturis. Respondetur negando antecedēs: ad probationem dico, non currere in præsenti: quia si prima cognitio talis sit, vt proponat obiectum cum indifferentia, primus actus voluntatis evadet cum indifferentia, seu liber. Neque oppositum conuincit instantia Dei, cuius existentia est necessaria, & principium creaturæ; cuius existētia est contingens. Hoc enim verū est; tamen, quod in præsenti idem contingat in actibus voluntatis nō facilè probabitur. ¶ Adde, quòd secundùm principia Scoti quāvis obiectū proponeretur sine indifferētia, dūmodo staret plena advertētia rationis, seu intellectus, (quę est quasi reflexa cognitio, qua cognosco, me operari, aut velle operari) posset voluntas liberè operari circa illud: quia circa quodcumq; ostensum potest creata voluntas exercere suā libertatē. Quare dicimus Scotistæ, circa bonū, vt tale cognitum, posse voluntatē suspendere prosequutionem; immo, & elicere actum fugæ (secundùm multos: quibus adhæreo).

24 Aliqua alia, quæ obijciun- pro sententia Durandi, parùm s premunt. Manent enim so- a ex superioribus: ex quibus nstat, potuisse Christùm D. me- i in primo instanti per opera luntatis, quæ sequebantur tàm scientiam Beatam; quàm in- ſam per se, aut per accidens; si abstractiva loquamur; cuius ercitium nō pendet à phantas- atibus, vt diximus *cap. 8. diffic. num. 7*:

DVBIVM VII.

25 PEtes 7. an Christus D. sem- per pro tota vita actuali- r meruerit? Respondetur affir- ativè ex convenientia Theolo- rum. Itaque absque cessatione aravit in actuali merito ab instā- conceptionis vsque ad finem tæ. Quia hoc est possibile, & cō endat excellentiam Christi D.

26 Dices: Christus D. cessavit exercitio sensuum, quando ormiebat: & consequenter à ientia experimentali: ergo & à ientia per accidens infusa, cuius xercitium pendebat à phantas- atibus; qualis est saltèm intuiti- a: ergo etiam cessavit ab operi- us pendentibus ab hac scientia. espondetur ita esse. Tamē cùm hristus D. non solùm per scien- iam Beatam, sed etiàm per se in- fusam, imò; & per accidens infu- am (quæ dicitur abstractiva) fue- it in perpetua vigilia: etiàm quā- lo dormiebat; per opera secuta ad vtramque sciētiam fuit in per- petuo merito ab instanti concep- tionis vsque ad extremum vitæ.

¶ Dices secundo: cur tribuitur nostra redemptio morti, & pas- sioni Christi D. si antecedenter ad ipsam tot fuerunt merita in illo; & aliàs quodlibet illorū erat suffi- ciens, imò & superabundans pro illo præmio? Respondetur, ratio- nem esse (omissis alijs, quas reij- cit Vazquez *disp. 75. cap. 4.*) quòd passio, & mors fuerit colum- natio & complementum meritorū Christi D. sine qua morte, & pas- sione non fuisset completum me- ritum, non quidem defectu valo- ris aliorum operū; sed quia Deus disposuit, quod Christus D. per omnes operationes simul sump- tas nostram redemptionem me- ritoriè operaretur. Et ideò Chri- stus D. cognita hac divina dispo- sitione non obtulit singula meri- ta seorsim, sed omnia simul pro redemptione hominum. Igitur quòd Christus D. non meruit no- stram redemptionem per singula opera virtutis, provenit ex divina dispositione, atque ex intentio- ne Christi D. non offerentis singu- la opera ad istum finem.

DVBIVM VIII.

27 PEtes 8. an Christus D. post mortem meruerit? Res- pōdetur negativè. Quia tunc de- sivit esse viator. Cùm autem sta- tus viæ requiratur ex dispositione divina ad meritum (ex dictis *n. 2*) fit,

fit, vt post mortem, non stet meritũ de lege ordinaria: cùm tunc iam non sit status viæ. Quare cõvenit inter Authores, Christum D. sic in morte posuisse terminũ suis meritis, vt deinceps non meruerit.

28 Dices: ergo non fuit meritorium vulnus laterale Salvatoris. Patet: fuit enim inflictum post mortem: vt constat *ex Ioan.* 19. & definitur in Cõcilio Vienensi cõtra Petrum Ioannis. Respond. ita esse. ¶ Contra, quòd *in Clementina 1. de Summa Trinitate, atque in multis Patribus videndis apud Recentiores*, vulnus illud fuit causa nostræ salutis, & eam contulit: ergo fuit meritorium. Respond. distinguendo antecedens: est enim verũ loquendo de pretio, aut de parte pretij pro nostra redẽptione oblati. Falsum autem loquendo de opere meritorio, aut cõpletè satisfactorio. Itaque ad satisfaciẽdum per modum meriti duo requiruntur. Primum est, quod pretium ad satisfaciendũ oblatũ habeat æstimabilitatẽ proportionatam. Secũdùm est, quòd intercedat volitio libera, qua pretium in satisfactionẽ offeratur. Igitur vulnus illud Salvatoris fuit pars pretij, quod dabatur in compensationem debiti; habuitque maximam æstimabilitatem; eo quòd fuit sanguis Redemptoris, & iniuria eius corpori illata. Cùm tamen inflictum fuerit post illius mortem, non habuit secundam conditionem. ¶ Vnde constat, in quo sensu dicũt Patres, & Scholastici, de latere Salvatoris in cruce aperto fluxisse sacramenta Ecclesiæ; & ab eo vulnere accipere virtutem. Intendunt (inquam) vulnus illud fuisse illorum causam, quantùm ad æstimabilitatem pretij, seu fuisse pretium æstimabile oblatum sicut pro debito peccatorũ, sic pro sacramẽtorum institutione. ¶ Nisi velis dicere cùm Scoto *in 4. dist. 2. quæst. 1. §. Ad primum argumentum, vers. Ad vltimum*, quòd *sacramenta non fluxerunt ab illo tanquàm à causa meritoria; sed dicũtur inde specialiter fluxisse propter quamdam similitudinem expressiorem eorum, quæ ibi fluxerunt ad sensibilia, quæ sunt in quibusdam sacramentis. Sanguis enim specialiter assimilatur speciei, sub qua est sanguis, & Eucharistia; & aqua specialiùs assimilatur materiæ Baptismi: quæ sunt duo specialia sacramenta.*

DVBIVM IX.

26 PEtes 9. an Christus D. meruerit in ipso mortis instanti inclusivè? Respond. negativè. Quia pro tunc anima non erat vnita corpori (& consequentèr Christus D. pro tunc non erat viator.) Est enim vera sententia, quæ affirmat, hominem desinere vivere (& consequentèr incipere mori) extrinsecè, & per primũ sui non esse, ita vt pro instanti mortis verum sit, dicere: *nunc non est homo, & immediatè antè à erat.* Ita *Scotus quodl. 14. §. De tertio, vers.*

ersaliter, & communior Philo-
i. Quare hanc nostram con-
onem defendunt *Vazquez*
76. in fine, G. Hurtado disp. 13
5. Felix cap. 14. diffi. 3. Castillo
14. quæst. 2. num. 9. & com-
issima sententia.

his, quæ Christus D. sibi pro-
meruerit.

capit. 6. diffic. 2. per de-
m priora dubia multa ma-
decisa, quæ in præsenti fo-
disputanda. Quibus suppo-
ad reliqua, quæ ad comple-
notitiam eorum, quæ Chri-
D. sibi promeruit, proceda-
s.

DVBIVM X.

P Etes 10. an Christus D. me-
ruerit exaltationē sui no-
is, & gloriā sui corporis? Ref-
d. affirmativè. Quia est posi-
, & commendat excellentiam
isti D. Insupèr de gloria cor-
s extat illud *ad Hebræos 2. Vi-*
us Dominum Iesum propter paf-
m mortis gloria, & honore co-
tum. Et de exaltatione nomi-
ad Philipp. 2. Humiliauit seme-
um, &c. Propter quod & Deus
tauit illum, & donauit illi no-
quod est super omne nomē, &c.
Oppositum conatur probare
*V*in aslocis Scripturæ, in quib'
tur meruisse Christum D. no-
& tamen nulla mentio fit de
ito respectu sui ipsius. Id ge-
s est illud *Ioan. 3. sic Deus dile-*
mundū, vt filiū suum vnigenitū
daret. Resp. alibi fieri mentionem
de merito Christi D. respectu sui
ipsius: vt patet ex adductis in pro-
batione nostræ conclusionis, atq;
ex alijs locis passim adductis ab
Authoribus. ¶ Dices: gloria cor-
poris, & exaltatio sui nominis e-
rant Christo D. debitæ: ergo non
potuit Christus D. illas promereri.
Resp. negādo consequentiā: quia
eadē res potest esse debita diuer-
sis titulis: eadem enim gloria est
debita adulto, titulo hæreditatis,
necnon & titulo mercedis. Resp.
secundò distinguēdo antecedens:
debito congruentię concedo: de-
bito iustitiæ, aut fidelitatis nego:
& ideò nego consequentiā. Itaq;
sicut humanitati vnitæ solùm ti-
tulo congruentię fuit debita infu-
sio gratiæ, aliorum habituū, nec-
non & gloriæ animæ: ita solùm
debitò congruentię fuerunt debi-
tæ Christo D. aut eius humanitati
vnitæ gloria corporis, & nominis
exaltatio. Cùm quo benè stat,
quòd ipsas posteà mereatur.

DVBIVM XI.

321 P Etes 11. an Christus D. me-
ruerit gloriam sui corpo-
ris directè? an solùm indirectè?
(scilicèt merendo amotionē im-
pedimenti, quo gloria animæ ne
in corpus difflueret, detinebatur).
Respondetur, solùm indirectè il-
lam meruisse. Quia generaliter
est dispositum à Deo, vt quasi na-
turali sequela gloria animæ beatæ
cōmunicetur corpori sibi vnito:
quare cum ab instāti cōceptionis
Chri-

Christi D. eius anima fuerit perfectè beata ex tunc debuit diffluere gloria in eius corpus: fluitque speciali, & miraculosa providentia actum, ne corpori gloria communicaretur: ergo vt ista gloria communicaretur, quod directè debuit peti, & promereri, fuit, vt amoveretur illud impedimentū, seu decretum quo Deus statuerat non concurrere ad communicādum corpori gloriā animæ Beatæ. Ita *Scotus in 3. dist. 18. §. Hoc viso, vers. potest dici, Rada, & Fabro, quos secuntur Castillo disp. 14. quæst. 3 num. 10. & Felix capit. 14. diffic. 4.*

32 Sed *Suar. disp. 40 sect. 3. Lorca disp. 75. n. 7, & Vazq. disp. 79. num. 4.* dicunt, Christum D. directè meruisse gloriam corporis: & obijciunt aliqua loca scripturæ, & Patrum. Respondetur, solùm affirmare, Christum D. meruisse gloriam corporis; non tamen dicunt, illam meruisse directè. Imò D. Cyrillus Alexand. (qui floruit ad annū 430.) *lib. 3. Thesauri c. 2.* satis nobis fauet, teste præcitato Suar. ¶ Obi. 2. qui redimit captivum, directè meretur libertatē, & indirectè, quod vincula, quibus erat impeditus, solvantur: ergo à simili in præsenti. Respondetur, disparitatem esse, quod libertas non fluit necessariò (saltē ex dispositione Dei, aut hominum) à solutione vinculorum: aliàs Dominus, aut quicumque alius tollens vincula daret indirectè libertatē: gloria autem animæ Beatæ diffunditur necessariò (saltèm ex generali dispositione divina) in corpus sibi coniunctum. Et ideo nō mirum, quod quando est impedita libertas, possit directè emi, seu mereri, & ablatio vinculorū solùm indirectè. In præsenti autē opposito modo contingit. Cùm enim gloria corporis animæ gloriosæ coniuncti necessariò, seu quasi naturali sequela ponatur ad positionem gloriæ animæ: quando ista est iam posita, & illa non resultat, actio volentis illam poni, directè debet versari circa ablationem impedimenti. Sicut, qui vellet ignem impeditum sursum ascendere, non ageret immediatè, aut directè circà ipsum ignem, sed circa remotionem impedimenti.

33 Obi. 3. gloria corporis non physicè pullulat à gloria animæ, sed solùm ex quadam congruentia: ergo potuit directè mereri. Patet consequentia: quia quamvis vi vnionis hypostaticæ erant debita debito congruentiæ multa alia (exaltatio nominis, v. g.) Christus D. promeruit illa directè. Respondetur, parùm vrgeri hoc argumento illos, qui negarēt antecedens, dicendo, quod sicut est physica vnio animæ, & corporis; ita physicè ex beatitudine animæ derivatur in corpus beatitudo, seu dotes gloriæ. Sed quidquid sit de hoc, respondetur negando consequētiam. Ad probationem dico, dupliciter posse intervenire debitum congruentiæ res-

pectu alicuius præmij. Primò vt sit iam positum decretum de conferendo rem illam, ad im conferendam inducebat ngruentia. Secundò ita vt non n sit positum decretum. Si se ndo modo contingit, potest ereri, quòd Deus ponat tale de tum, quia nondum est positū. cùs autem si contingat primo odo: quia, eo ipso, quod suppo ur positum decretum, non po: cadere sub meritum eius posi-. Igitur cū lege generali statue Deus, quòd gloria animæ bea edundet in corpus sibi coniun m, iam indefectibiliter, & qua aturali sequela redūdat in quo nque particulari. Quare, vt rō undet, necessarium est novum cretum quasi contrarium, im litivum, seu exceptivum alicu subiecti ab illa lege generali. ius simile reperitur in decreto eptāte viginē gloriosissimam originali: atque in quacūq; ex tione à communi aliqua lege) ideò, quando gloria animæ est pedita, ne redundet in corpus, ritum debet terminari direc non ad gloriam corporis, seu hoc, vt Deus decernat gloriam inæ cōmunicari corpori; (hoc m supponitur generaliter decre n) sed ad impedimentum, seu Deus auferat impedimentum: nim, illo ablato, vi generalis de ti statim, & infallibiliter animæ ria descendet in corpus. Cùm em de exaltatione nominis, de licaria potestate, &c. non sit po situm aliquod generale decretum, meritum Christi Domini directè terminabatur ad illas, seu ad hoc, vt Deus poneret decretum de illorum existentia.

DVBIVM XII.

34 PEtes duodecimò an Christus Dominus sibi meruerit iudicariam potestatem? Respondetur affirmativè. Itaque sibi meruit esse iudex viuorū, & mortuorum. Quia est possibile, & cōmēdat illius excellentiam. Ita *Lorca disp. 75. num. 8. & communiter Recentiores, quos secuntur nostri Castillo disp. 14. q. 3. num. 15. & Felex cap. 14. diff. 4.* ¶ Dices: ergo meruit sibi scientiam, quæ est necessaria ad exercitium huius potestatis. Respondetur negando: aliàs etiam sibi meruisset intellectū, &c. Igitur non meruit scientiam, intellectum, &c. quia ista supponuntur iam sibi collata.

DVBIVM XIII.

35 PEtes decimotertiò, an Christus Dominus sibi alia promeruerit? Respondetur affimativè. Itaque sibi etiam meruit ascendere in cælos deferendo captivos. ¶ Insuper sibi meruit esse caput Ecclesiæ; dignitatem sacerdotalem, & Regiam; atque potestatem spiritualem, & Ecclesiasticam. Quia omne id est possibile, & commendat excellentiam Christi D. ¶ Sed *Felix cap. 14. diff. 4 se-*

4. *secutus Vazquez & Gasp. Hurt.* oppositum defendit: & obijcit: omnia ista fundantur in vnione hypostatica, ac simul in gratia habituali. sed Christus D. non meruit suam vnionem hypostaticam neque gratiam habitualem: ergo neque esse caput Ecclesiæ, &c. Resp. (omisso antecedēti: de quo *cap.6. num.30. & n. 4.*) negando consequentiam: quia posita vnione, & gratia sanctificante solùm reperitur in Christo Domino debitum congruentiæ, vt Deus ponat decretum, quo constituat Christum Dominum caput Ecclesiæ, sacerdotem, &c. Tamen cùm hoc non sequatur infallibiliter ex vnione, & summa gratia Christi D. potuit cadere sub meritum: vt *nu.* 33. expendebamus. ¶ Imò addo quòd dato sequi infallibiliter ex vi decreti, quo Deus decrevit vnionem, & summam gratiam, quòd Christus D. esset caput Ecclesiæ, Sacerdos, &c. adhuc poterat hæc ipsa promereri. Quia eadem res potest pluribus titulis obtineri: vt nobiscū *n.* 30. fatetur ipse Felix loquendo de gloria corporis Christi D. quā esse debitā duplici titulo dicebamus: quod & cō firmabam⁹ instantia gloriæ essentialis collatæ adulto titulo hæreditatis, & mercedis.

De his, quæ Christus D. Angelis, & hominibus promeruit.

DVBIVM XIV.

36 Petes 14. an Christus D. meruerit aliquid Angelis? Resp. affirmatiuè cum ferè omnium consensu. Quia est caput Angelorum etiam per influxum meritorum. Et quamvis controvertatur, an Christus D. Angelis meruerit gratiam, & gloriam essentialem? affirmant tamen communissimè, meruisse illis saltèm aliquas illuminationes, & glorias accidentales. Recolantur dicta *cap.7. diff.7. à n.20.* Vnde cōstat, quòd in nostra sententia eis meruit gratiam sanctificantem, & gloriam essentialem: imò & esse naturale, & quodcumque illis collatum, quòd sub Christi D. meritum cadere potest.

DVBIVM XV.

37 Petes decimoquintò, quæ sint ea, quæ Christus D. meruit hominibus? Resp. omnia, & singula dona hominibus collata ab ipso fuisse nobis promerita: vt ex dicendis constabit. Quia tamē nō omnes sic extendunt Christi D. meritum, singillatim de aliquib⁹ est agendum. Igitur certum est apud omnes, Christum D. meruisse nostram iustificationem. Quia Trid. *sess.6. c.7.* enumerās causas nostræ iustificationis definit, quòd est causa *meritoria dilectissimus vnigenitus suus Dominus noster Iesus Christus.* Quod, & apertè continetur *1. Ioann. c. 1.* illis verbis: *sanguis ei⁹ emundat nos ab omni peccato.* Quare tamquam de fide certum affirmant omnes, meruisse nostram iustificationem. Imò addunt, etiā me-

ruisse nobis omnia dona, quæ
t gratiam iustificantem non
conferuntur. Quibus statutis
ua dubia restant nobis examin-
nda.

DVBIVM XVI.

PEtes decimosextò, an Chri-
stus D. meruerit nobis fi-
i, & alia dona, quibus ad iusti-
tionem disponimur? Resp. af-
atiuè cum communissima
entia. Quia est possibile, & cō-
idat excellentiam Christi Do-
i. Quod satis confirmat vsus
lesiæ, quæ quamcumque gra-
i etiam prævenientem (vt
ocatio ad fidem, & pœni-
iam, &c.) petit per Iesum
ltum D. N. imo hæc con-
o videtur de fide. Tùm prop-
diversa Scripturæ testimonia:
ciat illud *ad Ephes. 1. num. 3. benedixit nos in omni benedi-
e spirituali in cœlestibus in Chri-*
um propter diversa concilia.
ciat Trid. *sess 6. cap. 5.* dicens
*arat præterea sacta synodus, ip-
ustificationis exordium in adul
Dei per Iesum Christum præve-
e gratia sumendum esse, hoc est,
is vocatione.*

Sed *Capreolus in 3. d. 18. art. 3
lo de Captiuitate generis huma
ct. 2. c. 3 art 4. Ferr. contra gē.
55. & Adam⁹ in cap. 1. ad Phi
nses* dicunt, dona anteceden-
iustificationē (vt sunt voca-
l fidē, ipsa fides, & vltima dis
o ad gratiā) nō dari ex meri-
tis Christi D. sed ex mera liberali-
tate Dei. Et obijc. illud *Ioan. 6. nemo
potest venire ad me, nisi Pater, qui mi-
sit me, traxerit eū*: ergo ex liberali-
tate Patris (sumpti essentialiter; qua
ratione idē est, ac Deus) trahitur
homo, vt iustificetur per merita
Christi D. Resp. ibi solum adstrui
necessitatē gratiæ ad iustificatio-
nē; non autē excluduntur merita
Christi D. à collatione huius gratiæ
¶ Obijc. 2. August. 1. *de Praedest.
sanct. cap. 5.* dicentē: *homo quisque
ea gratia fit Christianus, qua homo il-
le ab initio factus est Christus*: id est,
qua humanitas vnita est Verbo.
Sed hęc vnio est ex liberalitate Dei:
ergo similitèr homo fit Christian⁹,
seu recipit fidē Resp. negādo cōse-
quentiā: quia August. tātùm vult,
quòd sicut humanitas vnita est si-
ne vllis meritis proprijs: ita etiam
primū auxiliū cōferatur nobis abs-
que nostris meritis de congruo.

40 Obijc. 3. infideles nō sunt mē-
bra Christi D. (membrum enim
illius constituitur per fidē) ergo au-
xilia, quæ ipsis conferuntur, non
sunt ex meritis Christi D. Resp. ne-
gando totum propter dicta *cap. 7.
diff. 7. n 17.* ¶ Obijc. 4. etiā si Chri-
stus nō venisset, Deus daret auxi-
lia: ergo non sunt data ex meritis
Christi D. Resp. negando cōsequē-
tiam: decrevit enim Deus, quòd
nūc daretur ex meritis Christi D.
auxilium, quod aliàs, seu in alia re-
rum dispositione daret sine me-
ritis illius. Sicut de facto dat par-
vulis gratiam, & gloriam sine
meritis: vnde malè infer-
re-

-retur, quòd sine illis detur adultis. ¶ Obijciunt quintò merita Christi D. fuerunt indifferenter oblata pro omnibus: ergo vt sint efficacia, debent applicari ad determinatas personas. Sed causæ huius determinationis sunt dispositiones, & vsus sacramentorũ: ergo ista nõ sunt ex meritis Christi Domini. Respondetur negando vltimam consequentiam: quia Deus præter merita Christi Domini applicuit istis potiùs quam illis ipsamet merita, seu dedit istis potiùs quàm illis gratiam necessariam ad dispositionem, & vsum sacramentorũ. ¶ Obijciunt sextò Christus Dominus venit, vt recuperaret, quæ Adã perdidit sibi, & nobis: sed non perdedit fidem: ergo Christus Dominus non meruit nobis fidem, aut auxilia ad illam. Respondetur negãdo minorem *cum Gasp. Hurtado disp.* 14. *diff.* 11. *& Vazquez*: amisit enim fidem saltèm dubitando, an essent vera verba serpentis: *Nequaquam moriemini*: quæ verba erant contra illa Dei. *In quacũq; enim hora comederitis, morte moriemini.* Ita sentire videntur Ambros. & Prosper. ¶ Respondetur secundò maiorem esse veram in sensu absoluto; non autem in exclusivo. Itaque verum est, venisse Christũ Dominum vt recuperaret perdita ab Adamo: (sermo est de advẽtu, seu decreto veniendi in carne passibili) falsum tamen est, solùm ad hoc venisse. Quare etsi verum esset, quòd Adamus non amisisset nobis fidẽ; illam, & ad illã dispositiones, aut auxilia meruit Christus D. propter illius enim merita cõtulit Deus, confert, & collaturus est quamcumque gratiam. ¶ Respondetur tertiò negãdo minorẽ: quia etsi verum sit, Adamum sibi non amisisse fidem; amisit tamen nobis: quia per illius peccatum facti sumus indigni omni dono. Quare Concilium Arausicanum secundũ dixit (vt dictitant) quòd per peccatum Adæ ita fuit liberum arbitrium extinctum, vt absque gratia Dei credere non posit.

41 Obijciunt septimò, vocatio ad fidem datur ex meritis Christi Domini: ergo nõ datur nobis gratis. Respondetur distinguendo cõsequens: respectu nostri, nego: respectu Christi Domini concedo. Itaque quæcumque prima vocatio sivè ad fidem, sivè ad pœnitẽtiam, sivè ad quodcumque bonũ opus conducens ad vitam æternã adeò gratis nobis confertur, vt in subiecto, cui confertur, excludat meritum adhuc de cõgruo. Tamẽ respectu meritorum Christi D. est præmium ei debitum ex iustitia. Et solùm hoc meritum respectu subiecti, cui confertur, excludit Apostolus *ad Rom.* 11. dicens: *Si autem gratia, iam non ex operib⁹: alioquin gratia non est gratia: vt notat* Scotus *in* 4. *dist.* 2. *q.* 1. §. *Ad primum argumentum Vers. Ad tertium.* ¶ Sed statim sibi obijcit Scotus *gratia data pro tali causa cõdigna non est gratia: quia aliquibus meritis est debita etsi non meritis re-*

ipientis. Respondet Doctor *ptilis: Posset dici, quòd in vniver- operibus Dei non fuit aliquod o- merè gratiæ, nisi sola Incarnatio Dei, &c. iuxta illud August.* Trinit. cap. 19. *In rebus per tē- ortis illa summa gratia est, quòd no in vnitate personæ coniunctus Deo.*

DVBIVM XVII.

PEtes 17. an Christus Domi- nus meruerit vitam æternam nediatè? Resp. negativè Itaq; m remotè, & mediatè nobis uit vitam æternam, nēpe me- lo illa, quibus à Deo illam ob- imus. Quia homini decedenti atu gratiæ, & iam plenè purga- on fit nova gratia in retribu- e gloriæ. Ita *Vazq. disp.* 222. 3. ¶ Sed *Felix cap.* 14. *diff.* 5. *us G. Hurt. disp.* 14. *diff.* 11. mat, Christum D. immedia- eruisse nobis gloriam: & obij ratia, & opera procedentia a non ordinantur ad gloriam tura rei, sed solùm ex quadā ruentia: ergo retributio glo- it nova gratia: ergo potest im iatè mereri, quòd Deus ordi- ratiam ad gloriam, seu quòd buat gloriam. Resp. negando equentias: solùm enim sequi- uòd si Deus non fecisset talē ationem, posset cadere sub tum: tamen cùm iam suppo- facta prædicta ordinatio ge- ter, nec potest cadere sub um; nec est gratia; sed fuit, quòd poneretur. (Sicut fuit gratia vnio hypostatica: tamen quia sup- ponitur facta, non potest cadere sub meritum remuneratorium. Huc etiam sunt vocāda dicta *à n.* 31.) Hinc reijcio instantias augmē ti gratiæ, & primæ iustificationis. Verū enim est, quòd meremur de condigno augmentum gratiæ; & de cōgruo primam iustificationē: tamen supposito pacto, seu ordi- natione divina, qua Deus disposuit generaliter, vt opera procedentia à gratia mererentur eius augmen- tum; (ad quod talia opera ex na- tura rei non ordinabantur) prædi- ctum augmentum nō meremur immediatè, sed solùm, quòd no- bis conferantur auxilia necessaria ad opera meritoria illius. Idem di- co de prima iustificatione: cùm e- nim contritio non ordinetur ex na- tura rei ad primam iustificationē, potuit quidem cadere sub meritū quòd ordinaretur: tamen posita iā ordinatione generali: nequit di- rectè, & immediatè mereri prima iustificatio, sed solùm remotè, aut mediatè, nēpe quòd Deus cōferat auxilia ad contritionē necessaria.

DVBIVM XVIII.

43 PEtes 18. an gratia collata Pa- tribus, qui præcesserūt advē- tum Christi D. fuerit ex meritis il- lius? Resp. affirmativè. Quia est pos- sibile, & cōmendat excellentiam Christi D. Itaque propter merita Christi D. prævisa decrevit Deus conferre gratiam antiquis Patribus per modum anticipatæ solutionis.

Quod satis insinuat Scriptura sæpè. Sufficiat illud 1. *ad Chorint.* 10. *Omnes sub nube fuerunt, &c. bibebant autem de spirituali consequente eos petra; petra autem erat Christ⁹* Quare Christus D. dicitur *agnus occisus à constitutione mundi Apoc.* 5. *Ita Scotus in* 3. *d.* 19. §. *Sed hic sunt, vers. Ad primum illorum, & omnes Theologi.* ¶ Dices, quòd effectus meritorum Christi Domini tribuitur eius passioni in tempore exhibitæ *Ioan.* 14. *nunc Princeps huius mundi eijcietur foras*: ergo ante mortem non habuit aliquod meritum. Respondetur negando consequentiam. Tribuitur autem meritum passioni in re exhibitæ; quia etsi redemptio multorum vi talis passionis prævisæ præcesserit; non tamen completè, & quantū ad omnem effectum: quia ianua cœli nō erat aperta, neque iusti liberati à captivitate limbi.

44 Præfata conclusio certissima est, si Adamum, & Evam ante peccatum excipiamus. Si tamē de istis loquamur inquirentes, an gratiam, quam ante peccatum receperunt, habuerunt ex meritis Christi Domini? non est ita certa. Immò omnes ferè Authores, qui negāt, Christum D. meruisse Angelis gratiam, & gloriam essentialem, negant meruisse primis parētibus gratiam, quam ante peccatum receperunt. Præsertim legatur Lorca *disp.* 76. *à nu.* 12. ¶ Nobis tamen dicendum est, quācūque gratiam, necnon & ipsam iustitiam originalem, & quodcūque aliud donum illis in tēpore collatū, imò & ipsum esse naturale datū fuisse illis propter merita Christi Domini prævisa. Quia hoc fuit possibile; & commendat excellētiam illius. ¶ solùm nota, omnia dona, quæ ante peccatum receperunt primi parentes, fuisse illis collata vi meritorū Christi D. quoad substantiam, seu quæ abstrahebant à carne passibili: reliqua verò vi meritorum, quæ etiam involvebant mortē & passionem; Recolatur dicta *c.* 6. *diff.* 2 *à n* 59.

DVBIVM. XIX.

45 PEtes 19. an prædestinatio electorum ad gloriam fuerit ex meritis Christi D. Resp. affirmativè. Quia est possibile, & conducit ad excellentiam Christi D. vt latè expēdebamus *in tract. de Prædestinatione nondum. typis mandato disp.* 4. *q.* 2. vbi dixi, indubitanter hanc esse Scoti sententiam; quā passim defendunt Scotistæ. Præ ceteris videatur Felix *tract. de Prædestinat. cap.* 4. *diff* 4. *à n.* 8. ¶ Notabamus autem *ibi num.* 35. (contra *Suar. ad* 3. *p. disp.* 41. *sect.* 4. & *cōtra nostrum Pilos. t.* 2. *disp.* 38. *art.* 8. *n.* 11.) hanc conclusionem esse intelligendam de Prędestinatione non quatenùs dilectio, sed etiam quatenùs est electio horum præ illis. Quia etiam quoad hunc formalem respectum potuit illam mereri Christus Dominus, & aliàs conducit ad illius excellentiam.

46 Sed pro hac Suarez limitatio-

lone obijcitur, quòd meritum ..isti D. erat sufficiens, vt prædestinarentur multi alij propter ipsum: ergo quòd prædestinarentur potius quàm illi nō potuit provenire ab illius meritis. Respond. ..ando consequentiã: quia quāuis meritum Christi Domini fuerit sufficiens pro multis alijs prædestinādis nec magis determinatum ad prædestinationem istorum, quàm illorum qui non fuerunt prædestinati; determinatum tamen fuit, seu applicatum istis potiùs quàm illis à voluntate Dei, qui voluit illa merita filij sui quoad efficaciam solis illis, pro quibus Deus illa voluit accepta.. Quam applicationem cog... Christus Dominus in primo instanti suæ conceptionis, sivè per ...tiam Beatam tantùm, sivè ...m per scientiam per se infu... (de quo nunc non curo) & in ...omplacuit, & pro ipsa egit ...s Patri; & fortè conditiona... ...emet sua merita applicuit ...rædestinatione Angelorū, & ...num dicendo: si possibile fo... ...ıod non fuisset facta prædestinatio ab æterno Deusque meā ...taret voluntatem, aut appli...ē, ipsam postularem, & mea ...a applicarem pro solis illis ...is, & hominibus, pro quib⁹ ...ata, & acceptata sunt à Patre. Hæc enim conditionata ap...o similis est illi eiusdē Chri... precationi; *Pater mi, si possi...*, *transeat à me calix iste; verùmtamen non sicut ergo volo, sed sicut tu, Matth. 26. n. 39.* De qua applicatione conditionata intelligo illos, qui dicunt, Christū D. applicuisse sua merita pro prædestinatione Angelorum, & hominum. Est enim mihi incredibile, quòd Christus D. absolutè applicaret sua merita pro prædestinatione, quam sciebat ab æterno esse iam factam.

47 Nota nos in præsenti non loqui de meritis Christi D. prævisi, vt mortem, & passionē subituri: quia merita dependentia à passione, & morte fuerunt à Deo cognita post prævisionē peccati Adami, quod peccatum fuit cognitum in alio signo posteriori. Igitur merita Christi D. prævisa, propter quæ Deus prædestinavit ad gloriā tàm Angelos, quam homines, fuerunt merita independentia à carne passibili, seu à passione, & morte: qualia sunt omnia illa, quæ sine morte per passionē & crucem possunt salvari; v.g. exercitiū virtutis Charitatis, religionis, &c. Recolātur dicta *c. 6. diff. 2. à n. 59.*

DIFFICVLTAS II.

De satisfactione Christi Domini.

DE satisfactione Christi D. egūt communitèr in priori parte huius tractatus, dùm disputant de necessitate Incarnationis. Ego autem Becanum inter alios imitat⁹ in hunc locū tractationem de satisfactione Christi D. distuli. Quia congruentius, & intelligibilius videtur declarare effectiones satis-

factionis, declaratis iam conditionib⁹ meriti. (quas difficultate præcedenti explicuimus) Insuper hoc potiùs ad secundam quàm ad primam partem huius tractatus spectare videtur.

DVBIVM I.

1 PEtes primò, quid sit satisfactio? Respondetur, quòd *est redditio voluntaria æquivalentis aliàs indebiti*. Ita Scotus *in 4. dist. 15. q. 1. § & vers. Respõdeo*. Et cõmunissimè Scotistæ cum multis alijs. Singulas particulas declarat Scotus ibi, quarum declaratio ex dicendis constabit. ¶ Existimant aliqui, huic definitioni aliquas particulas esse addendas. Immeritò tamen; quia vel non sunt necessariæ; vel virtualiter continentur in alijs prædictæ definitionis.

2 Hinc reijcio Suarez, Vazq. & Lorcam communiter citatos, qui dicunt, addendam esse hanc particulam *ex bonis proprijs*: quia satisfactio nequit fieri ex bonis alienis. Fallũtur tamen: illa enim particula includitur in illa *aliàs indebiti*. ¶ Reijcio etiam dicentes, addendum esse pro conditione satisfactionis, quòd sit ad alterum iuxta illud, *eiusdem ad se ipsum non est iustitia. Ethic 5. cap. 2. & 3.* Quæ conditio vera est, si intendat solũ quòd satisfaciens debet esse distinctus saltèm in natura ab illo, cui fit satisfactio. Tamen non fuit necessarium ponere hanc particulam in definitione: quia supponitur. Sin verò hæc conditio velit, quòd satisfaciens debeat esse personaliter distinctus ab illo, cui fit satisfactio falsa est: etenim Christus D. vt homo, satisfecit sibi, vt Deo. ¶ Nec vrget illud Aristotelis (*eiusdem ad se ipsum nõ est iustitia*: sub qua virtute continetur satisfactio) non enim novit Incarnationis mysteriũ, solùmque loquitur de satisfactione, quæ inter homines reperitur.

3 Alij addunt pro conditione quòd talis sit satisfactio, vt teneatur creditor, seclulo pacto, illam acceptare. Quæ conditio falsa est, si intendat debere creditorem ex iustitia acceptare æquivalens pro debito: habet enim ius in rigore, vt sibi reddat triticum v.g. qui triticum abstulit. Sin vero solùm intẽdat, creditorem hoc debere ex congruentia, vera est: congruit enim, vt creditor acceptet æquivalens rei ablatæ: hocque declarat ly *æquivalentis* positum in definitione. ¶ Eodem pacto philosophandum est de alia conditione ab alijs addita scilicèt quod in satisfactione iniuriæ eadem persona iniuriãs satisfaciat. Hoc enim verũ est de debito iustitiæ: habet enim offensᵘˢ ius iustitię petẽdi, quòd sibi fiat satisfactio ab illo met, qui iniuriã intulit. Non tamẽ est verũ de debito cõgruẽtiæ: etenim hac ratione tenetur creditor, seu iniuriatᵘˢ acceptare satisfactionem, qua redditur tantũ bonũ quãtũ ablatũ est per iniuriam, seu offensam, quamvis reddatur ab illo, qui non intulit iniuriã. ¶ Notant aliqui cũ Felix *cap. 2. diff. 1.* (quibus subscribo)

o) has duas conditiones vltimas le necessarias ad satisfactionem toto rigore iustitiæ, hoc est; iæ nullam gratiam involvit. Cũ iam satisfactio sit species iustitiæ pponitur gratiæ: & consequenr tantùm rigorosa satisfactio ninuitur, quantùm in ea intervet gratia creditoris.

4 Circa inteligentiam illius onditionis *aliàs indebiti* discortnt Authores nam Vazquez *dis. cap. num.* 60. dicit, non posse ri satisfactionẽ per rẽ, quæ credi ri debetur alio titulo sivè iustitiç vè gratitudinis, sivè religionis. Suarez verò *disp.* 4. *sect.* 6. put, solùm pugnare cum perfecta tisfactione, quòd res, per quã fit tisfactio sit debita creditori alio tulo iustitiæ. ¶ Ex nostris autẽ *Castillo disp.* 2. *q.* 1. *sect.* 1. *& Felix c. diff.* 1. *§. cutus Montesinos* distinunt debitum ab obligatione; & istimant, ad perfectam satisfaonem obstare duplex debitum, ivè vtrumque sit ex iustitia: vt iando debeo decem ex furto, & cem ex mutuo: sivè vnum sit iustitia, & aliud ex religione; cum debeo decem ex mutuo, decem ex voto) non autem plicem obligationem. Quare isfacit obligationi ieiunandi ico ieiunio, qui obligatur ratiovigiliæ, & simul ratione quaagesimæ. ¶ Si autem inquiras his, quomodo sit cognoscenm, esse novam obligationem, n verò novum debitum? resndet Castillo *ibi num.* 20. quòd quando novus titulus cadit super novam materiam (cuius novitas secundùm prudentem rationem, attentis omnibus, quç occurrunt, debet iudicari) semper est novum debitum: quia sicut recta ratio iudicat, materiam debitam esse diversam ita iudicat, esse novum; Tamen quando novus titulus cadit super eamdem materiam (vt si teneris ire Romam ex iustitia simul & ex voto; ieiunare in determinato die ex duplici præcepto) non est censendum novum debitum, sed nova eiusdem debiti obligatio. ¶ Ego autem in præsenti mèam mentem non aperio: cùm potiùs supponenda sint mihi multa pertinentia ad naturam satisfactionis, quàm decidenda. Etenim ad me nunc solùm attinet statuere, prædictam particulã (*aliàs indebiti*) à Scoto in definitione satisfactionis positam ab omnibus admitti, sivè hoc, sivè illo modo intelligatur. Quare sufficiat, attigisse, hanc esse inter Authores controversiam circa intelligentiã prædictæ particulæ *aliàs indebiti*.

5 Sub eadem particula includitur alia conditio ab aliquibus requisita ad perfectam satisfactionem, nempè quòd bona, quibus fit satisfactio, non sint sub dominio vtriusque scilicèt creditoris, & debitoris: quia quòd est sub dominio creditoris, est illi debitum.

¶ Addit bene Suarez *disput.* 4. *sect.* 6. §. *Vera igitur*, quòd quamvis hoc sit verùm de satisfa-

ctione pro debito pecuniario; non tamen de debito pro iniuria illata in honorem, famam, &c. quia hæc non fit per trãslationem dominij, (sicut illa) sed per obsequiũ & submissionem.

6 Denique cùm gratia creditoris minuat perfectam satisfactionem, est dissidium inter Authores, vtrùm, si creditor tribuat mihi centum, vt illi satisfaciam, possim, illi perfectè satisfacere cũ illis centum pro alijs centũ, quæ ipsi debebam? Vazquez *disp. 8. cap. 1. num. 3.* dicit, esse remissionẽ debiti, & non satisfactionem, si creditor dedit illa centum cum animo, & volũtate, vt illi fiat satisfactio; sin verò sine tali animo dedit, esse perfectam satisfactionem. ¶ *Felix verò cap. 2. diff. 1. secutus Suar.* (quibus subscribo) affirmat, quòd, si creditor transtulit dominium in debitorem, quocumque animo fiat, non obstat perfectæ satisfactioni. Quia, supposita trãslatione dominij, bona illa nõ sunt creditoris, sed debitoris ita vt per illa possit alteri satisfacere perfectè: ergo & creditori. ¶ Quando autem communiter dicitur, gratiam creditoris minuere perfectã satisfactionem, intelligendum est de gratia, quæ interveniat in ipsa satisfactione: v.g. si creditor remittat aliquam partem debiti; nõ autem de gratia antecedenter facta, & qua supposita, habeo iam perfectum dominium rei.

(∴)

DVBIVM II.

7 PEtes 2. quotuplex sit satisfactio? Resp. cum communissima sententia esse triplicem. Prima est imperfecta, & de congruo: estque illa: in qua non redditur æquivalens. Et ideò solùm ex liberalitate, & gratia creditoris acceptatur, qui creditor remittit partem debiti. Secunda est perfecta & condigna: estque illa, in qua voluntariè redditur æquivalens rei debitæ: insuper fit ex proprijs, seu ex rebus non debitis creditori alio titulo saltèm debito iustitiæ. (Hæc est vulgaris acceptio satisfactionis) Tertia est, quæ omnẽ gratiã excludit, diciturque ex toto rigore iustitiæ, & est, quæ supra condignã addit, quòd creditor teneatur ex iustitia acceptare talem satisfactionem; & quòd satisfaciat persona offendens.

8 Vnde constat, satisfactionem Christi D. non fuisse ex toto rigore iustitiæ: quia ipse non offenderat, neque poterat obligare Deum ad acceptãdũ suam satisfactionẽ. Quare hæc gratia, seu liberalitas Dei intercessit, quòd vellet acceptare satisfactionẽ ab illo, qui non offenderat & cõsequentèr aliquid iustitiæ ex hac parte fuit diminutũ.

9 A fortiori cõstat, satisfactionem, quã purus homo, vel Angelus posset offerre pro aliorũ peccato, nõ posse esse de rigore iustitiæ. Quia nõ esset satisfactio oblata ab ipso offendente, nec posset obligare

are Deum ad illam acceptandã, ipsemet per suum pactum nõ se bligaret. ¶ Idẽ adhuc à fortiori icẽdum est de satisfactione, quã eccator posset offerre pro peccato proprio.

10 Nota, quòd ad satisfacienam adhuc imperfectè pro proio peccato mortali (qua ratione tisfacit peccator per contritioem, qua disponitur ad iustificaonem) requiritur gratiæ auxiliũ: contra Pelagianos, & Semipelaanos definitur in diversis Conlijs, & dicitur *in tract. de Gratia.* ique secluso speciali auxilio sit homo nequit facere bonum quod opus conducens ad vitam ernã: ita nequit satisfacere pro oprio peccato. ¶ Est autem cõoversia vtrùm hoc auxilium deat esse supernaturalis ordinis? amvis enim communissima tentia affirmet, opus naturale tum ex auxilio gratiæ non hae proportionem cum beatitue, ad quam disponit, seu ordiur delectio peccati. Tamen zq. *disp.* 190. *in primam secundæ* rmat, quòd opus bonũ morale um ex auxilio ordinis naturaest satisfactio imperfecta pro prio peccato, sicut est disposiremota ad iustificationẽ. ¶ Itẽ controversia, vtrùm loquendo otentia absoluta possit purus no operẽ bono morali natura sine auxilio elicito satisfacere erfectè saltem pro suo peccaquamvis enim negant cõmuithomistæ. Felix tamẽ *c. 2. dif.* 2. *citans Radã, Fabrum, & Pitigianũ* affirmat, oppositũ esse dicendũ secundùm Scotum *in 1. diff. 17. q. 3. §. & vers. De secundo; & quodl. 17. §. Ad argumentum, vers. Sed nec & vers. Nota.*

DVBIVM III.

11 PEtes 3. Vtrùm satisfactio Christi D. fuerit condigna pro debito peccatorum generis humani? Resp. affirmativè. Quia *copiosa apud eum redemptio Ps. 129.* & Caius Papa in epistola decretali super illud *sicut delictum, ita & donum* dicit: *validius factum est donũ libertatis, quàm debitum servitutis* Multa hùc spectantia adducunt Recentiores, præsertim Castillo *disp. 1. q. 1. n. 7.* Et ratio est, quòd obsequia Christi D. magis placuerunt Deo (cùm sint opera Theandrica; & consequentèr illorum quodlibet habuerit infinitũ valorẽ, aut saltẽ summum) quàm displicuit peccatum: vt docet Scot. præsertim *in 4. dist. 15. q. 1. §. De secundo, vers. De potentia, & in 3. dist. 20. §. Tunc ad quæstionem vers. Ad aliud.* In hanc conclusionem conspirat communissima sententia.

12 Hinc reijcio errorem multis, quamvis diversimodè communem qui negat, Christum Dominum pro aliorum peccatis satisfecisse. Quem errorẽ sustinuerunt Iudæi illi, qui de peccati captivitate, & satisfactione nihil cogitãtes existimabant, Christi

sti D. adventum eo præcisè esse futurum, vt eos à Romanorum iugo ereptos in pristinam revocaret libertatē. ¶ Sed inanem istorum intelligētiam totum ferè novum testamentū explodit. ¶ Prædictum errorem etiam tenuit Abaylardus apud D. Bernardum *Epist.* 190. qui sicut negabat diaboli in homines potestatem; ita consequenter negabat, esse necessariā Christi D. satisfactionem, vt ab illa potestate eriperemur: docebatque Incarnationem fuisse vtilem solùm, vt Christus D. sua doctrina nos instrueret. ¶ Tamen contra Abaylardum est definitum, hominem post peccatum Adæ, verè detineri sub diaboli potestate; nec non & quòd Christus D. nos verè redemit. ¶ Eumdem errorem etiam tenuerunt Pelagiani quatenùs asserebant, peccatum originale ab Adamo non verè, sed tantū per imitationem derivari: atque adeò pro tali peccato nullam Christi D. aut alterius satisfactionem requirebant. Imò etiam pro peccato actuali negabant esse necessariam Christi D. satisfactionē: dicebāt enim, ipsum peccatorē viribus naturę posse se ab actualibus peccatis liberare. ¶ Sed contra Pelagianos sæpè est definitū, descendētes ab Adamo verè, & propriè, & nō per imitationem tātum cōtraxisse peccatū originale: vt expēdebam in *tract. de Peccato originali nōdū typis mandato disp.* 1. *q.* 2. *n.* 2. ¶ Itē est cōtra Pelagianos definitū, hominē viribus naturæ nō posse satisfacere pro peccatis, aut vitā ęternā promereri: vt passim dicitur in tract. de Gratia. Videātur apud Recētiores multa testimonia: quibus apertissimè dicitur, Christum D. nos à peccatis liberasse. Sufficiat nobis illud 1. *Ioan. c.* 2. *ipse est propitiatio pro peccatis nostris; nō pro nostris autē tātum, sed etiam pro totius mūdi.* Vnde sicut & ex nostra cōclusione omnes prædicti errātes reijciūtur.

13 Sed obijciūt Lutherani cōtra nostrā conclusionē: ergo nos non indigemus cooperatione, & satisfactione nostra, vt à peccatis liberemur. Patet: quia Christus D. pro nobis cōdignè satisfecit. Resp. negando: ad probationē dico, condignā Christi D. fuisse ad merendū nobis auxilia, quibus disponamur ad gratiā sanctificātē, qua interiùs renovemur. Quare propria operatione, & satisfactione indigemus; vt innuit Apostolus *ad Coloss.* 1. dicens: *adimpleo ea, quæ desunt passioni Christi.* ¶ Dices, nos attenuare merita Christi D. seu illa dicimus fuisse insufficiētia, & non cōdigna pro delictis: siquidē indigēt cooperatione nostra, vt deleāt delicta. Resp. negādo assumptū: firmiter enim fatemur, merita Christi D. fuisse tanti valoris dignitatis, & efficaciæ, vt sine aliqua propria cooperatione possēt nobis promereri summā gratiā, & gloriā: de facto tamē indigēt cooperatione nostra ex divina dispositione, qua inscrutabiliter statuit, quòd illa cōdigna merita Christi D. quoàd efficaciā applicarētur parvulis baptizatis sine

roprijs meritis, & cooperatio-
adultis verò, solū quando coo-
erentur ad propriam salutem.
4 Reijcitur etiam ex nostra
clusione Durandus *in 3. d. 20.*
affirmans, satisfactionē Chri-
(adhuc ex acceptatione Dei)
fuisse condignam, & æqualē,
solū congruā, Deū tamē ea cō
um mansisse, ac si esset æqua-
& vt talē eam acceptasse. Cui
entiæ dicitur adhesisse Medi-
a *codice de Satisfactione q. 1. §.*
at ergo. Tamen ex nostra con-
ione reijcitur sententia ista.
mo Suar. dicit, non esse fidei
sonam. Alij d[illegible] Christum
& sacras Scripturas conculca-
Legantur Recentiores, præ-
im Suar. *disp. 4 sect. 3.*
5 Notant nostri, immeritò
randum, & Medinam voluisse
olvere Scotum, quasi esset eius
n sententiæ cum illis. Quam-
enim *in 3. d. 19* doceat, meri-
n Christi Domini fuisse finitum
atione meriti: quia putat, me-
im compleri in ratione meriti
ceptatione, & promissione di-
a: & ideò nihil plus mereri, quā
statutum, tamquam præmiū:
quia quidquid Christus D. me-
rit de facto, fuit finitum, & nō
statutum præmium infinitū:
ò dicit Scotus, meritum Chri-
D. fuisse finitum. Tamen ipse
et apertè docet, meritū, & sa-
factionem illius, quantum est
parte valoris fuisse adeò condig.
m, & sufficientem, vt fuerit in-
ita propter circumstātiam per-
sonæ; vt num. 11. expendebamus.
Quare meritò, Lorca *disp. 7. n. 3.*
Scotum liberat ab hac calumnia
Durandi, & Medinæ dicens: *Scoto*
iniuria fit, si existimemus, eum sensis-
se, satisfactionem, & meritum Chri-
sti D. ex se non fuisse sufficientissimū,
& excedens ad redemptionem om-
nium peccatorum.

16 Sed pro Durand. & Medi-
na obijcies: per peccatum incurri-
mus debitum carendi omni auxi-
lio. & gratia: ergo, & Incarnatio-
ne. Sed Christus D. non potuit sa-
tisfacere pro debito carendi In-
carnatione: ergo neque eius satis-
factio potuit esse condigna. Minor
constat: Incarnatio enim est prin-
cipium cuiuscumque meriti: ergo
nequit cadere sub meritum. Res-
pond. ita esse: Itaque gratia fuit,
quod Deus vniretur humanitati.
Tamen, hoc semel supposito, ha-
bebant opera Christi D. valorem
superantem debitum peccatorū.
Sicut quilibet iustus potest elicere
opera meritoria tāti valoris, quā-
tum peccata habuerunt malitiæ:
vt docet Scotus *n. 11.* citatus quā-
vis aliàs nequeat primam gratiam
seu sanctam cogitationem pro-
mereri. ¶ Obijciunt secundò,
Christus Dominus, non potuit pro
beneficijs satisfacere ad æqualita-
tem: ergo neque pro nostris pec-
catis. Respondetur cum Lorca
disp. 7. num. 15. negando antece-
dens. Recolantur dicta *cap. 6. diff. 2*
à num. 8. & præsertim num. 17. &
18. ¶ Respondetur secundò,
cum eodem negando consequen-
tiam:

tiam: quia maiora fuerunt in suo genere beneficia, quæ Christus D. in quantùm homo accepit à Deo, quam fuerunt peccata hominum in suo genere: neque erat necessarium, vt priùs pro beneficijs satisfaceret, quàm quod aliquid aliud mereretur: (alias neq; gloriam sui corporis, neque exaltationem sui nominis meruisset) quia neque à Christo D. neque à nobis exigit Deus, vt pro beneficijs satisfaciamus priùs quàm aliquid mereri possimus. ¶ Obijc. tertiò. Si Christus Dominus peccasset mortalitèr, non potuisset pro suo peccato satisfacere: ergo non habet in se sufficiens principiū satisfaciendi adæquatè pro peccatō. Respondetur cum Lorca *ibi n.* 17. negando consequentiam: quia pro peccatis hominum satisfecit omninò iustus, & immunis à peccato: in dicta autem hypothesi non esset iustus. Et patet instantia alteriùs iusti, qui potest satisfacere, & mereri pro alijs; secùs autem quando non est iustus, seu est in peccato mortali. ¶ Resp. secundo cum eodem negando antecedens: quia quamvis inficeretur culpa: erit tamen tanta dignitas suppositi, vt indignitatem peccati longè superaret. Quare si actiones suas applicaret, pro illo effectu essent sufficientes. ¶ Dices, quòd ad meritum condignum, & ad meritoriam satisfactionem requiritur status gratiæ in merente, aut satisfaciente meritoriè: sed in tali casu Christus D. non habuisset statum gratiæ: ergo non potuisset de condigno promereri. Probatur minor: quia cum peccato mortali non conscruatur gratia sanctificans. Respondetur negando minorem: cuius probatio est vera de potentia, aut lege ordinaria; non autem de absoluta. Nos autem in secunda responsione huius argumēti supponimus, tunc conservari in Christo D. (ex lege Dei extraordinaria) gratiam sanctificantem, aut saltèm per extrinsecam acceptationem assumi ad amicitiam, & filiationem adoptivam Dei, etiam si tunc existeret in peccato, vt sic posset de condigno promereri. Si tamen hæc suppositio non admittatur; secunda solutio est relinquēda; nisi fortè acquiescas doctrinæ traditæ *cap.* 1. *diff.* 4. *num.* 11. eamque in præsenti adaptes.

DVBIVM IV.

17 PEtes quartò: Vtrùm Christi D. satisfactio habuerit condignitatem ex natura sua? An ex Dei acceptatione? Respōd. sub distinctione statim declaranda. Pro qua suppono ly *condignitatem* aliquando significare valorem æqualem cum debito: aliquando autē vim obligādi: vt notant communiter, præsertim Scotistæ. Legantur *Castill. disp.* 3. *quæst.* 1. *à num.* 12 *& Fel. c.* 3. *diff.* 1.

18 Dico primò: satisfactio Christi D. (& quodcumque eius opus bonum, & honestum) ex natura sua, & secluso pacto erat condigna;

ꝭoc est, habebat valorem suffi-
tem, aut æquivalentem, imò
perexcedentem debitum pec
rum. Quia *empti estis pretio*
10 I. ad Chorint. 6. pretium au-
ex natura sua, & secluso pac-
ut lege Principis, habet valo-
intrinsecum. Prætereà Cle-
s VI. *in extrau. Vnigenitus* di-
quòd Christus Dominus *in ara*
is innocens immolatus nō guttā
uinis modicam, quæ tamen pro-
vnionem ad Verbum pro redem-
ne totius humani generis suffe-
t, sed velut quoddam proflu viū
itur effudisse. Expendo quòd
cientiam, quam Pontifex fa-
r habuisse modicam guttam
uinis Christi *D.* pro redemp-
e totius generis humani, ha-
non propter acceptationem,
propter vnionem ad verbum:
e Christi D. opera exhauriunt
mdam divinam dignitatem,
alorem longè incomparabili-
superantem indignitatem, &
catorum malitiam: sunt enim
ra Theandrica, id est, hominis
. Ita Scotus *in 3. d. 20. §. Ad pri*
n, vers. Ad aliud, & in 4. dist. 15.
§. De secundo, vers. Dico ergo &
i. D. Thom. 3. p q. 1. art. 2. Suar.
q. Becanus, & alij, quos citant,
secuntur Castillo, & Felix num.
cedenti citati.

) Sed *Durandus, & Medina*
i. 14. citati, necnon, & Gab. at-
Almainus citati à Suar. disp. 4.
4. § Alia via defendunt, opera
risti D. ex se, aut ex natura sua
habere prædictum valorem.

Quæ sententia tribuitur *Radæ 3.*
p. controvers. 13. art. 2. conclus. 2. &
art. 3. conclus. 3. Fabro disp. 46. &
Pitigiano in 3. d. 18. art. 1. & d. 20.
art. 3. Tamen Felix citatus putat,
hos Scotistas, non loqui de valore,
sed de ratione completiva meriti,
seu de iure respectu præmiantis.
In quo sensu loqui Scotum diximus
n. 15. quamvis à prædicto Suarez
immeritò, etiam citetur pro
hac Durandi sententia. Sed hoc omisso,
pro prædicta sententia obijcitur:
peccata sunt contra Deum
infinitum: ergò ex hoc capite multùm
crescit malitia peccati: Rursùs
peccata sunt innumera, & aliqua
valde intensa: ergo opera Christi
D. non possunt adæquare malitiam
peccatorum nisi ratione pacti.
Respondetur negando vltimā
consequentiam: nam opera Christi
D. sunt Theandrica, id est, hominis
Dei: persona autem divina
sic nobilitat opera, vt in valore, &
æstimabilitate cuncta creata sint
inferiora sibi.

20 Obijc. secundò, Christus
D. satisfecit per opera humanitatis:
sed secundùm humanitatē est
minor Patre: ergo non potuit reddere
æquiualens pro peccato. Patet
consequentia: quia peccatum
offendit Deum secundùm divinitatem.
Resp. distinguendo maiorem:
per opera humanitatis præcisè
sumptæ, nego: vt vnitæ Verbo,
concedo: ex qua vnione humanitas
(& consequentèr eius opera)
tantam excellentiam, & nobilitatem
recipiebant, vt longè incom-

comparabiliter superarent debitum peccatorum. ¶ Contra: si tanta est huius humanitatis, atque illius operum excellentia; ergo eius opera non fuerunt sufficienter præmiata, hoc est, ad mensuram valoris. Respondetur, ita esse. Nec in hoc aliquod reperitur incommodum: cùm Christus Dominus fuerit contentus tali præmio; & non obtulerit suam passionem pro remissione peccatorum dœmonum. ¶ Contra secūdò, illa opera fuerunt adeò valorosa; Ergo sine aliquo pacto obligabant Deum, vt ea acceptaret pro hominum redemptione; pro exaltatione sui nominis, &c. Respondetur negando consequentiā: quia obligatio, seu ratio completiva meriti non consurgit ex valore operis; sed ex promissione seu pacto, quo Deus se obligavit dare tale præmium sic, vel sic operanti; seu quo se obligavit acceptare in satisfactionem offensæ ab homine sibi factæ opera Christi D. qui non offenderat.

21 Dico secundò, ex pacto; seu acceptatione antecedēti proveniebat, quòd satisfactio Christi D. obligaret Deum ad acceptandum eius opera pro redemptione peccatorum. Quia Deo sunt debita omnia obsequia, seu opera Christi Domini diversis titulis: (nempe dominij supremi, creatoris, conseruatoris, &c.) ergo nisi ipse se constituat sua promissione debitorem, nullo modo potest obligari ad acceptandū opera Christi Domini, vt meritoria alicuius præmij, seu vt satisfactoria pro aliqua offensa. Secundò, quia, si opera Christi D. sine pacto obligarent Deum, sequeretur satisfecisse pro peccatis dœmonum: quia habebant valorem adhoc. Item etiā in cœlo mereretur Christus per ea. Ita Scotus in 1. *d.* 17. *q.* 2. § *Tunc est, & in* 3. *d.* 19. *&* 20. *& communiter Scotistæ, præsertim Castillo disp.* 3. *q.* 1. *à num.* 17. *& Felix c.* 3. *diff.* 1. Tenentque omnes illi Thomistæ, qui ponunt pactum completivum meriti.

22 Sed Vazq. *disp.* 5. *c.* 2. *& nonnulli alij Recentiores* dicunt, opera Christi Domini adhuc ad obligandum Deum non egere pacto, seu acceptatione. Pro qua sententia obijcies, non constare intervenisse talem acceptationem, promissionem, aut pactum. Respondetur negando: quia in *Psalm.* 2. *num.* 8. continetur illis verbis: *Postula à me, & dabo tibi*: atque *in Isaiæ* 53. *n.* 10. *Si posuerit pro peccato animam suam videbit semen Longævum.* Quod, & multi Patres fatentur. Sufficiat Augustinus *serm.* 16. *de verbis Domini* sic loquutus: *Deus nobis debitor factus est, non aliquid à nobis accipiendo, sed aliquid, quod ei placuit promittendo.* ¶ Obijc. secundò, sequi ex hac secunda cōclusione, validiùs fuisse peccatum Adæ ad perdendum, quàm meritum Christi Domini ad satisfaciendum. Patet: quia peccatum sine pacto inducit pœnam; opera autem Christi Domini sine pacto, non

non inducunt gloriam. Respondetur negando sequelam, & eius probationem: quia peccatum Adæ ratione pacti fuit in nos transfusum: vt dixi *in tract. de Peccato originali* (nondum excusſi) *disp. 2. q. 2. a. num. 5.* Immò, & de peccato personali idem est dicendum; seclusa enim omni lege, nullum maneret peccatum: vt etiam dixi *in tract. de Peccatis* (nondum typis mandato) *disp. 1. quæst. 2.* Respondetur secundò diversam esse rationem de merito, ac de peccato: meritum enim inducit obligationem; seu ius respectu præmij: & ideò requiritur pactum, seu promissio respectu præmij, seu obligans personam præmiaturam, vt præmiat. Peccatum vero non inducit ius, seu obligationem respectu personæ; sed solùm homo peccans propter peccatum subiacet voluntati legislatoris, qui pœnam infliget, si voluerit. Itaque notissimum est discrimen: peccatum enim inducit ius contra illum, qui peccat; meritum verò obligat illum, qui redditurus est præmium. Idem est de satisfactione, quæ obligat illum, cui fit satisfactio.

DVBIVM V.

23 PEtes quintò, an satisfactio Christi D. fuerit infiniti valoris? Respondetur affirmativè. Quia Christi D. humanitas (& cõsequenter opera inde procedẽtia) à supposito divino, & infinito recipiebat totam illius dignitatem, seu æstimabilitatem: sed ista est infinita: ergo dignitas, seu valor prędictæ humanitati à Verbo derivatã est infinita. Maiorem probant instantiæ politicæ: etenim apud prudẽtes politicos in confesso est, titulum, excellentiam, seu præeminentiam in aliqua persona repertam omnimodè, seu totaliter illi communicare suam dignitatem, & æstimabilitatem, atque operibus ab ipsa elicitis. Vnde affirmant, dignitatem Regiam v. g. tãtum æstimabilitatis, & valoris, quantum in se habet, communicare personæ. (& consequentèr eius operibus) Hinc rursus affirmãt quòd si contingat, Regem venundari tantum valet, quantum valet eius dignitas, & maiestas: atque adeo iure tantum pretium à venditore peti pro persona illa, quantum æstimatur Regia dignitas, & maiestas. Hinc etiã provenit, quòd prudentes existiment, opera Regis trahere secum Regiam dignitatẽ, & æstimabilitatem; & opera, seu mandata divina, divina quoque præcipientis maiestate fulgere. Vnde crebuit apud prædictos prudẽtes reputari, quod qui frangit Dei, aut Regis mandatum, Deum, aut Regem contemnit; eo videlicet, quòd divina aut Regia maiestas in ipsorum mandatis quasi latitat, & adumbratur. Ex quibus constat, dignitatem, seu æstimabilitatem, quam divinum Verbum præstat humanitati Christi D. non esse physicam, sed moralem. Nostram cõclusionem defendunt *D. Thom. 3.*

p. quaest. 48. art. 2. Vazquez disp. 7. cap. 2. Becanus cap. 14. & 15. & G. Hurt. disp. 1. diff. 19. qui dicit, sic communiter sentire Theologos. Quæ autem sit mens Scoti constabit ex dicendis à n. 28.

24 Sed *Ioannes de Medina, Almaynus, & alij nominales; item Rada, Fabro, & Pitigianus, quos citant, & secuntur Castillo disp. 3. quaest. 2. à num. 11. & Felix c. 3. diff. 2. dicens, sic communiter sentire Scotistas* oppositum defendunt. Immo aliqui Scotistæ sibi indubitanter suadent, esse apertam sententiam Scoti (de quo à num. 28.) Pro qua objicitur: meritum, seu satisfactio Christi Domini fuit infiniti valoris? Ergo fuit ita bonū, & amabile, sicut ipsum Verbum divinum, aut sicut ipsum velle Verbi. Respondetur distinguendo cōsequens: entitativè, nego: denominativè, concedo. Itaque opus meritorium, aut satisfactorium Christi Domini entitativè erat finitum: quia eius physica entitas efficientèr procedebat ab humanitate, & à gratia, seu à charitate; quarum neutra erat infinita. Tamen, cùm actiones denominativè sint à supposito sustentante naturam; & humanitas Christi Domini supponitetur à personalitate Verbi, quæ realiter est infinita; ista refundebat in ipsam humanitatem immediatè, & mediatè in eius opera quandam denominationem, dignificationem, seu moralem æstimabilitatem infinitam.

¶ Vnde patet, hanc dignificationem non esse aliquam entitatem physicam derivitam à Verbo, sed quamdam moralitatem indistinctam ab illa, quam habet Verbū; extensam tamen, seu communicatam humanitati, seu eius operibus. Sicut eademmet personalitas Verbi per quandam quasi extensionem terminat naturam humanam, quam anteà non terminabat. Et sicut anima rationalis per quamdam sui extēsionem informat novam partem corporis acquisitam per alimentum.

25 Patet etiam, quòd non solum est finita, & limitata satisfactio Christi Domini secundùm suam physicam entitatem, sed etiam secundùm valorem intrinsecum; quamvis aliàs sit infinita secundum valorem extrinsecum, & accidentalem. ¶ Valorem intrinsecum vocant illum, quē fundat opus meritorium, aut satisfactorium in sua physica entitate; seu quem habet per ordinem ad causas physicè efficientes: quæ in præsenti sunt humana voluntas (loquamur de actu voluntatis) & gratia, seu charitas creata. Valorem autem extrinsecum vocant, quem opus habet à personalitate, quæ sicut non influit physicè in opera humanitatis, sed solùm denominativè: (eo enim quòd humanitas Christi Domini supponitatur à Verbo; illius opera dicuntur opera Verbi extrinsecè, & per communicationē idiomatum)

ita

lor, quem opus à personali participat, dicitur extrinsecè, eo quòd per extrinsecam denominationem participatur: aut sine personalitate physica entitas actus existere potuit. Atque ò valor (idem est de bonitate) quem ex personalitate sumit, itur extrinsecus, seu accidens.

26 Obijciunt secundò, quòd us charitatis, fidei, &c. sunt circa obiectum infinitum: sed non it valoris infiniti: ergo neque tus, qui sunt à supposito infinito participant ab illo aliquam infinitatem. Respondetur negando consequentiam: quia ab obiecto actus sumit valorem intrinsecū, personalitate autem sumit extrinsecum. Et ratio est, quòd physica entitas actus sine obiecto stare non potest, benè tamē sine personalitate, aut subsistentia. Vnde it, quòd valor, (aut bonitas) quē actus sumit à persona, non mensuretur cum eius physica entitate; valor verò, quem actus sumit ab obiecto, mensuratur cum physica entitate actus: eo quòd ista omnino pendet ab illo. Vnde vlterius fit, quòd cū physica entitas actus sit finita, & limitata, eius valor participatus ab obiecto sit finitus.

27 Obijciunt tertiò, persona totam suam dignitatem communicat operi? Ergo gratia iusti etiam communicat operi totam suam dignitatem: atque adeò, qui habet gratiam, vt octo, etsi remissè operetur, merebitur vt octo; & consequentèr plus merebitur, quā alterius, qui habet gratiam, vt sex, & aliàs intensè operatur. Respondetur ita esse, si loquamur de correspondentia, quam opus meritorium dicit ad principium dignificans: secùs autem loquendo de correspondentia, quam dicit ad principium vitale, vel ad obiectum. Itaque valor operis meritorij, aut satisfactorij sumitur ex diversis capitibus, scilicèt ex obiecto, ex circumstantijs, ex voluntate, & ex principio dignificante: hæc enim omnia concurrunt ad valorem meriti. Ad rem ergo: omnia opera Christi D. erāt æqualis valoris ex parte, quā opus respiciebat infinitam personam, quæ opera dignificabat (Idem est de operibus iustorum consideratis per ordinem ad gratiam habitualem, per quam dignificantur) Si autem attendamus valorem, quē à principio voluntatis, & ab obiectis, necnon, & circumstantijs sumit opus meritorium, aut satisfactorium, non semper est æqualis. Cùm enim obiectum charitatis v.g. sit nobilius obiecto pœnitentiæ; actus charitatis tàm in Christo Domino, quàm in quocumque alio ex illo capite obiectivo semper valorosior evadet. Insupèr ex parte voluntatis (requiritur enim ad meritum libertas contingentiæ ex difficultate 1. numero 1.) ille actus erit magis

magis valorosus, qui fit cum maiori libertate. Immo, & sicut actus pravus, qui aliàs esset peccatum mortale, aliquando est solùm veniale, vt quando fit cum semiplena advertētia, seu libertate; vt cōtingit in actu secundo primo: & aliquando non est peccatum; vt quādo fit sine aliqua libertate, seu prima advertentia; vt cōtingit in actu primo. Ita defectu plenæ libertatis opus circa obiectum virtuosum potest esse minùs valorosum, & carere omni valore. (Non est sermo de Christo Domino, qui semper operabatur cum plenissima libertate, & advertentia.)

DVBIVM VI.

28 Petes sextò, quid de hac re senserit Scotus? Respond. esse incertum. Quamvis enim Scotistæ *n.* 24 citati putent cum multis Thomistis sensisse Scotum fuisse valoris finiti. Tamen Illustrissimus Merinero (huius Complutēsis Cœnobij quondam primarius Lector, claritatis facilè Princeps, veritatis propugnator accerrim⁹, mei, immò, & omnium, qui post ipsum scripserūt, via, & magister) *disp.* 2. *q.* 4. & post ipsum nonnulli alij Scotistæ, præcipuè in manuscriptis oppositū affirmant. Quod mihi satis innuit doctus Hugo Cavellus *in* 3. *d.* 19. *in Scholio ad* §. *Quantum ad sufficientiam.* Igitur meritò abstinui pro nostra conclusione citare Scotum, cùm inter ipsos Scotistas de illius mente sit altercatio. Tamen quia à non paucis contentiosè fortè asseritur, apertè nobis opponi: ideò expendere oportet verba Scoti, quæ nobis favent, & quæ pro se adducunt adversarij, solvere.

29 Igitur Scotus *in* 3. *distinct.* 19. §. *Quantum ad sufficientiam* nobis non parum favet. Probaverat enim, opera Christi Domini ex ratione sua formaliter (id est, ex physica entitate, aut ex valore intrinseco in ipsa fundato: de quo diximus *num.* 25.) non habere dignitatem, vel valorem infinitum: & consequentèr nec sufficientem, vt à Deo congruè, seu connaturali modo pro infinitis acceptarentur; & statim subdit. *Tamen ex circumstantia suppositi, & de congruo ratione suppositi habent quamdam rationem extrinsecam, quare Deus potuit acceptare illa in infinitum. Si autem illud meritum esset alterius personæ, tunc nec ratione operis, nec ratione operantis fuisset congruitas acceptationis illius pro infinitis.* Apertè: ergo distinguit Scotus in opere meritorio Christi Domini (idem est de satisfactorio) valorem moralem, æstimabilitatem, seu appretiabilitatem operis à valore, æstimabilitate, seu appretiabilitate operantis: & affirmat, quòd prior est finitus, & posterior infinitus. Quod verissimum est: nec contra illud vrgent, quæ obijcere possunt adversarij: ex dictis

dictis enim *à num.* 24. manent soluta illa, quæ tamquam sibi difficiliora nobis objiciunt.

30 Videamus autem, quæ ex contextu Scoti contra nos expendunt Scotistæ. Dicunt in primis, quòd Scotus ante prædicta verba dixerat, meritum Christi D. ex ratione sua formali non potuisse acceptari in infinitũ pro infinitis: ergo nũquã existimare ratione potuit habere valorem infinitum. Resp. Ita esse loquendo de valore, moralitate, &c. intrinseca; quæ commensuratur cùm physica entitate operis, iuxta dicta *num.* 25. Aliter autem est loquendum, si sermo sit de valore, moralitate, &c. quam habet opus meritorium ex parte, seu *ratione operantis*: vt loquitur Scotus: ista enim secundùm ipsum, & secundùm veritatem est infinita: atque adeò opus meritorium Christi D. ratione illius potest pro infinitis acceptari. ¶ Dices: quare ergo Scotus postquam dixisset, quòd *Deus potuit acceptare illud in infinitum*, addidit quasi restringendo illud meritum ex parte operantis, scilicèt *extensiuè pro infinitis*? Videtur enim per hanc additionem affirmare, meritum Christi D. ex parte operantis esse solùm secundùm quid infinitum. Respond. Scotum per prædictam restrictionem solùm velle declarare, quòd valor illius operis ex parte operantis non commensuratur cũ physica entitate actus: cùm suppositum non influat physicè in actiones. ¶ Ex quibus patet ad omnia alia, quæ ex Scoto solent expendi: quotiescumq; enim affirmat, meritum Christi D. esse finitum consideratũ secundũ totam rationem meriti, seu cum omnibus respectibus etiã ad suppositum (sic loquitur *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 1. §. *De secundò, vers. Item passio*) solùm vult, meritum Christi D. ex parte operis, seu secundũ physicam entitatem, aut secundùm valorem intrinsecum, vndequaque consideretur esse finitum, & limitatum. Cùm quo benè cõponitur, esse simpliciter infinitum secundùm valorem, aut æstimabilitatem extrinsecam, quam habet ex parte operantis. Quare autem valor operis dicatur intrinsecus; valor verò ab operante derivatus dicatur extrinsecus; diximus *num.* 25.

DVBIVM VII.

31 Petes 7. an in satisfactione Christi D. intercesserit propria, & specialis iustitia? Respond. affirmativè. Quia in Scriptura dicimur empti, & redempti. Sufficiat illud 1. *ad Chorin.* 6. *empti enim pretio magno. Et Psal.* 106. *Dicant, qui redempti sunt à Domino.* Cùm autem in cõtractibus emptionis, & redemptionis interveniat propria iustitia, necessariò videtur intervenire in satisfactione Christi D. qua fuimus empti, & redempti à captivitate diaboli. Possentq; ad id expendi diversi Patres. Sufficiat Augustinus *de Trinit. cap.* 13.

dicens: *Non autem diabolus potentia superandus fuit*. Et ratione probatur: qui enim adimplet conditionem condignam obligat promittentem ex iustitia. Sed Christus D. condignè adimplevit conditionem illam (*si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum*: *Ierem. 53. num. 10.* ergo satisfecit ex propria, & speciali iustitia. Maior constat ex illo *ad Rom. 4. Ei, qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum*. Et in parabola vineæ ex convenientia omnium Paterfamilias ex speciali iustitia propter conventionem factam tenetur reddere mercedem.

32 *Vazquez disp. 7. Lorca disp. 8. Becanus G. Hurtado, Molina, Smising. & alij communiter citati* oponuntur nostræ conclusioni: & obijciunt, quòd *ex 5. Ethic. cap. 1.* iustitia debet esse ad alterum. Sed satisfactio Christi D. non fuit ad alterum: ergo non fuit ex speciali iustitia. Probatur minor: non enim solùm satisfecit Patri, & Spiritui Sancto Christus D. sed etiam sibi ipsi: siquidem tota Trinitas erat offensa per peccatum. Respondetur distinguendo maiorem: ad alterum distinctum saltèm in natura, concedo: in persona, nego. Si enim distinctio naturarum in Christo D. sufficit, vt secundū humanitatem fuerit sibi obediens secundùm divinitatem, ad hoc vt exerceat actus religionis, &c. circa se ipsum; cur non sufficiet in præsenti? Et omniū ratio est, quòd Christus D. secundū quòd homo habet distinctā voluntatē, & operationem à voluntate, & operatione divina: ergo per illam potuit satisfacere, obedire, &c. ¶ Aristoteles verò requisivit distinctionem suppositorū ad iustitiā (sicut requireret etiā ad obedientiā, orationē, &c. si de istis tractaret) quia non cognovit hoc mysterium, seu quod duæ naturæ habebant eamdem personalitatem.

33 Obi. 2. Patris ad Filium nō emancipatum (sic vocant, qui est sub Patris cura, & potestate) Domini ad servū non potest esse vera obligatio iustitiæ: sed Christus D. vt homo, est servus Dei: ergo ex operib⁹ eius nequit oriri obligatio iustitiæ erga Deum. Resp. distinguendo maiorem: est enim vera de obligatione, quæ incipit à servo, vel filio: (& hoc tantùm intendit Aristoteles; cuius est illa propositio) falsa autem de obligatione, quæ incipit à Patre, vel Domino volente se obligare, seu permittente aliquid dare sub conditione alicuius operis à filio, vel servo faciendi. ¶ Obi. 3. vbi non est obligatio, redditio non potest esse actus iustitiæ: sed Christus D. non erat obligatus, aut debitor: ergo eius satisfactio nō erat ex iustitia. Respond. negando maiorem: sufficit enim, quod quis ex motivo iustitiæ solvat debitum pro alio. Respon. 2. data maiori, negando minorem: eò enim, quod Christus D. voluntariè acceptavit officium Redēptoris, & fideiussoris, ex iu-

ſtitia debebat pro nobis ſatisfacere.

34 Nota, quòd Authores huius ſententiæ nobis oppoſitæ diſcordant inter ſe. Illorum tamen placita, & fundamēta cōmodiùs adducemus, & refutabimus *à num.* 40. In pręſenti autem omitto hoc aduerſariorum diſsidium: cùm enim omnes iſti contra noſtram concluſionē conſpirent affirmantes Chriſtum D. non ſatisfeciſſe ex virtute iuſtitiæ, parùm nobis refert, quòd talem ſatisfactionem reducant ad iſtam, vel ad illam virtutem.

DVBIVM VIII.

35 Petes 8. ex qua iuſtitia ſatisfecerit Chriſtus D? Reſpond. quòd ex iuſtitia commutativà. Quia ortum duxit à contractu illo, quo ſe obligavit reddere Deo tantum honorem, & obſequium, quantùm homo abſtulerat per peccatum; & Deus ſe obligavit acceptare talem ſatisfactionem. Quod fœdus, ſeu pactū conſtat ex illo *Ierem. 53. n. 10. ſi poſuerit pro peccato animā ſuam videbit ſemen longævum.* Ita *Caſtillo diſp. 3. q. 3. n. 16. & Felix cap. 3. diffic. 3.*

36 Dices: iuſtitia cōmutativa exigit, vt ſatisfaciens abdicet à ſe dominiū rei, per quam ſatisfacit. Sed Chriſtus D. (adhuc vt homo) non potuit à ſe abdicare dominiū ſuarū actionū, neque illiud transferre in Deū: ergo neq; ſatisfacere ex iuſtitia cōmutativa. Minor cōſtat: Deus enim iam erat Domin⁹ illarū actionū. Reſp. cùm præcitatis Caſtillo, & Felix (qui ſecuntur Suar, *opuſculo de Iuſtitia Dei ſect. 2. n. 24.*) maiorē ſolùm eſſe verā in ſatisfactione pecuniaria: non verò in ſatisfactione famę, & honoris: vt patet in ſatisfactione, quę fit inter homines: iſti enim, quādo ſatiſfaciunt honorando aliū per proprios actus, non abdicant à ſe dominiū illorū actuū: benè tamen, quando reſtitutio eſt pecuniaria. ¶ Dices 2. Scotū *in 4. d. 46. q. 1. §. Hic primò, verſ. Principia* negat, eſſe iuſtitiā cōmutativam in Deo: *quia nō poteſt eſſe æqualitas ſimpliciter.* Reſp. loqui de iuſtitia cōmutativa ſimpliciter dicta: quæ reperitur inter homines: in quib⁹ dari poteſt ęqualitas rei ablatæ cū re, per quā fit ſatiſfactio, quin ille, cui fit ſatiſfactio, aliquid antecedētèr cōdonet. Nō autē loquitur de cōmutativa, quæ reperitur inter ſervū, & dominū; quæ fundari debe tin aliqua cōditione antecedēte, qua dominus velit acceptare ſatiſfactionē ſervi, & quaſi ei dare facultatē, vt habeat propriū dominiū circa rē, per quā ſibi poſteà ſatiſfaciat. ¶ Dices 3. ſatiſfactio Chriſti D. nō ſupponit læſionē iuſtitię cōmutativæ: ergo nō eſt actus talis iuſtitiæ. Antecedens patet: peccata quippè, pro quibus ſatiſfecit, nō ſunt contra iuſtitiam in ordine ad Deū: aliàs in quolibet peccato, prę ter propriā malitiam ex obiecto, daretur ſpecialis malitia ex oppoſitione ad iuſtitiam Dei. Reſp. negando antecedens. Ad probationem dico nullum eſſe incōmodū cōcedere talē ſpecialē malitiam

in peccatis: quia quolibet peccato (præcipuè mortali) Deum inhonoramus, seu ei auferimus honorem debitum titulo supremi dominij, parentis, benefactoris, &c.

¶ Nota tamen, nō esse necessariò explicādā in confessione hanc specialem malitiam, seu iniustitiam in quolibet peccato repertam: (dummodo materialis tantùm sit: vt contingit quoties sine expresso animo lædendi ius diuinū, seu Deum inhonorandi, committitur peccatum) quia est proprietas consequens omne peccatum; & quasi generalis circumstantia omnium peccatorum.

DVBIVM IX.
(Incidens.)

37 **P**ro plena intelligentia dictorum circa iustitiā examinandum est incidentèr quotuplex sit iustitia? aut quomodo diuidatur? Respondetur esse triplicem, seu diuidi in legalem, distributiuam, & commutativam. Pro cuius probatione suppono ex D. August. 19. *de Ciuit. cap. 4.* quòd *iustitia munus est ius suum vnicuique tribuere.* Ly autem *ius* in præsenti debitum significat. Sed quia variæ possunt esse debiti differentię, necnon & diuersi modi, quibus debitum redditur; ideò diuersimodè sumitur *iustitia.* Debitum enim aliud est legale, & aliud morale. Legale est, ad quod reddendum quis adstringitur lege: & ideò est debitum strictum, & propriū. Debitum morale est, ad quod reddendū adstringimur solùm ex honestate virtutis. Rursùs debitum legale est duplex: aliud generale; quod debetur communitati: & aliud speciale, quod debetur priuatę personæ. Iterùm debitum legale, aut est ad æqualitatē arithmeticam; aut ad geometricam. Vocant æqualitatem arithmeticam, quæ est inter duas quātitates, seu æqualitatem rei ad rem. Geometricam verò, quæ est inter proportiones quantitatum, seu rerum, ita vt talis sit proportio alicuius ad suum correlativum, qualis est proportio alteriùs ad suum correlativum. Videantur *D. Th. 2. 2. quæst. 58. ab artic. 6. & quæst. 61. & 80. atque Aristot. 5. Ethic. à capit. 1. & lib. 8. & 13. aliįque antiqui.*

38 Igitur cùm iuxta qualitatē debiti ponatur iustitia: & debitū morale solùm latè, seu communissimè dicatur debitum; iustitia illa, in qua solùm debitum morale reperitur, solùm latè, & communissimè dicitur iustitia: estque illa, quæ divagatur per omnes virtutes tribuendo cuicumque illarum, quod suum est, seu quod ei debetur ductu rationis naturalis. Cùm autem debitū legale sit propriè, seu in rigore debitum, iustitia illa, in qua reperitur debitum legale, dicitur propriè, & strictè iustitia. Quæ tripartitur in legalem, distributivā, & cōmutativā.

¶ Dices: ergo tàm diuisum, quàm vnum ex membris dividentibus

habent idem nomen, scilicèt iustitia legalis. Resp. non esse novum. quod inopia vocum, divisum, & aliquod ex membris dividentibus coincidant in nomen. Vniversale enim est genus ad quinque prædicabilia: quorum vnum etiam denominatur genus.

39 Rursus nota pro perfecta intelligētia divisionis iustitiæ propriè sumptæ in legalem, distributivam, & commutativam, quòd in republica tres ordines reperiūtur: vt observat Villalobos *tom. 2. tract. 7. diff. 4. num. 5.* Primus est, quem partes dicunt ad totum, seu ad caput reipublicæ, (in quo eminenter seu interpretativè continentur voluntates totius reipublicæ: propter quam continentiam, seu superioritatem, Princeps supremus reputatur tota respublica, & condit leges) secundùm quē ordinem ponitur iustitia legalis: vi cuius debent cives servare leges reipublicæ, seu supremi Principis. (Hæc iustitia aliquando vocatur generalis: eò quòd generalitèr obligat inferiores) Secundus ordo est, quem respublica, seu caput dicit ad suas partes: secūdùm quem ordinem ponitur iustitia distributiva; vi cuius respublica, seu caput tenetur servare rectitudinem, seu æqualitatem geometricam in distribuendo bona reipublicæ, seu communia. Quare nequit illa pro libito conferre, sed ad mensuram meritorum, proportione servata ad dignitatem personarū, & ad alias circumstantias. Tertius ordo est quem partes dicunt inter se se: secundùm quem ponitur iustitia commutativa; vi cuius tenentur cives servare restitutionem, seu æqualitatē arithmeticam, in suis cōtractibus emptionis, venditionis. &c. nulla attentione habita ad dignitatē personarum, aut ad alias circumstantias, sed reddendo tantum pro tanto. Quare si contingat, rempublicā, seu eius supremum Principem celebrare contractū emptionis, venditionis, promissionis, &c. cum aliquo cive, tenetur vi huius iustitiæ cōmutativæ reddere tantum pro tanto, non secùs, ac si esset particularis civis.

DVBIVM X.

40 PEtes 10. speciales rationes ad repellendum oppositas sententias; necnon & illarum fundamenta. Resp. quòd Lorca *disp. 8. n. 14.* dicit satisfactionem Christi D. fuisse ex speciali virtute religionis. Quia sua satisfactione (inquit) reddidit Deo honorē ablatum per culpam: quod est proprium virtutis religionis. ¶ Fallitur tamen: quia per satisfactionem Christi D. non propriè redditur cultus Deo: (vt propriè redditur oratione, & sacrificio) sicuti neque peccata nostra, pro quibus Christus D. satisfecit, prout offensiva sunt Deo, erant opera propriè irreligionis, aut sacrilegij: aliàs in quolibet peccatò contra alias virtutes à religione esset duplex

plex malitia specie distincta.

41 Marsilius *in 4. quæst. 10.* dixit satisfactionem Christi D. fuisse ex uirtute, quæ in nobis est, & dicitur pœnitentia (quamvis in Christo D. non vocetur pœnitentia: quia, secūdùm Marsiliū, hoc nomine denotatur ordo ad proprium peccatum.) Quia sua satisfactione compensavit pro peccatis: ergo fuit ex virtute, qua nos debebamus compensare, scilicèt ex pœnitentia. ¶ Fallitur tamen: quia qui est fideiussor pro debito alterius (pro pecunia, v. g.) satisfacit ex iustitia cōmutativa: eoquòd reddit æquale arithmeticè. Sed Christus D. fuit fideiussor pro satisfactione, quam facere tenebatur homo; & reddit æquale arithmeticè: ergo satisfecit ex iustitia commutativa.

42 Vazquez *disp. 7. cap. 6. & G. Hurt. disp. 1. diff. 21.* dicūt, Christum D. satisfecisse non ex aliqua determinata virtute, sed ex omnibus illis, ex quorum motivis elicuit opera bona. Quia non alitèr satisfecit, quàm merendo nostrā reconciliationem, & eam à Deo quasi emendo: quod fecit omnibus suis operibus morte consummatis: quæ opera fuerunt varia, & diversarum virtutū. ¶ Falluntur tamen: quia omnia prædicta opera potuerunt imperari à virtute specialis iustitiæ cōmutativæ. Qui habitus est distinctus à reliquis virtutibus: (& consequentèr in Christo D. collocandus) cùm habeat motivum distinctū, vt discurrenti per omnes patebit. Præcipuè expendo, quòd motivum pœnitentiæ est vindicare peccatum, vt est offensivum Dei: motivum autem huius virtutis est reddere Deo æquale pro debito relicto ex peccato, seu (quod idem est) servare integritatem divini iuris, et si læsum fuerit illud reparare.

43 Dices, quòd hic habitus nō reperitur in hominibus: cùm isti nequeant (saltèm de potentia ordinaria) reddere Deo æquale pro debito derelicto ex peccato: ergo neque in Christo D. Resp. negando consequentiam: quia Christus D. potuit ponere æqualitatē arithmeticam; non autem reliqui homines. ¶ Omitto Suar. qui negat antecedens: quia hanc virtutē existimat posse poni ad affectum simplicē, seu conditionatum servandi illæsum ius divinum, seu ponendi æqualitatem pro debito derelicto ex peccato. Tamen hoc displicet aliis: sequeretur enim ex hoc, in Angelo posse poni virtutē castitatis, tēperantiæ, &c. Quare cōmuniter dicitur in tractatu de Virtutibus, quòd quāvis in subiecto per accidens impedito ab exercitio alicuius virtutis (in paupere, v. g. qui per accidens est impeditus ab elargitione eleemosinæ) possit poni virtus, seu habitus ipsum inclinans ad exercitium illius virtutis. Tamen, quando impedimentū est ab intrinseco, nō est ponenda talis virtus. ¶ Sed quia hoc altiora fortè petit principia, omitto antecedens, & nego cōsequentiā ob rationem assignatam.

DVBIVM XI.

44 PEtes 11. an satisfactio Christi D. fuerit ex toto ore iustitiæ? Respon. negativè. ...ia opera Christi D. secluso pa... non obligabant Deum, vt illa ...ceptaret: atque adeo iustè pos... t Deus exigere, vt qui peccave... r, satisfaceret. Quare meritò di... ...nt multi, quòd etsi in satisfa... ione pecuniaria possit interve... ire rigor iustitiæ, non tamen in ...tisfactione famæ, & honoris. ...gitur cùm quæcũque gratia mi... ...uat iustitiam; atque in præsenti nterveniat gratiosa positio pacti ...x parte De; satisfactio Christi D. ...equit esse de rigore iustitiæ.

45 *Sed Castillo disp. 3. q. 4. n. 2. secutus Suarez disp. 4. sect. 6. oppositum defendit: imò n. 5. multos Authores conatur trahere in hanc sententiam.* Et obijcit D. Basilium Seleucæ *hom. 1. de Incarnatione* dicẽtem, *per mirabiles naturæ nostræ primitias, scilicet per Christum D. omnem iustitiæ rationem fuisse completam.* Vbi expendit ly *omnem iustitiæ rationẽ.* Item expẽdit, dixisse D. Salvianum *lib. 4. de prouidentia*, quòd *magnitudo iustitiæ Christi D. videtur habere speciem iniustitiæ.* Resp. hos Patres (sicut & quoscũque alios sic, vel sic loquentes) solùm extollere valorem æquivalẽtem imò & superabũdantẽ satisfactionis Christi D. vt fatetur ipse Castillo *ibi n. 2.* Non tamen intendunt servasse omnia, quæ ad totũ rigorẽ iustitiæ sunt necessaria.

46 Obij. 1. Christus D. satisfecit per opera humanitatis non vtcumque. Sed vt vnitæ Verbo. Sed humanitati vnitæ debita sunt auxilia, & habitus: ergo nõ satisfecit ex gratuitò acceptis. Resp. distinguendo minorẽ: est enim solùm vera de debito congruentiæ; non autẽ de debito iustitię: & ideò negatur cõsequentia. ¶ Obi. 2. gratia, & iustitia opponuntur: sed nõ est distinguibilis gratia propria à gratia rigorosa: ergo neq; iustitia propria à iustitia rigorosa. Sed in satisfactione Christi D. fuit propria iustitia: ergo & rigorosa. Resp. negando minorẽ: prima enim vocatio est pura, seu rigorosa gratia respectu illius, cui confertur: auxilia autẽ quæ ad respõdendũ conferũtur, sunt propria gratia; nõ verò rigorosa: cùm homini iam vocato, & respondere volenti sint debita (debito congruentiæ) auxilia necessaria ad responsionem. Præterea evectio parvuli ad statum supernaturalem per receptionẽ habituum fidei, spei, &c. quæ fit in baptismo, est pura, vel rigorosa gratia respectu illius: & tamen auxilia, quæ ei postea iam adulto conferuntur ad supernaturaliter operandum, sunt quidem gratia propriè; cùm illi non sint debita ex iustitia: non tamen sunt rigorosa gratia, seu vndequaque gratiosa: cùm debito congruentiæ sit debitum, quod homini elevato per habitus fidei, spei, & charitatis conferantur auxilia ad operandum in illo ordine.

 47 Obi.

47 Obi. 3. sequi ex nostra sententia satisfactionem Christi D. non esse perfectiorem excogitabilem: esset enim perfectior, si esset de toto rigore iustitiæ. Et cõsequentèr etsi in prædicatis essentialibus sit perfecta: tamen in esse individuali, seu integrali non habet omnem perfectionem, quam habet satisfactio rigorosa, seu de toto rigore iustitiæ. Resp. ita esse. Nec aliter potest evenire: cùm Deus per talem satisfactionẽ nequeat obligari secluso pacto, quod ipse Deus gratuitò posuit. ¶ Reliqua autem, quæ obijcit Castillo, non pugnant contra nos; sed contra illos, qui hanc nostram conclusionem defendunt ex alio fundamento, nempè quòd gratia in radice derogat perfectæ satisfactioni: cum ergo vnionẽ ad Verbum habuerit humanitas omninò gratis; dicunt non pauci satisfactionem Christi D. non potuisse esse de toto rigore iustitiæ. Ego autem consultò abstinui ab huius examine: & consequentèr omisi argumenta, quæ contra hoc fundamentum adducuntur.

DIFFICVLTAS III.

De satisfactione Christi D. cùm eius merito comparata.

PRo complemẽto eorum, quæ tàm de merito, quàm de satisfactione diximus in hoc capite, restat, diferentias inter vtrumque annotare.

DVBIVM I.

1 PEtes primò, differentias inter satisfactionẽ Christi D. & eius meritũ repertas? Resp. hoc pendere ex istorũ definitionibus. Quare istæ in memoriã sunt revocandę. Igitur suppono *ex diff. 1. à n. 1. quod meritũ est actus (vel omissio) liber, & honestus, cui debetur præmiũ.* Quas autẽ cõditiones ad meritũ requirantur, diximus ibidem. Item *ex diff. 2. à n. 1.* suppono, quòd *satisfactio est redditio voluntaria æquivalentis aliàs indebiti.* Quã definitionẽ latè explicuimus ibidẽ. ¶ Hinc patet prima differentia. Satisfactio enim dicit ordinem ad debitũ præcedens. Meritũ autẽ dicit ordinẽ ad præmiũ (regulariter) futurũ, seu nondum possessum. Secunda differẽtia est, quòd ad meritũ requiritur, & sufficit actus liber: (vel carentia, aut omissio) ad satisfactionẽ autẽ, prę ter actũ liberũ, quo volo solvere, requiritur materia apta ad solutionem debiti. Materia verò ista non est necessariũ, quòd sit voluntaria in se, sed sufficit, quòd voluntariè, seu liberè ponatur: vt patet in pecunijs, quib⁹ satisfacio pro furto; & in vulnere laterali Salvatoris: quod fuit materia satisfactionis pro peccato: vt dicebamus *diffic. 1. num. 28.* ¶ Tertia differentia est, quòd ex parte termini latiùs patet meritum, quàm satisfactio. Hæc enim solùm respicit debitum, & pœnas contra-

ctas

as per peccatum: meritū autem iam se extendit ad alia dona. Et e Christus D. non solùm meruit, obis deletionem peccati, & illius oenarum, aut effectuū; sed etiam eatitudinem, & alia dona colla a in via, quæ non sunt materia sa isfactionis. Insuper sibi aliquid neruit; & tamen pro se nullo mo lo satisfecit. Quare statutum est ipud omnes, quod quàvis eadem netactio Christi D. fuerit meri toria, & satisfactoria: tamen sub diversis respectibus subijt, has de nominationes.

2 Igitur Christus D. ratione suorum operū, quibus satisfecit, quatuor denominationes sibi acquisivit. Dicitur enim merens nostram iustificationē; satisfaciens pro nostris culpis; redimens nos, seu noster Redēptor; & mediator inter Deum, & homines. Restat, ergo declarare, sub quibus respectibus Christus D. gaudeat his titulis, & quæ sint differentiæ inter illos.

DVBIVM II.

3 PEtes secūdò, quare Christus D. dicatur merens nostram iustificationem, & glorificationē? Respond. hanc denominationem subijsse, eo quòd suis operibus obtinuit à Deo deletionem culpæ, & collationem gratiæ, aliorumquè donorum, quæ simul in iustificatione accipit homo, necnon, & collationem gloriæ.

DVBIVM III.

4 PEtes tertiò, quare Christus D. dicatur satisfaciens pro nostris peccatis? Respōd. hanc denominationem acquisivisse, eo quòd Patri (essentialiter sumpto: qua ratione supponit pro tota Trinitate) obtulit sua opera in compensationem debiti, quod nos per peccatum contraximus: quæ opera in passione, & morte consumata Deus acceptavit, iuxta promissionem factam per *Isaiam, cap. 53. num. 10. Si posuerit pro peccato animam suam videbit semen longævū.* Itaque supposita ista promissione, seu acceptatione antecedente, qua Christus D. cōstitutus est fideiussor pro homine, seu māsit obligatus ad solvendū pro illo; eo ipsò ac obtulit sua opera, factus est perfectè satisfaciēs, seu sibi satisfactoris denominationem acquisivit.

DVBIVM IIII.

5 PEtes quartò, quare Christus D. dicatur hominum Redemptor? Resp. hanc denominationem habere, eo quòd exhibuit Deo offenso (cuius pactione ipsemet Christus D. fuerat cōstitutus pro hominibus fideiussor) valorē æquivalentē, immo & superabundantem pro hominum offensis.

¶ Dices: si eramus sub potestate diaboli, & eius captiui; illi, & non Deo debebatur pretiū nostræ Redemptionis? Resp. negando: quia tyran-

tyrannicè detinebat nos, scilicèt ex eo quod fraudulentèr primos parentes seduxit. Resp. secundò negando: quia per peccatum Deo, & non diabolo intulimus iniuriã: & ideo soli Déo debuimus satisfacere. Dicimur autẽ diaboli captivi, quatenùs diabolus futurus est minister exequens in inferno pœnas pro peccatis debitas. Qualitèr offendens Regem dicitur esse sub carnificis potestate; quatenùs iste executurus est supplicium tali offensæ debitũ. ¶ Dices secundò, si Christus D. nos redemit, quomodò non salvamur omnes? Resp. quòd quamvis obtulit pretiũ superabundans pro omnibus quoad sufficientiam; quoad efficaciam tamen solùm pro prædestinatis illud obtulit. Legatur Scotus, *in 3. dist. 19. §. Quantum ad sufficientiã.*

DVBIVM V.

6 Petes quintò, an esse hominum Redemptorem non solũ conveniat Christo D. sed etiã toti Trinitati? Respond. *ex D. Th. quæst. 48. art. 5* sub distinctione. Si enim loquamur de redemptore remoto, seu mediato, etiã Deus, seu Trinitas est Redemptor. Cum enim fuerit author, seu causa, cuius decreto facta fuerit Incarnatio in carne passibili propter nostram redemptionem, verè fuit noster Redemptor remotus, seu mediatus. Sicut ignis dicitur calefacere; eo quòd producit calorẽ, qui proximè, & immediatè calefacit. Si autem loquamur de Redemptore proximo, & immediato, soli Christo D. cõvenit esse Redemptorẽ: ipse enim solus immediatè obtulit pretiũ nostræ redẽptionis.

DVBIVM VI.

7 Petes sextò, vtrùm esse hominũ Redemptorẽ possit convenire puræ creaturæ? Resp. affirmativè. (loquimur de potẽtia absoluta) Quia potuit pura creatura satisfacere pro peccatis totius generis humani: ergo & esse Redemptor illius. Patet cõsequẽtia: quia Christus D. fuit Redemptor noster satisfaciẽdo pro nobis. Antecedens autem constat, *ex cap. 1. diffic. 4. à num. 8.*

DVBIVM VII.

8 Petes septimò, quare Christus D. dicatur mediator inter Deum, & homines? Resp. hanc sibi acquisivisse denominationem; eo quod conciliavit Deum, & homines, seu illos, qui anteà dissidebant, fecit in vnum convenire. Cùm ergo in humanis (vnde vox *mediator* fuit desumpta) mediatorem vocemus eum, qui partes dessidentes facit in vnũ convenire: meritò Christus D. à scriptura, & Patribus vocatur mediator frequentissimè. Sufficiat illud *1. ad Timoth. 2 Vnus mediator Dei, & hominũ Christus Iesus.* ¶ In humanis autẽ quadruplicitèr potest quis dici, & esse mediator. Primò, quandò constituitur arbiter ad

ad componendū aliquā litem. Secundò, quando mittitur legatus. Tertiò, quādo precibus impetrat aliquid ab vno ex dissidentibus in ordine ad concordiam. Quartò, quando ipse soluit debitum alterius discordantiū, & sic fit reconciliatio.

9. Dico ergo Christum D. fuisse mediatorem omnibus his modis. Primò enim fuit cōstitutus iudex ad decidendum lites inter Deum, & homines: vt docet D. Ambrosius ad præcitata verba. *Vnus mediator, &c.* Secundò fuit Nuntius à Deo missus pro hominum recōciliatione pacta, & convenientias vtrimque afferens, & exercēs officiū proxenetæ: vt haud impropriè loquitur Vazquez *disp. 83. ca. 1. num. 4.* Et propterea *Malachiæ 3.* dicitur *Angelus* (id est Nuntius) *noui testamenti.* Tertiò *interpellat pro nobis, ad Rom. 8. num. 34.* Et demùm quartò, *redemptionem dedit se ipsum pro nobis 1. ad Timoth. 2. n. 6.* ¶ Vnde stat, nullū fuisse mediatorem inter Deū, & homines ea proprietate, & modis, quibus fuit Christus D. Quamvis enim Moyses *ad Galatas 3. n. 19.* necnō & sancti sæpè vocantur mediatores; quia orant, & intercedunt pro populo: non tamen tribuunt dignum pretium pro nostris peccatis; sicut tribuit Christus D. Insuper nullꝰ fuit cōstitutꝰ iudex arbiter.

10. Ex quibus constat differētia inter mediatorē ex vna parte, & inter satisfacientē, merentem, & redemptorē ex alia. Non enim est necessariū, quòd merēs Redemptor, aut satisfaciens sit mediator omnibꝰ quatuor modis enumeratis. Quia quāvis quis nō fuerit cōstitutus iudex arbiter, potest esse merens, satisfaciēs, aut Redemptor. Idē poterat contingere, quāvis ab aliqua ex partibus nō fuisset missus. Item quāvis suis orationibus non interpellasset pro aliqua parte. Et demū quāvis non daret semetipsum in morrē, & redēptionem, vt scrutanti constabit.

DVBIVM VIII.

11. PEtes octauò (incidētèr) secundū quam naturā exerceat prædicta officia Christus D. Resp. prædicta officia competere Christo D. secundū vtrāq; naturā, ita vt hæc munera exerceat vnus, & idē, qui est Deus, & homo: cum hac tamen differētia, quòd substātia actionis, vel passionis; quibus mediantibus exerceantur hæc officia, proueniat à natura humana; dignitas autē moralis, aut valor à natura, seu supposito. (secundùm diuersas sententias) Ita Scholastici, *cū Magistro in 3. dist. 18. & 19. estque recepta inter Patres, quos citāt recētiores, præsertim Lorca disp. 77. n. 1.* Et ratio est, quòd Christꝰ D. non potuit esse Redēptor, mediator, &c. Secundùm naturā diuinam præcisè. Primò, quia secūdùm istam non potuit mereri. Secundò, quia iam non requireretur realis distinctio inter mediatorē, & illū, inter quē mediat; inter merentem, & illū, apud quem mere-

tur;

tur; inter satisfacientem, & illum, apud quē fit satisfactio; inter Redemptorem, & illum, cui solvitur pretium captiui. ¶ Insuper Christus D. non potuit esse Redemptor, satisfaciens, &c. secundū naturam humanam præcisè. Quia opera naturæ humanæ præcisè consideratæ nō habent valorē sufficientem ad merēdum, seu satisfaciēdum pro omnibus. ¶ Et demum Christus D. nō potuit exercere prædicta officia secundùm quòd Deus & homo est, referendo actiones partialitèr ad vtrãque naturam, seu ad naturā humanā, & suppositū divinum, tamquā ad duo agentia in suo ordine cōpleta, & diuersa, à quorū altero proveniat substātia actionis, & ab alio officia Redemptoris, mediatoris, &c. Hoc enim sapit errorē Nestorij constituentis in Christo D. duo supposita accidentaliter vnita.

12 Vnde refutatus manet duplex error notatus à Belarmino, *lib. 5. de Christo cap. 2. & 3. & post ipsum ab alijs Recentioribus*. Prim⁹ fuit Francisci Stancari affirmãtis, ChristumD. secundùm naturã humanam præcisè exercuisse prędicta munera Redemptoris, &c. Secundus fuit Calvini, &c. Qui substantiam actionis tribuunt naturæ humanæ precisè; efficaciam autē naturæ diuinæ, nō quidem in sensu Theologorum, (quem ipsi impugnant ex professo) & ita vt natura humana sit radix vnius; divina autem, seu suppositū sit radix alterius: sed quia existimant, hæc duo duabus actionibus esse consideranda, & ita esse propria singularum naturarum, vt quælibet suã partem exerceat completè, & vt *quod* sine dependentia alterius.

DVBIVM IX.

13 PEtes nonò, quomodo sint formandæ propositiones his nominib⁹, *Redēptor, satisfaciēs, merens, & mediator*? Respōd. quòd *cùm ab eo, quod res est, vel non est, propositio sit vera, vel falsa*; Et diximus, ad munera Redemptoris, mediatoris, &c. fuisse necessariã in Christo D naturam humanam, tamquam principium elicitiuum substantiæ actionis, aut passionis; necnon & naturã, aut suppositum divinum (secundùm diversas sententias) tamquã principium significativum actionis, vel passionis: hinc est, nullam propositionem, in qua excludatur alterum istorum, esse veram. Quare falsæ sunt istæ: (& similes) *Christus D. est Redemptor, Mediator, &c. secundùm naturam humanam tantū, Christus D. est Redemptor, Mediator, &c. secundùm naturam, aut suppositum divinum tantū*. Item sunt falsæ propositiones, quibus significaretur, naturam, aut suppositum divinū elicuisse opera Redemptionis, satisfactionis, &c. Quare ista mihi suspecta foret: *Christus D. in quantùm Deus, est Redemptor, Mediator, &c.* (Non est sermo de Redemptore mediato, & remoto: de quo dixi, *num. 6.*) Insuper falsæ sunt propositiones, quibus signi-

fica-

atur, naturam humanam dig-
icasse opera, aut passiones, qui-
s Christus D. satisfecit. Et om-
am est illa ratio iam tacta, nem-
quòd *ab eo, quod res est, vel non*
, propositio dicitur vera, vel falsa:
aliàs opera nostræ Redemptio-
s fiat elicitivè à natura humana;
dignificativè à natura divina,
it ab eius supposito, quod est se-
unda Trinitatis persona: prædi-
æ propositiones sunt falsæ: quia
illis hoc nō significatur, sed op-
ositum.

14 Imò addo, in hac materia
semper esse attendendū ad Theo-
logorum acceptionem, & vsum
Patrum. Quare concedenda est
ta propositio: *Christus D. in quan-*
tùm homo satisfecit; fuit Redemp-
tor, &c. non autem ista, *Christus D.*
in quantùm Deus est Redemptor; me-
diator, &c. Quia in hac mate-
ia ly *in quantùm* (idem est de alia
imili restrictione) secundū Theo-
logorum acceptionem, & vsum
quidquid sit de rigore gramma-
ico, logico, aut metaphysico)
solū declarat, quòd natura sit prin-
cipium elicitivum actionis, vel re-
ceptivum passionis, quibus fit sa-
tisfactio, non excludendo princi-
pium dignificativū subiecti ope-
rantis, vel patientis. In quo sensu
sunt accipiendi Patres qui tribuūt
redemptionem Christo D. vt ho-
mo est, nulla facta mentione
naturæ divinæ, aut sup-
positi Verbi.

CAPVT X.

De Potentia Christi D.

EGIMVS de merito Chri-
sti D. capite præcedenti.
Cùm autem Christus D.
meruerit suis operibus, videndum
succedit, quantū se extendat acti-
va potentia, seu principium effe-
ctivū operationū illius. ¶ Et sup-
pono, quod triplex potentia repe-
ritur in Christo D. Prima est po-
tentia divina, quæ ei competit,
quatenùs Deus est: quæ commu-
nis est toti Trinitati; & propriè di-
citur omnipotentia. Secunda est
potentia humana: quæ ei compe-
tit, quatenus est homo: atq; adeò
communis est omnibus homini-
bus. Tertia est potentia superna-
turalis; quæ est humanitati con-
cessa ad Patrandū miracula. Qua-
re hoc caput in tres difficultates
dissecabo.

DIFFICVLTAS I.

De spectantibus ad potentiam, quæ convenit Christo D. quatenùs Deus est.

NVlli Catholicorum est dubiū,
Christum D. quatenùs Deus
est, esse omnipotentem. Sicuti e-
nim

nim est certum, per vnionem ad naturam humanam Verbum divinum non destitisse esse Deum, est certum non destitisse esse sapientē, omnipotentē, &c. Disputant tamen hic an quatenùs homo fuerit Christus D. omnipotens?

DVBIVM I.

1 PEtes primò, an Christus D. in quantùm homo fuerit omnipotens omnipotentia increata? Respondetur negativè. Quia quamvis Christi D. humanitas fuerit omnipotentiæ vnita (sicut & Deitati, & alijs attributis) illam tamen non habuit, tamquā subiectum ipsius omnipotentiæ, (sicut neque Deitatem, aut alia attributa) quod erat necessarium, vt esset omnipotens: etenim denominatio omnipotentis tantùm potest provenire ab omnipotentia habita, vt forma; aut per identitatē: sicut & denominatio Dei tantùm est à Deitate habita vt forma, aut per identitatem. Ita *Scotus in 3 dist. 16. quæst. 2 §. Ad primum principale, vers. Ad aliud cùm Magistro, D. Th. D. Bonau. Gab. Palud. & multis alijs, quos communiter citant, & secuntur Recentiores. Estque Catholicorum conuenientia, teste G. Hurtado disp. 9. diffi. 1.*

2 Sed aliqui hæretici Recentiores (sicut ex Valentia refert Hurtad. ibi) affirmant humanitatem Christi D. habuisse omnipotentiam simpliciter, seu fuisse simpliciter omnipotentem. Et obijciunt illud Matth. vltimo, *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.* Respondetur ly *omnis potestas* non significare omnipotentiam, sed potestatem excellentiæ ad merendum iustificationem hominum, & satisfaciendum pro illorum peccatis. Quæ potestas data quidem est Christo D. in instanti conceptionis; tamen post resurrectionem dicitur specialitèr collata, hoc est, manifestata; eo quòd post passionem fuerant consumata illius merita. ¶ Obi. 2. Glossam in caput 1. Lucæ, & D. Ambrosium dicentes: *potentiam, quam Deus filius naturaliter habuit, homo ex tempore erat accepturus.* Respondetur loqui de humanitate, non in abstracto, sed de homine in concreto; (vt patet) cui per communicationem idiomatum concedimus convenire omnipotentiam, & posse vocari simpliciter omnipotentem: sicut àbsolutè, & simpliciter homo vocatur Deus. ¶ Alij autem dicunt, nomine omnipotentiæ ibi intelligi virtutem instrumentalem ad miracula, & ad alia opera propria omnipotentiæ. ¶ Obi. 3. quod humanitas illa à Deitate quasi à forma efficitur sancta: ergo ab omnipotentia efficitur omnipotens. Respōdetur negando antecedens propter dicta *cap. 7. diffic. 1. à num. 2.* Imò Thomistæ illi, qui affirmant, humanitatem sanctificari Deitate, vel personalitate, vel sanctitate Dei, (iuxta diversas sententias)

gant consequentiam : quia ad ectum sanctitatis non requiri-t, quod id, per quod humanitas nctificatur, sit forma illius, (si-t requiritur ad effectum deifi-ndi, faciendi omnipotentem, pientem, &c.) sed sufficit, quòd sit substantialitèr vnitum, & as-tens. Si enim humanitas hoc ha-et, non poterit (inquiunt) non se grata Deo : quod sufficit, vt t sancta.

DVBIVM II.

3 PEtes secundò, vtrùm Christus D. in quantùm homo, uerit omnipotens omnipotentia creata ? Respondetur negativè. Quia nulla est omnipotentia creata : est enim de ratione omnipotentiæ esse increatam, & independentem. Ita Authores *num.* 1. *citati.*

4 Sed contra hoc posset excogitari, Christū D. in quantùm homo est, fuisse omnipotentem non quidem attributo omnipotentiæ divinæ; sed alia omnipotentia per participationem. Sicut dicunt Theologi gloriam nostram mensurari æternitate non per essentiam, (quæ est propria mensura Dei) sed per participationem. Pro quo modo philosophandi posset obijci contra nostram conclusionem. Non apparet contradictio in hoc, quòd humanitati Christi D. communicetur virtus creata ad producendum omne possibile. Respondetur negādo: quia virtus illa esset creata, & factibilis: (vt supponitur) & consequentèr dependens à se ipsa : quod non capitur. ¶ Contra : non pugnat humanitati Christi D. communicari scientiam creatam, qua cognoscat omnia, quæ Deus cognoscit: vt diximus *cap.* 8. *diffi.* 1. *à num.* 22. ergo neque quòd ei communicetur virtus creata, qua posset efficere omnia, ad quæ se extendit omnipotentia Dei. Respond. negando consequentiā: & disparitatis ratio est, quod cognitio alicuius obiecti non supponit necessariò virtutem in cognoscente ad producendum illud: & ideò ex eo quòd Christus D. cognoscat omnia, quæ Deus cognoscit, non infertur aliquod incommodum. Ex eo autem, quod habeat virtutem ad producendum aliquid, infertur, quòd producens contineat virtualiter illud, & modum producendi illud. Quare ex eo quod Christus D. habeat virtutem ad producendum omnia possibilia, infertur, eum habere infinitā virtutem. (quod repugnat creaturæ) Tùm, quia possibilia sunt infinita. Tùm, quia modus producendi aliqua illorum (scilicèt per creationem) supponit necessariò infinitam virtutem productivam. De quo Scotus *in* 4. *distinctione* 1.

DIF-

DIFFICVLTAS II.

De spectantibus ad potentiam, quæ conuenit Christo D. quatenùs homo est.

NVlli Catholicorum est dubiū, Christo D. quatenùs homo est, convenire omnes, & singulas potentias, quæ conveniunt cæteris hominibus, aut sunt illis communes: vt sunt potentia intellectiva, memorativa, volitiva, locomotiva, nutritiva, &c. Cùm enim sit verus homo; & aliàs prædictæ potentiæ non involvant aliquam imperfectionem, sine aliquo fundamento ei negaretur aliqua ex prædictis potentijs. Restat tamen examinandum.

DVBIVM VNICVM.

1 PEtes, an humanitas Christi D. ex vnione ad Verbum evaserit potentior, quàm esset in proprio suposito. Respondetur negativè. Quia principium agendi est natura, & eius potentiæ; subsistentia autem, & personalitas solùm est conditio ad operandum requisita, tamquàm sustentaculū naturæ. Sed nullum principium operativum recipit à conditione necessariò petita ad operandum maiorem virtutem, quàm in se habet: ergo humanitas Christi D. ex vnione ad verbum non evasit potentior ad operandum. Minor constat inductione; in approximatione ignis; in existentia, &c. Secundò, quia humanitas, & eius potentiæ ex vnione ad Verbum non sunt intrinsicè mutatæ quòad virtutem operandi: ergo eius potentiæ physicæ, & naturales non evaserunt physicè potentiores, quàm essent si proprio supposito sustentarentur. Ita communissima sententia, quā pluribi innuit Scotus.

2 Sed Ricardus *in 3. dist. 14. art. 5.* oppositum defendit; & obijcit: operatio non solùm provenit à natura, sed etiam ab existentia naturæ: (provenit enim ab ente in actu) sed humanitas Christi D. existit existentia Verbi: ergo eius operatio perfectior evadit. Respōdetur negando minorem ex dictis *cap. 4. diffic. 1. num. 3.* existentia enim realiter est indistincta ab essentia, quæ est principium operandi. Si tamen existentia realiter distingueretur ab essentia, tunc mensura virtutis, & efficacitatis ad operandum non desumeretur ab existentia, sed tantùm ab essentia. Sicut de facto non à subsistentia, quæ realiter distinguitur ab essentia: quæ semper & in omni eventu debet esse principium operativum, seu elicitivum operationum.

DIF-

DIFFICVLTAS III.

De spectantibus ad potentiam, quam ad patrandum miracula habuit Christus D.

DVBIVM I.

1 PEtes primò, quid sit miraculum? Resp. esse opus præter communem ordinem rerum factum, quod excedit omnem virtutem causarum naturalium. (& ideò divina virtute fit) ¶ Notat autem D. Thom. (communitèr receptus) *3. p. q. 48. art. 3.* miraculum dupliciter posse excedere virtutem naturalem. Primò in substãtia actionis: vt resuscitatio mortui; quæ à tota simul congerie rerum naturalium fieri non potest. Secundò, in modo qualitèr restitutio visus est opus miraculosum: quia quamvis virtute causarum naturalium possit dari, seu restitui facultas visiva, sed non tanta facilitate, & celeritate.

DVBIVM II.

2 PEtes secundò, an Christus Domin⁹ aliqua vera miracula patraverit? Respondetur affirmativè. Quia suscitatio mortui est verum miraculũ, seu actio exuperans omnem virtutem causarum naturalium. Item restitutio visus repente facta, est actio verè miraculosa: cum in modo exuperet omnem virtutem causarum naturalium: Sed Christus D. mortuos suscitavit vt patet de Lazaro *Ioan. 11. n. 43.* & de filio viduæ *Luc. 7. num. 15.* Item cæco à nativitate dedit visum *Ioan. 9. n. 6.* ergo fecit vera miracula. ¶ Dices, quod Magi in Ægipto fecerunt multa opera admiratione digna, & quæ miraculorum speciem gerebant: vnde ergo constabit, hæc opera Christi D. fuisse vera miracula, & non potiùs opera mirabilia arte magica patrata? Vt enim refert noster Michael de Medina *lib. 2. de Recta in Deum fide cap. 7.* fuerunt infideles, qui negarunt, opera Christi D. fuisse vera miracula: & consequẽtèr divina virtute patrata. Respõdetur Catholicos facilè convinci, prædictas Lazari, & filij viduæ resurrectiones fuisse veras, & nõ apparentes: cùm in cõtextu dicatur, illos fuisse mortuos. De Lazaro enim ibi dicitur: *statim prodijt, qui fuerat mortuus.* Et de filio viduæ: *& resedit, qui erat mortuus.* Gentiles autem negantes Scripturas nõ facilè convincemus positivè; benè tamen negativè, hoc est, possumus solvere omnia sophismata, quæ contra veritatem horum miraculorum nobis objiciant: vt in simili dicitur de demonstratione veritatis mysteriorum nostræ fidei in diversis tractatibus: præsertim legatur Felix *in 1. princip. tract. de Trinit. cap. 2. diff. 2. n. 4.*

3 Ex nostra conclusione rejicitur stulta illa Iudæorum calumnia, qui dæmonis virtuti tribuebant

bant insigne miraculum curationis muti, surdi, & dæmoniaci. Quam calumniam ipsemet Christus Dominus reiecit *Lucæ 11. & Matth. 12.* ¶ Reijcitur etiam stulta quorumdam infidelium demētia, qui miraculosa Christi Domini opera reducebant ad naturalem virtutem corporis, & animæ dicentes, corpus mixtum ad pondus æquale elementorum habere virtutem ad patrandum mirabilia. ¶ Sed contra istos (præter nostrū fundamentum) militat, esse difficile creditu, posse corpus propter tale temperamentum immutare externa subiecta. ¶ Avicenna autem fortè eodem modo philosopharetur dicendo, opera Christi Domini non fuisse vera miracula; sed quædam opera mirabilia orta ex vehementi imaginatione: isti enim magnam vim ad immutandum se, & alia, præsertim in quadam dispositione tribuit in *4. sexti naturalium cap. 6.* Tamen hoc facilè, sicut præcedens impugnatur. ¶ Postremò reijcitur id, quod refert Ricardus in *3. d. 14. art. vlt. q. 3.* nempè fuisse aliquorū opinionem, qui dicebant, animam Christi D. & cuiuscumque Beati propter excellentiam Beatitudinis vim habere transmutandi hanc naturā inferiorem corporeā. Tamen hoc caret fundamento: quia status Beatitudinis dat quidem robur ad movendum corpora; non tamen ad ea substantialiter transmutanda. Videantur Recentiores, *præsertim Lorca disp. 53. à n. 2. & Vazq. disp. 57. c. 3.*

DVBIVM III.

4 PEtes tertiò, an Christus D. fecerit miracula virtute divina? An facultate humana? Respondent communiter, quod virtute divina, vt causa principali, concursu tamen humanitatis, vt divinitatis instrumenti. Primum docent innumeri Patres, dum miraculosa opera Christi D. soli divinitati attribuunt. Secundam autē partem etiam tradunt multi Patres, dum humanitatem vocant organum, & instrumentum divinitatis in his operibus. *Sic Damasc. 3. de fide c. 15. Theodoretus, & Eusebius. Huc etiam spectat Cyrillus lib. 4. in Ioannem c. 14.* dicens, *Christum Dominum aliquando adhibuisse contactum suæ manus in miraculum, vt ostēderet, carnem suam esse operatricem.* ¶ Notat benè G. Hurt. *disp. 9. diff. 3,* potestatem ad patrādum miracula fuisse quidem in Christo Domino per modum habitus; non tamen consistere in aliquo habitu, seu qualitate; sed in eo quòd omnipotentia ita addicta erat humanæ voluntati Christi D. ad efficiendum miracula, quādo ipse volebat, vt videretur eius humanæ voluntati esse subordinata.

DV-

DVBIVM IIII.

PEtes quartò, quando hæc potestas fuerit data Christi Domini humanitati? Respondetur, quòd in instanti suæ conceptionis. Quia hoc extollit eius excellentiam, & dignitatē. Ita Suar. *d.31. sect.2. & Felix c.18. diff. 2.*

DVBIVM V.

PEtes quintò, quando cœperit exercitium huius potestatis? Respondetur, cum D. Chrysost. *hom. 16. in Ioannem* miracula patrata in natiuitate Christi Domini fuisse facta virtute humanitatis. Immo addo, miracula quæcumque antecedentia ipsam natiuitatem (qualis fuit exultatio Baptistæ in ventre matris) fuisse etiam facta eadem virtute. Quia hoc cōmendat excellentiam Christi Domini. ¶ Contra, quòd *Ioan. 2.* conversio aquæ in vinum in Cana dicitur initium miraculorum Christi D. Resp. dici primum non absolutè, sed in ordine ad animum, & intentionem manifestandi gloriam suam coram discipulis, & vt sic confirmaret in sua doctrina: propterea dixit Evangelista ibi: *Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galileæ, & manifestavit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius.* Itaque hoc animo manifestandi gloriam suam, atque edocendi discipulos suos nullum aliud ante prius Christus Domin⁹. Cùm quo benè stat, quod absolutè præcesserint alia. ¶ Contra 2. quòd à Gelasio Papa damnatur libellus inscriptus *de Infantia Saluatoris*, in quo multa miracula Christi D. narrantur. Resp. no esse ad rem. Nos enim non approbamus hæc, vel illa miracula. Sed dicimus, omnia facta in infantia, aut quacumque ætate fuisse facta virtute humanitatis, tanquam causa instrumentali; sicque fuisse facta quotquot in natiuitate Salvatoris facta fuisse, narrat historia Evangelica, necnō & Ioannis exultationem in vtero matris.

DVBIVM VI.

7 PEtes 6. quando cessaverit exercitium potestatis miraculosæ Christi D.? Resp. non cessasse in morte; sed etiam eam exercuisse extrahēdo animas à limbo Patrū. ¶ Addo cum Felix *c.18. diff.2.* esse satis probabile, quod virtute humanitatis Christi D. facienda est vniuersalis resurrectio mortuorū. Quia hoc commendat illius excellentiam, & dignitatem extollit.

DVBIVM VII.

8 PEtes 7. potuit ne evidenter cognosci miracula Christi D. esse vera miracula? Respondetur negativè loquendo de hominibus viatoribus. Quia nō cognoscimus res in se ipsis seu secundùm suas entitates: atque adeò non cognoscim⁹ certitudine metaphysica, sed prudentiali, quòd opera mirabilia Christi D. non sunt patrata arte

magica: ficut fuerunt patrata illa miraoilia Ægiptiorum. Recolantur dicta *num.* 2. ¶ Si autem loquamur de hominibus Beatis, de Angelis tàm Beatis, quàm damnatis, atque de animabus separatis, dicendum est, potuisse evidenter cognosci. Quia cognoscunt res secundùm suas entitates: & consequentèr cognoscunt, resurrectionem Lazari v. g. non esse phantasticam, sed veram. ¶ Dices, quòd *Hieronymus Chrysostomus, & Beda, quos citat, & sequitur D. Thom.* 3. *p. q* 44 *art.* 1. existimant, dœmonē, non scientificè, sed ex suspicione tantùm cognovisse Christum D. esse filium Dei: ergo etiam solum ex suspicione cognoverunt, illius miracula esse vera. Respondetur negando consequentiam: verum enim miraculum non solùm à vero Deo, sed ab homine puro iusto, immo, & à peccatore potest fieri, dummodo Deus illi applicet suam omnipotentiam. Quare etsi alias dœmon non omnimoda certitudine, sed solùm suspicione cognosceret divinitatē Christi D. potuit evidēter cognoscere resurrectionem Lazari v. g. esse veram, & nō phantasticam: & consequentèr virtute divina, & supernaturali factam. Præterea *Naziang. Irin. & Ambros.* apertè docent, dœmonē omninò certò cognouisse divinitatē Christi D. seu esse verum filiū Dei. Quos si sequi voluerimus, nulla est consequētia. Quomodo autem hoc Patrū dissidiū facile cōponi possit dixi *in tract. de Angelis c.* 4. *diff.* 4. *n* 83. ¶ Resp. 2. cōcedendo consequentiā. Quia nos solùm dicimus potuisse dœmonē cognoscere evidenter miracula Christi D. esse vera, & non phantastica. Cùm quo benè stat, quod impeditus à divina providētia, ne impediretur mors Christi D. de facto id non cognoverit. Hac ratione concedimus Scotistæ, Angelū tàm bonū, quàm malum suis viribus relictum posse cognoscere secreta cordium; etsi de facto illa nō cognoscat propter specialem Dei providentiam. Recolantur à nobis dicta in prædicto tract. *de Angelis c.* 4. *diff.* 4. *à n.* 17. *& rursus n.* 80.

DVBIVM VIII.

9 PEtes 8. an virtus instrumētalis humanitatis Christi D. ad opera miraculosa sit tantùm moralis? Resp. affirmativè. Quia ista sufficit; reddit rem intelligibilem; atque evitat positionem alicuius physicæ entitatis sine necessitate. Ita Scotistæ cōmuniter, eo quòd clarè colligatur ex Scoto *in* 4. *d.* 1. *q.* 5. *& dist.* 2. *q.* 1 §. *Ex his duabus, vers. Et secundum hoc. Ex alijs tenēt hanc conclusionem Vazq. Becan. Ragusa, G. Hurt. & alij, quos citāt, & secuntur Castillo disp.* 16. *q.* 2. *n.* 5. *& Fel. c.* 18. *diff.* 2.

10 Vocant instrumentū physicū, quòd physico, & reali influxu operatur effectum, motū tamē à causa principali; vt est serra respectu scissionis; calamus respectu litteræ, &c. Morale autem instrumentum est, quòd operatur effe-

effectum excitando alium, vt illum physicè operetur; atque adeò remotè tantùm, seu mediatè attingit effectum, scilicet mediante causa physica principali, quam attrahit, seu moraliter movet, vt operetur physicè effectum. Id generis sunt meritum respectu præmij, consilium, aut oratio respectu mortis v. g. &c. Distinguunt aliqui causam moralem in principalem, & instrumentalem in hoc, quòd principalis est, quæ per se ipsam, aut virtute propria suadet. instrumentalis vero est, quæ suadet non per se ipsam, aut non virtute propria, sed virtute alterius causæ moralis sibi communicata, seu ab alio sibi deriuata. Quare vocant causam moralem principalem illum, qui consulit homicidiũ v. g. orat, vt fiat aut ad illud faciendum suadet; huius autem nunciũ, aut litteram vocant causam instrumentalem moralem. Istorum autem doctrina etsi mihi non displiceat, non tamen in præsenti est necessaria. Solùm enim statuimus, in humanitate Christi D. non esse ponendam aliquam entitatẽ physicam, neque concursum physicũ respectu miraculorum, quæ patravit, aut patraturus est aliquando; sed ad hoc sufficere, quòd applicet sua merita, precationem, aut voluntatem, qua vult, vt diuina omnipotentia hic & nunc resuscitet Lazarum v. g. sivè per istam applicationem, aut impetrationem humanitas illa sanctissima vocetur, aut constituatur causa moralis principalis, aut instrumentalis. Quomodolibet enim sit, & appelletur, subsistit nostra conclusio, & eius fundamentum, nempe, quod ista causalitas sufficit, reddit rem intelligibilem; atque evitat positionem alicuius physicæ entitatis, non necessariæ.

11 Pro plena autem intelligẽtia nota, quòd causa moralis est vera causa: meritum enim verè causat præmium: consulens homicidium v. g. in communi acceptatione verè causat occisionẽ, quãvis remotè: qua ratione verè, & philosophicè causat causa finalis, nempè movendo efficiens, vt ponat media ad eius consequutionẽ necessaria. Quare sine aliqua impropriatate salvat nostra sententia concilia, & Patres, dum dicunt, humanitatem Christi D. esse causam miraculorum.

12 Sed humanitatem Christi D. fuisse instrumentum physicum miraculorũ defendunt *Caiet. Medina, Silvius, Alvarez, & Suar. citati à prædictis Castillo, & Fel. & ex parte tenet Lorca disp. 53. n. 10.* Et obijciunt aliquas authoritates Scripturæ, quibus videtur significari aliquam physicam virtutem in humanitate Christi D. existere, à qua miracula dicuntur dimanasse; atque adeò physicè concurrisse ad patrationem illorum. Id generis sunt illud *Lucæ 6. n. 19. Virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Respondetur nomine virtutis intelligi, non aliquam physicam causalitatem, aut influxum, sed ipsum,

met miraculum; iuxta Scripturæ phrasim *Matth.*6 *& Luc.*10. *Si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes*, hoc est miracula. Et quamvis ly *fluxus*, seu *exitus* videatur significare causalitatem physicam, cōgruè tamē potest explicari de morali: cùm enim à merito, oratione, aut petitione Christi D. motus fuerit Deus ad patrandū illud miraculum tamquam causa physica principalis; aptè dicitur, à Christo D. exijsse, seu fluxisse miraculum. Sicut à salute apprehensa, & volita, seu à desiderio salutis ortū duxit positio mediorum, & cōsecutio ipsius salutis. ¶ Resp. secundò cum Becano *cap.*10.*n.*10. & alijs, quòd cum Christus D. dicit, virtutem de se exivisse, nihil aliud significat, quàm effectum aliquem egressum esse à sua divinitate, quatenùs erat coniuncta cum humanitate. Neque opus est recurrere ad virtutē aliquam instrumentalē. Immo quotiescumque Scriptura loquitur de Christo D. faciente miracula, vel remittēte peccata, semper loquitur de illo secundùm divinitatem; atque adeò tamquam de causa principali.

13 Obi 2. auctoritates, quibus Christus D. dicitur brachium Dei. Sufficiat illud *Lucæ* 1.*n.* 51. *Fecit potentiam in brachio suo*: ergo per eius humanitatem tamquam per instrumentum physicum Deus faciebat miracula. Respondetur negando consequentiam, seu causalem: solum enim ibi significatur, Deū visum fuisse humanitate Christi D. tāquam brachio forti ad debellandū dœmonem, & ad liberādum genus humanum à captivitate peccati. Quod potius connotat virtutem moralē, scilicet meritoriam, seu satisfactoriam, qua Christus D. redemit genus humanum, quàm aliquam virtutē physicam existentem in humanitate ad patrandum miracula. ¶ Obi. etiam Concilium Ephesinum *can.* 11. vbi definit, carnem Christi D. propter vnionem ad Verbū fuisse vivificatricem, hoc est, habuisse aliquam vim sibi communicatam, qua posset vitā efficere. Resp. solū intendere contra Nestorium definire, carnē illam esse carnem divini Verbi vivificantis, & non puri hominis: & ideò posse vocari carnem vivificatricem. Vnde non infertur, ipsi fuisse cōmunicatam aliquam virtutem physicā, seu qualitatem ad patrandum miracula.

14 Obi. 3. quòd Christus D. non orando seu deprecando, sed imperando faciebat miracula: & adhibebat vocem *Ioan.* 11. *Lazare veni foras*: vel contactum manus; vt quando sanavit socrum Simonis; & alia huiusmodi, quæ denotant physicè illa causare. Resp. ita esse: quia intelligendū est de causa principali, seu de Christo D. operante secundùm divinitatem, vt coniūctam cum humanitate: vt *n.*12. notabamus cum Becano. ¶ Si tamen cum multis alijs velis id intelligere de Christo D. secundū humanitatem, dices, ex nullo istorum colligi, humanitatem physicè instru-

mentaliter causare miracula. Nō, inquam, ex imperio: nam Iosue imperio detinuit solem: & Petrus imperio Annaniam, & Saphiram interfecit: & tamen secundùm D. Thom. 2.2. *q.* 178. *art.* 1. fuerunt causæ morales: & meritò: sicut enim deprecatio est causa moralis, ita, & imperium: quòd enim deprecatione facimus per amicos; id imperio facimus per servos. ¶ Neque ex contactu manus, aut ex voce (præcipuè ad mortuum suscitandū) colligitur causalitas physica, sed tantùm colligitur, Deū decreuisse, quòd ad illa miracula precederent illa signa; sicut decreverat, alia multa sine illis patrare motus excellentia, & dignitate humanitatis sibi substantialiter vnitæ.

15 Obi. 4. possibile est, humanitatem physicè instrumentalitèr causare miracula. Sed iste fluxus physicus extollit excellentiam, & dignitatem Christi D. ergo est illi concedendus. Respondetur negādo maiorem. Cùm enim miraculum fiat per applicationem diuinę omnipotentiæ ad hic, & nunc operandum illud, quod vires agentiū naturalium non possūnt efficere: nō apparet quomodo humanitas, aut aliqua creatura possit esse causa instrumentalis miraculorum. Quia nec potest physicè instrumētaliter applicare omnipotentiam ad illud opus: nec cum ipsa applicata concurrere ad resurrectionē mortui v. g. Dicant enim nobis adversarij, quomodo humanitas Christi Domini physicè concurrat ad adducendum animam Lazari ab illo loco, in quo detinebatur, & ad reuniendum illam cum eius corpore. ¶ Hinc est, quòd ægrè satis explicant adversarij hanc physicam virtutem, aut influxum humanitatis Christi Domini respectu miraculorum: ægrè (inquam) non solum in principijs Scoti: secundùm quem, etsi possint dari instrumenta, quæ agant per virtutem propriam; nullum tamen potest dari, quòd habeat actionem sibi propriam, sed semper debet agere motum à causa principali. Sivè illa actio sit prævia ad inductionem formæ principalitèr intentæ; (qua ratione serra v g. dicitur efficere Cathedram, quatenùs media scissione disponit lignum) siue sit inductiua talis formæ: qua ratione sigillum inducit sigillationē à sigillatore intentam; & instrumētum monetarij inducit formam monetariam, seu à monetario intentam. De quo videatur Scotus *in 4. d. 1. quæst. 1. §. Sed ista vers. Quod etiam additur, & §. Ad quæstionem à vers. Si autem contra, & §. Ideo dici, vers. Dico etiam & q. 4. & d. 6. q. 5. §. Ad istam quæstionem à vers. Ad primum dico, & alibi.* Itaque aduersarij ægrè id explicāt non solùm secundùm hæc principia Scoti, sed etiam in principijs Thomistarū, qui confundunt aliquando causā dispositivā cū instrumentali, & fatentur, instrumentū posse habere actionem propriam.

16 Sed age videamus, quomodo explicent adversarij, humanitatem

tatem Christi D. physicè instrumẽtaliter concurrere ad miracula. Igitur communitèr Authores oppositæ sententiæ dicunt humanitatem Christi D. elevari à Deo, vt sit causa physica instrumentalis miraculorum. Discordant tamen in explicando modum huius elevationis. Nam Capreolus *super quæst. 12. D. Thom. q. 1. art. 3. ad argumenta contra 4 conclusionem, Palud. Ferrara, & aliqui alij* dicunt, hanc elevationem fuisse factã per quandam qualitatem citò transeuntẽ: quam aliqui vocant quasi intentionalem; quia se habet, sicut species impressã. ¶ Sed contra hoc militat, quòd difficile est ponere hanc qualitatem, quæ sine alteratione & in instanti ad nutum voluntatis Christi D. attingere possit miracula: cùm hoc non habeant gratia sanctificans, visio, aut fruitio Beata, aut vnio hypostatica: quæ sunt entitates perfectiores quacumquè alia qualitate.

17 Caietanus *ad quæstionem 12. D. Thom. art. 2. Valencia & Mõtesinos* dicunt hanc elevationẽ fieri, non per qualitatem, sed per motum virtuosum impressum in humanitate Christi D. ¶ Sed contra: quod nullus motus est principium physicè operativum. Secundò, quòd motus alterativus, cùm sit fieri rei, aut ipsum committetur, solùm recipitur vbi recipitur res facta: Sed sanitas v. g. recipiebatur in infirmo sanato, & non in Christo D. ergo in illo nullus motus recipiebatur, ratione cuius humanitas esset instrumentum physicum miraculorum. ¶ Rursus ipse *Caiet. & Ferrara* dicunt, prædictam elevationem fieri per hoc solum quòd aliquid elevetur à Deo, vt instrumentum ad aliquem effectum; & ad illum habeat Deus paratum suum concursum. ¶ Sed contra, quòd hæc præparatio cõcursus supponit in instrumento virtutem ad operationem; atque adeo erit causa principalis. Præterea, rem esse à Deo ordinatam ad aliquem effectum solum est denominatio extrinseca: quæ nihil physicum ponit in re.

18 Alij denium secuti Suarez *disp. 31.* dicunt, in qualibet re, etsi non sit activa (vt materia prima, quantitas, & relatio) esse potentiam obedientialem activam, vt possit Deus nihil in ea producendo, suo speciali concursu producere effectum, quem voluerit, dũmodo non implicet contradictionem. Et addunt, quòd hæc potentia obedentialis activa est ipsamet res, in qua est: & quod dicitur potentia inchoata, seu incompleta: quia non sufficit ad producendum effectũ cum cõcursu generali; sed specialissimus est necessarius, quo suppleatur insufficiẽtia quã habet talis res in actu primo. ¶ Sed cõtra; quòd si potentia ista non distinguitur à re, nõ erit activa, cum res nõn sit activa: Secũdò, quia ex positione illius potẽtiæ sequeretur, posse Deũ elevare ignẽ ad vidẽdũ, ad patrandũ miracula, ad creãdũ, &c. Imo sequeretur ex hac doctri

na posse Deum elevare quodlibet adhoc, vt sit nō solū causa instrumētalis, sed etiam principalis respectu cuiuslibet: & consequenter posset musca elevari ad creandū animam, vel Angelum. Quod nihil est: inquit Scotus *in 4. distinct. 1. quæst. 1. §. Ad quæstionem, vers. Vel in fieri.*

19. Igitur cùm in tot diversos modos, adeoque obscuros & difficiles distrahantur Authores oppositæ sententiæ; meritò non solùm illam relinquimus, dicimusque humanitatem Christi Domini non physicè, sed moraliter tātum patrasse miracula: sed etiam meritò sumimus pro fundamento nostræ conclusionis, hanc moralem causationem sufficere ad hoc, vt Christi Domini humanitas dicatur causa instrumentalis divinitatis; rem istam reddere intelligibilem, evitareque positionē alicuius entitatis non necessariæ.

CAPVT XI.

De nonnullis officijs, seu titulis ad excellentiam Christi D. spectantibus.

PRO complemento cognitionis excellentiæ, & dignitatis naturæ assumptæ de aliquibus officijs, seu titulis Christi Domini vt homo est restat disputandum. Consultò autem inscribitur caput istud de aliquibus titulis, & non de omnibus: quia de nonnullis constat iam ex superioribus præsertim *ex cap. 9. dif. 3* vbi de honorabilibus titulis Redemptoris, & mediatoris, &c. iā disputavimus. Quare in præsenti de dignitate Sacerdotali, & Regia Christi Domini solùm est agendū.

DIFFICVLTAS I.

De spectantibus ad regnum, & dominium temporale Christi D.

DVBIVM I.

1 PEtes primò, vtrùm Christus Dominus inquantum homo fuerit Rex, & Dominus tēporalis vniversi? Respondetur affirmativè. Quia est possibile, & commendat eius excellentiam & dignitatē. Sicut enim vi vnionis hypostaticæ erant debitæ debito congruentiæ Christo D. seu eius humanitati omnes perfectiones spirituales: ita & omnes morales & politicæ, vt est potestas, & imperium. Et sicut de facto habuit omnes perfectiones spirituales, quæ illi erant debitæ debito congruentiæ; ita habuit de facto omnes perfectiones morales, & politicas: atque adeò de facto habuit Christus Dominus quatenus homo erat, Regiam potestatem, &

& temporale dominium vniuersi. Propter quod *Apoc. 9. dicitur Rex Regum, & Dominus dominantium. Et Actor. 10. num. 36. Hic est omnium Dominus.* Vnde cõstat, quòd humanitas Christi D. remotè titulo vnionis, & proximè titulo collationis dominij, & imperij ita excellens, & omnibus superior evaserit, vt pro gubernatione politica reipublicç potuerit omnib⁹, & singulis præcipere, ferre leges, & proprio iudicio lites dirimere. Et quicumque ex toto orbe, quãtumvis Rex, tenebatur illi obedire, atque eius iudicio quiescere: & & qui dignitatem Christi D. cognosceret, turpisimè resisteret ei⁹ imperio, & obedientiæ. Ita D. *Antonius, Vvaldensis, Molina, Suar. Varzq. Ragusa, & Gasp. Hurt. quos citant, & sequuntur Castillo disput. 16. q. 3. n. 3. & Felix c. 18. diff. 4.*

2 Sed oppositum defendunt *Bellarminus lib. 5. de Pontifice c. 4. Victoria, Medina, & Becanus citati à Gasp. Hurtado disp. 19. diff. 10.* Et obijciunt illud *Ioan. 18. Regnũ meum non est de hoc mundo.* Respondetur ibi non negari Regiam dignitatem, sed eius exercitium. ¶ Dices: Christus D. nullum actũ Regium exercuit: ergo frustra in eo ponitur Regia potestas. Respõdetur negando consequentiam: quia ista spectat ad eius dignitatẽ, & excellentiam. Sicut in Beato datur potentia generativa, nutritiva, & c. quia hoc spectat ad eius perfectionẽ. ¶ Obijc. 2. quod quãvis Christus D. habuisset titulo aliquo talem potestatem, illã abdicaret. Patet: nam hoc esset perfectius. Resp. negando assumptum. Ad probatione dico, sufficere abdicasse exercitium, & actum Regium; ius autem fundatũ in vnione abdicare non poterat. ¶ Obijc. 3. plures Reges eiusdem Regni in solidũ simul esse non possunt. Sed Christus D. erat verus Rex: ergo alij non erant veri Reges, sed solũ vicarij Christi D. quoad potestatẽ Regiam. Quod videtur inconveniens: ergo Christus D. nõ erat verus Rex. Resp. distinguendo maiorem: solũ enim est vera de Regib⁹ habentibus potestatem eiusdẽ ordinis, seu non subordinatam: falsa autem de habentibus potestatem alterius ordinis, seu cũ subordinatione vnius ad aliam. Quare negatur, Reges temporales fuisse vicarios Christi D. Nũquam enim commisit illis suas vices, neque ipsi eguerũt tali commissione: quia eorum potestas in suo ordine mã sit supræma, quamvis subordinata Christo D. tamquam Regi vniversali, & habenti potestatem altioris ordinis: & ideò nõ incõpatibilẽ, aut excludentẽ porestatem supræmam aliorũ Regum in suo ordine.

3 Obijc. 4. Christ⁹ D. fuit verus Rex vniversi: ergo & Roman⁹ Põtifex, qui est eius vicarius. Resp. negando consequentiã: quia illi nõ cõmisit hanc potestatẽ tẽporalẽ: sicut neque illi cõmisit omnẽ spiritualẽ: cũ ei nõ cõmiserit potestatẽ excellẽtiæ ad instituẽdũ sacramen-

meta. ¶ Dices: si nō cōmisit ei potestatē tēporalē, quomodo aliquādo Potifex regna ab vno transfert in aliū? Resp. hoc provenire ex dominio indirecto, quod ipsi commisisse fatentur omnes *in tract. de Potestate Papæ*. Itaque cōmittēdo Christ⁹ D. suo vicario potestatem spiritualē in omnes homines, cōmisit ei potestatē, seu dominium indirectū tēporale circa omnia illa tēporalia, quæ ad gubernationē spiritualem fuerint necessaria. Quia temporalia omnia subiecta sunt, & subordinatata spiritualib⁹

4 Quāvis in præsenti de regno tēporali Christi D. sit sermo, notāt tamē nonnulli, quod propter supremā potestatē, quā ad condēdū leges habuit Christus D. iuxta illud Isaiæ 33. *ipse est legifer noster*; & ad imperandū alia, quæ ad gubernationē requiruntur, debet etiā nominari Rex spiritualis Ecclesiæ.

DVBIVM II.

5 PEtes 2. an Christ⁹ D. fuerit specialiter Rex Iudæorū? Res. negative. Quia neq; titulo electionis aut belli; vt cōstat. Neq; titulo institutionis divinæ: de hac enim nō constat. Neque aliqua congruētia aut probabili ratione: alioqui assignetur. Neque titulo hæreditario: vt probant Recētiores, præsertim Vazq. disp. 87. ad q. 31. art. 2. & Lorca disp. 83. à num. 5. Hanc conclusionē defendit communis sentētia: quam secuntur Authores citati num. 1. & multi alij.

6 Sed *Armachanus lib. 4. quæstionum Armenorum c. 15. & 16. Bacho, & Burgensis citati à Recētioribus, præsertim à G. Hurt. disp. 19. diff. 11.* affirmant, Christum D. peculiariter fuisse Regem Iudæorum iure hæreditario, quamvis eo non fuerit vsus. Et obijciūt illud *Lucæ 1. Dabit illi Dominus sedem David Patris eius*: & *Ioan. 12. Benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israel*. Et pluribi apertè significatur, Christum D. fuisse Regem Iudæorum. Respond. ibi solùm esse sermonem de regno spirituali, in quod translatū fuit regnum temporale David; vt communitèr exponunt Patres, & Scholastici. ¶ Dices quòd *Machab. 1. c. 14. num. 40.* dicitur, quòd *Iudæi, & Sacerdotes eorum consenserunt. Simonem esse Ducem suum, & summum Sacerdotem in æternū, donec surgat propheta fidelis.* Resp. verba illa *donec surgat, &c.* non significare Mesiam iure hæreditario futurum esse Regem temporalem Iudæorum: sed significant, Simonem & posteritatem ilius eligi tātùm donec Mesias, aut alius propheta fidelis declararet voluntatē Dei erga dignitatē illā. Ad cuius solutionis probabilitatem expēdo ly *in æternū*. Si enim electio Simonis erat solùm vsque ad adventum Mesiæ non posset verificari, quod erat in æternum.

7 Obi. 2. quòd Virgo gloriosissima erat ex semine, & familia David ergo ea parte Christus D. debebat obtinere regnum iure hæreditario. Respond. negando con-

sequentiam: quia quamvis Regnum illud pertinuisset ad Virgine; non tamen ad Christum D. qui ante Virginem mortuus est. Secundò, quia Virgo descendebat per Nathan, & non per lineam Salomonis; ad cuius descendentes tātùm pertinebat regnum Iudæorū vt ex Vazquez notat Gasp Hurt. *disp.* 19. *diff.* 11. ¶ Dices, quòd Ioseph trahebat originem à David per lineam Salomonis: ergo ex hac parte Christus Dominus habebat ius hæreditarium in regnum. Respondetur negando consequētiam: quia non constat, Ioseph habuisse prærogativam primogeniti. Secundò, quia, hoc admisso, Christus Dominus solùm fuit filiˢ putativus Ioseph. Et quamvis admittatur fuisse adoptatū à Ioseph, id non sufficeret ad successionem in regnum, præsertim existentibus legitimis successoribus Salomonis.

DVBIVM III.

8 PEtes tertiò, an Christus Dominus habuerit dominium temporale omnium rerum vniversi? Respondetur affirmative. Quia habuit dominium temporale in omnia regna: ergo & in omnes possessiones. Antecedens constat ex dictis *à num.* 1. Consequentia autem probatur tùm à paritate: tùm à fortiori: possessiones enim sunt quasi partes regnorum: partes autem includuntur in toto: quare qui possidet totum, à fortiori possidet partes in illo inclusas. Ita *Suarez, Lorca Cabrera, & Ragusa, quos citat, & sequuntur Castillo disp.* 16. *q.* 5. *n.* 3. *& Felix c.* 18. *diff.* 4.

9 Sed oppositum defendunt *Medina, & Vazquez, quos citat, & sequitur Gasp. Hurt. disp.* 19. *diff.* 12. Et obijciunt extrav. *Inter nō nullos*, & extrav. *Quia quorumdā*, in quibus Ioannes 22. affirmat, Christum Dominum interdum habuisse dominium, & proprietatem aliquarum rerum: ergo supponit, non habuisse dominiū omnium. Respondetur non loqui de dominio excellentiæ, quòd habet ratione vnionis hypostaticæ; sed de dominio particulari, & humano: de quo erat molesta illa cōtroversia. Legantur *noster Corduba super caput* 6. *regulæ q.* 1. *& Nitela Franciscana.* ¶ Dices: ergo simul & in solidum quælibet res habet duos dominos. Respondetur non esse incommodum; si alter eorum sit dominus iure, & dominio excellētiæ, seu altioris ordinis vt patet in iure, & dominio, quod circa quamcumque rem habet Deus: quòd non est incompatibile cum dominio, seu iure dominativo creaturarum.

(∴)

DIF-

DIFFICVLTAS II.

De Sacerdotio Christi D.

DVBIVM I.

1 PEtes primò, an Christus Domin⁹ fuerit Sacerdos? Respondetur affirmativè. Quia *tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech Psalm.* 109. Secundò, quia ad rationem propriè Sacerdotis sufficit, vt quis sit publica authoritate destinatus ad orandū, & sacrificandum pro populo. Sed Christus Dominus ad vtrumque fuit ordinatus, & destinatus à Deo ratione vnionis hypostaticæ: ergo fuit verè Sacerdos. Minor constat ex scriptura vocāte Christum Sacerdotem loco citato & alibi: vbi supponitur, fuisse constitutum à Deo. Quòd autem hoc habuerit ratione vnionis, cōstat ex eoquòd, sicut aliæ perfectiones erant illi debitæ debito congruentiæ, ita, & dignitas Sacerdotalis. ¶ Nota, Christum Dominum fuisse Sacerdotem non solū quoad dignitatem, & potentiam sacrificandi, sed etiam quoàd vsum, & exercitium, iuxta illud *ad Ephes. 5. Tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo:* constatque ex processu Evangelij; sunt, & quòd pro nobis oravit.

2 Sed obijcies: munus Sacerdotis est mactare victimam: sed Christus D. semetipsum non occidit: ergo non fuit verè, & propriè Sacerdos. Respondetur distinguēdo maiorem: solùm enim est vera de mactatione physica, aut morali: falsa autem de physica tantùm, aut determinatè: quæ physica mactatio neque in lege antiqua fuit requisita. ¶ Dicitur autem moraliter mactare, seu occidere victimam, qui moraliter cōcurrit ad illiùs mactationem, nēpè voluntariè eam offerendo. In quo sensu falsa est minor: (etenim Christus Dominus se voluntariè obtulit in mortem) quamvis aliàs sit vera de mactatione physica: & ideò negatur consequētia. ¶ Cōtra: ergo martyrium erit sacrificium verè, & propriè, & martyres erunt Sacerdotes se voluntariè offerendo in mortem. Respōdetur negando: quia non fuerunt ministri ad hoc deputati publica authoritate, aut ex divina institutione. Secundò, quia non obtulerunt suam vitam ex motivo religionis, vel in cultum Dei, seu vt faterentur, Deum esse authorem vitæ, & mortis, sed ex motivo fortitudinis, aut Charitatis, & ne aliquid committerent contra legē Dei. ¶ Obijc. 2. sacrificium habet proprium locum destinatum, nempè templum, & in templo altare. Sed hoc nō invenitur in morte Christi D. ergo hæc non est sacrificium; neque Christus Sacerdotis ministerium exercuit se offerendo. Respondetur negando minorem: crux enim fuit altare, &

& ara : vt loquitur Tridentinum *sess. 22. cap. 1* & multi Patres. Tēplum verè fuit totus mūdus: quia sicut sacrificium fuit pro omnib⁹ cōgruebat, vt templum esset vniuersum, seu pro eius morte non determinaretur locus specialis. Quod satis insinuatur *ad Hebræos 13. num. 12. vt sanctificaret suum per sanguinem populum, extra portā passus est.*

DVBIVM II.

3 Petes 2. vtrùm Christus D. fuerit Sacerdos, vt homo est? Resp. eodem modo phylosophandum fore de sacerdotio Christi D. ac de eius munere Redemptoris loquuti sumus *c. 9. diff. 3. à n. 5* Quare sicut ibi diximus, mun⁹ Redemptoris competere Christo D. secundùm humanitatem; & etiam secundùm suppositum diuinum, ita vt hoc munus exerceerit vnus & idem, qui verè est Deus & homo: ita in præsenti est dicendum de munere Sacerdotali Christi D. Et sicut ibi notabamus, prædictam humanam naturā, & suppositum diuinum sic concurrere ad actionem, qua sumus redempti, vt substātia actionis proueniret à natura humana; dignitas autem, valor, aut æstimabilitas à diuina, seu ab eius supposito: (secundùm diuersas sententias) ita in præsenti est philosophandum. Substantia enim actionis sacrificatiuæ proueniebat à natura humana; supremus autem, & excellentissimus ille valor talis actionis à diuina, vel supposito diuino. ¶ Constat etiam ex eodem loco *à nu. 13.* quomodo sint conficiendæ propositiones de sacrificio, & Sacerdotio Christi Domini. Ibi enim dictis nihil in præsenti addendum occurrit.

DVBIVM III.

4 Petes 3. qua ratione Christus D. dicatur sacerdos in æternum? Respōdetur sub distinctione statim explicanda. Quare dico primo: certum est, sacerdotium Christi D. in aliquo sensu dici æternum, aut perpetuū. Quia verba illa *Psal. 109. Tu es Sacerdos in æternum*, accipiuntur de Christo D. atque de illo ea exponit Paulus ad Hebræos, præsertim *c. 7.*

5 Dico 2. Sacerdotiū Christi D. est propriè æternū, seu perpetuū sumptū pro potestate sacrificandi, seu pro dignitate Sacerdotali. Quia nō apparet, quare amissurus sit Christus D. hanc potestatem, seu dignitatem; quam ratione vnionis hypostaticæ semel à Deo accepit. Confirmatur: quia alij sacerdotes nūmquā sunt amissuri dignitatem Sacerdotalem, seu potestatem sacrificandi: & ideò eorum character est indelebilis: ergo neque Christus Dominus. ¶ Dices, post finem mundi frustra conseruari talem potestatem Christi Domini cùm illa iam non sit vsurus. Resp. negando assumptum: cuius probatio, si aliquid

quid valeret, probaret sanè, à Beatis esse auferendas potentias generativam, nutritiuam, &c. Igitur sicut potentiæ illæ conservantur propter perfectionem naturalem Beatorum: ita dignitas Regalis, & sacerdotalis Christi D. in æternú fuint conservandæ propter perfectionem moralem illius. Hinc dicebat Apostolus *ad Hebræos 7. Hic autem eo quòd maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium*: quasi diceret: sicut vnio hypostatica duratura est in æternum (quia *quod Deus semel assumpsit, numquã dimittet*: vt ex Damasceno dictitant Theologi) ita sacerdotium, quòd ratione vnionis accepit, in æternum durabit.

6 Dico tertiò si sacerdotium Christi Domini sumatur pro actu sacrificandi, non est propriè æternum, seu perpetuum: & ideò finẽ habebit in consumatione mundi. Quia non apparet, quare ex tunc ponatur actus sacrificandi. ¶ Dices: ergo etiam ab ascensione amisit Christus Dominus Sacerdotium sumptum pro actu sacrificandi. Patet: quia ex tunc saltèm cessavit sacrificare. Respondetur: negando: ad probationem dico, quod vsque ad vltimum sacrificium futurum circa finem mundi offert Cristus D. simul cum sacerdotibus: est enim principalior offerens.

7 Dico quartò, si sacrificium Christi Domini sumatur pro quodam actu, qui secundariò competit sacerdoti (scilicet pro actione gratiarum) propriè est æternũ, seu perpetuum. Quia Christus D. perpetuo aget gratias Deo, eo quòd disposuit, se offerre in sacrificium cruentè, & incruentè. Quod vocant se offerre Deo in gratiarum actionem. Et quem actum suppono competere secundariò sacerdoti: cui primario competit absolute sacrificare. Sacrificium autẽ consistit in actione, qua res occiditur in signum, & protestationẽ, quòd Deus est author vitæ, & mortis.

8 Ex dictis constat, in quo sensu sunt sustinendi, aut refutãdi diversi authores in præsenti difficultate diversimodè opinantes. Illi enim qui dicunt, Sacerdotium Christi Domini dici æternum, seu perpetuum; eo quòd vsque ad finẽ mundi durabit, non verò quòd non sit habiturum finem. Ita *Valẽcia disp. 1. punct. 4. & Ragusã disp. 22.* Istorum ergo sententia potest, & debet sustineri, si sacerdotium sumat pro actu sacrificandi: vt diximus *n. 6.* Repellenda autem est, si sacerdotium sumat propriè, nẽpè pro potestate sacrificandi, seu dignitate sacerdotali: iuxta dicta *n. 5.* Imò cũ hæc sit propria acceptio huius vocis *sacerdos*, seu *sacerdotium* militat contra hanc sentẽtiã; quòd verba scripturæ accipit impropriè sine necessitate. ¶ *Medina, Suar. & Vazq. quos citat, & sequitur G. Hurt. disp. 19. diff. 3.* dicunt, Christi D. sacerdotium esse æternum, & perpetuũ propriè; & ideò nõ habiturũ finem. Quarum sen-

sententia est vera sumpta pro potestate, & dignitate Sacerdotali, iuxta dicta *n.5.* falsa tamen sumpta pro principaliori actu Sacerdotis, qui est immolare, seu sacrificare, iuxta dicta *num.6.* ¶ Nostram autem resolutionem defendunt multi Scotistę *in manuscriptis; quos sequuntur Castillo disp. 16.q. 6.num. 11 & Felix cap.18.diff.5.*

DVBIVM IV.

9 PEtes 4. quare Christus D. dicatur Sacerdos secundum ordinem Melchisedech? Suppono sic dici *in Psalm.109. Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech)* Respondetur sic dici propter aliquam similitudinem repertam inter vtramque sacerdotium, scilicet Christi Domini, & Melchisedech. Præcipua autē similitudo stat in hoc, quòd sicut Melchisedech obtulit panē, & vinum in gratiarum actionem pro victoria Abrahæ, & posteà eidem Abrahæ, & comitibus eius panem, & vinum, postquam erant in sacrificium consecrata, propria manu distribuit potiùs in religionem, & cultum quàm in refectionem: ita Christus D. in vltima cæna obtulit suum corpus, & sanguinem sub speciebus panis, & vini; & panem, & vinum iam consecrata suis discipulis sumenda distribuit. ¶ Scio, aliquos hæreticos constantèr affirmare, Melchisedech panem, & vinum non obtulisse. Tamen oppositum docent PP. & Scholastici; præsertim legantur *Vazq. disp. 8 c. & Gaspar Hurtado disp.19. diff.5.* Imò apertè dicitur *Genes. 14.num. 18. Melchisedech proferens panem, & vinũ (erat enim Sacerdos Dei altissimi) benedixit ei.* Legantur præcitati Recentiores, qui conferunt Sacerdotium Melchisedech cùm sacerdotio Levitico; notantque nonnulla, in quibus illud erat excellētius illo vt inde deducant, etiam sacerdotium Christi D. esse excellentius Levitico.

10 Notant etiam Christum Dominum non fuisse sacerdotem legalem: quia non fuit de tribu levi, sed de tribu Iuda: vt docet Paulus *ad Hebreos 7. à num. 13.* ¶ Ex qua ratione etiam constat, cum nullum gradum ordinis Levitici habuisse: quia ad nullum gradum admittebatur nisi ortus ex tribu levi, & per lineam paternā. ¶ Sed Vvaldensis *tom.1. de Sacramentis cap.116. num.6.* affirmat, Christũ Dominum habuisse gradum Lectoris. Et obijcit, quòd *Lucæ 14. num.16* dicitur, quòd in Synagoga Nazareth *surrexit legere; & traditus est ei liber Isaiæ Prophetæ:* ergo habuit gradum Lectoris Levitici. Respondetur negando cōsequentiam: quia legere in Synagogis, & exponere legem permittebatur cuicumque erudito, quāvis non esset ordinatus: vt etiam permissum fuit Paulo in sinagoga Anthiochiæ: (vt dicitur *Actorum 13.*) qui tamen nullum gradum ordinis habuit, cùm non esset

esset ex tribu Levi, sed ex tribu Benjamim. Vnde August. 1. *de Peccatorum meritis cap. 27. & Isidorus serm. pro synodo* docentes, Christum D. functum fuisse officio Lectoris; tantùm significant, legisse in synagoga, non autem habuisse gradum Lectoris.

DVBIVM V.

11 PEtes quintò, Vtrū Christus D. non solùm fuerit sacerdos, sed etiam hostia, templum, & altare? Respondetur affirmativè Quia sic sæpe loquuntur PP. præcipuè D. Ambros. *in 1. cōmentario in Lucam* dicit, quòd *idē vitulus est, & Sacerdos*: & exprimitur *ad Ephes. 5. tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suavitatis.* ¶ Deinde Christum D. fuisse templum, docent *Hierony. in Michæam c. 1. & Fulgentius 1. de Fide ad Petrum cap. 2.* Quod convenit Christo D. non solùm generali ratione, qua Deus dicitur esse in iusto, tamquā in templo vivo; (in quo adoratur, & sibi offertur sacrificium laudis & aliorum bonorum operum) sed etiam speciali; nempè quia in illa sacratissima humanitate per vnionem hypostaticam continetur divinitas, & in ipsa adoratur. ¶ Denique Christum D. fuisse altare docent *Epiphanius hæresi 55. & Cyrillus Alex. lib. 9. de Adoratione*: & meritò: quia sicut in lege veteri altare aspergebatur sanguine: ita eius sacratissimū corpus proprio sanguine fuit aspersum tēpore passionis. De quo videātur Recētiores.

DVBIVM VI.

12 PEtes sextò, vtrùm sacerdotium Christi D. expiaverit nostra peccata? Respond. affirmativè. Quia *ad Hebræos* 10. dicitur, quòd *Christus D. vna oblatione consumavit in æternum sanctificatos*. Et ratio est, quòd sacrificio cruento sui (quod fuit præcipua functio sui sacerdotij) abundè meruit nobis gratiam, media qua peccata expiantur. ¶ Nota, quòd duplex est oblatio, seu sacrificium. Aliud est expiativum: & est, quod offertur, vt Deus media sua gratia nos emūdet à peccatis. Aliud autem est gratificatorium: estque illud, quod offertur Deo pro beneficijs acceptis, aut accipiendis; dūmodo id, quòd accipere speramus, non sit gratia emūdans à peccato. Tunc enim sacrificium erit expiativum. ¶ Nota etiā, quòd in sacrificio duo reperiuntur. Primū est mactatio hostiæ: quo significamus, nos debere occidi pro nostris peccatis: & hoc spectat ad sacrificiū expiatorium. Secundū est abdicatio dominij illius hostiæ, quia abdicatione profitentur, Deum esse Dominum omnium rerum; & ab eo nos accepisse omnia. Et hoc spectat ad sacrificium gratificatoriū. ¶ Ex quibus necnō & ex dictis *c. 9. dif. 3. à n. 10* satis costat, quòd quāvis sacratissima mors Christi

D. simul fuerit nostra redemptio, mediatio, seu reconciliatio inter Deū, & hominem; satisfactio pro nostris culpis; meritū apud Deū; necnō & oblatio, seu sacrificiū tā expiatoriū, quā gratificatoriū: tamen sub longè diversis respectibꝰ habuit Christꝰ D. has diversas denominationes.

DVBIVM VII.

13 Petes 7. an sacrificiū Christi D. sibi profuerit? Resp. affirmativè. Quia sacrificiū potest offerri in gratiarum actionem pro beneficijs acceptis, & ad nova obtinēda: (vt fieret in statu innocentiæ) ergo sacrificium cruentū Christi D. potuit sibi proficere in quantū gratificatorium. Ita *Medina, Suar. & Ragusa, quos citant, & sequuntur G. Hurt. disp. 19. diff. 8. & Felix cap. 18. diff. 5.*

14 Sed oppositū defendit Vazquez *disp. 84. c. 2.* & obijcit Concilium Ephesinum can. 14. determinans, Christum D. non obtulisse pro se: quia peccato caruit. Respond. loqui de sacrificio expiativo non de gratificatorio. ¶ Obijciūt secundò Christus D. non accepit carnem, vt gratias ageret: ergo eiꝰ sacrificium cruentum adhoc non profecit. Respond. distinguendo antecedens: solùm enim est verùm de fine primario, seu primario intento: falsum autem de secūdario, aut secundario intento, seu impulsivo. Eadē distinctio applicāda est consequenti: est enim verū de primaria intentione; & falsum de secundaria. Et convincitur instantia gloriæ corporis, & exaltationis sui nominis. Quamvis enim Deus non assumpserit carnē propter ista ex primaria intētione: benè tamen ex secundaria, & tamquam ex fine impulsivo. Quare mors eius, seu sacrificiū cruentū ad omnia ista, & similia profecit. ¶ Obijc. 3. ergo potest concedi, Christū D. pro se obtulisse sacrificium cruentum. Resp. negando: quia tale sacrificium absolutè sumitur pro expiatorio: quod Christo D. prodesse non potuit. Sin autem significetur sumi pro sacrificio gratificatorio, potest concedi. Hùc aliqualiter spectant dicta *c. 7. diff. 7. num. 16.*

CAPVT XII.

De defectibus naturæ assumptæ.

EGIMVS hucusque de perfectionibus humanitatis Christi D. nempè de gratia, de scientia, de merito, de potentia ad patrandum miracula; atque de eius dignitate sacerdotali, & Regia. Quæ omnia ad eius perfectionem spectant, & excellentiā illius maximè commēdant. Succedit, de defectibus prædictæ humanitatis texere disputationē. Et

quia defectus quos Christus D. in humanitate assumpsit, vel saltèm potuit assumere pertinere possunt tùm ad corpus; vt morbus, fames &c. Tùm ad animam, vt peccatū, ignorántia, &c. Tùm ad vtrumq; vt affectiones irascibilis, & concupiscibilis: ideo hoc caput in tres dividam difficultates.

DIFFICVLTAS I.

De spectantibus ad defectus corporales naturæ assumptæ à Christo Domino.

DVBIVM I.

1 PEtes primò, an Christus D. assumpserit aliquos defect⁹ corporales? & quales? Resp. indubiū esse, aliquos assumpsisse. Quia hoc fuit cōveniens, vt eius humanitas non putaretur phantastica, vel alterius rationis, ac nostra. ¶ Loquendo autem de qualitate horum defectuum regula generalis est, Christum D. assumpsisse defectus corporales, qui naturales sunt, & communes toti naturæ humanæ post peccatum Adami. Quia hoc fuit conveniens primò, vt pœnalitatibus suis pro nobis; satisfaceret. Secūdò, vt magis ostēderet veritatem naturæ assumptæ. Tertiò, vt nobis esset exemplum. ¶ Item est regula generalis, eū nō assumpsisse defectus corporales aliquorū hominū, qui oriuntur aut ex imperfecta virtute seminū, & generationis; aut ex imperfecto regimine corporis. Quia hos defectus assumere nec fuit decens, neque ad finē incarnationis requisitū. Hæc in generali sunt certa: sed pro maiori declaratione aliqua sunt specialitèr examinanda.

DVBIVM II.

2 PEtes secundò, an corpus Christi Domini fuerit passibile? Respondetur affirmativè. Quia *cùm ieiunasset, &c. posteà esuryt Matth. 4. & fatigatus ex itinere sedebat. Ioan.* 4. & alibi passim. Et ratio à Patribus sæpissimè assignata est, quòd ex opposito sequeretur, Christum Dominum non esse hominem eiusdem rationis nobiscum. ¶ Dices: ergo Christus Dominus fuit corruptibilis quoàd corpus: & consequentèr assumpsit defectus particulares aliquorum hominum: atque adeò potuit febrizitare, & in sepulchro corrumpi. Respondetur nullum ex prædictis defectibus assumpsisse in actu; omnes tamen assūpsit in potentia. Nam eo ipso ac corpus eius erat humanū, & qualitatib⁹ cōtrarijs permixtū, erat subiectum febri, &c. atque corruptioni. Ex speciali autem dispositione Dei fuit factum, vt neq; febrizitaret, neque corrūperetur in sepulchro. Propter quē specialem favorem Christus D. agit gratias Deo dicens *in Psal. 15. Nō dabis sanctum tuum videre corruptionem.*

3 Sed obijcies illud *Isaiæ* 53. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit*: ergo etiam in exercitio assumpsit infirmitates. Respond. negando cõsequentiam: solũ enim sequitur actu assumpsisse naturã subiectam infirmitatibus. Quæ solutio sufficiẽs est: tamen pro notitia illorũ, quæ super eum locum dixerũt Authores nota, quosdã cum Caiet. verba illa (*verè lãguores nostros ipse tulit*) sic exponere: *tulit*, hoc est, abstulit, nempè per miracula sanitatũ. Et videtur satis colligi *ex Matth*. 8. vbi dicitur, prædictum locũ fuisse impletum, quando Christus Dominus multos infirmos sanavit. ¶ Alij dicunt, prædicta verba (*lãguores nostros ipse tulit*) declarare, Christũ D. in se suscepisse infirmitates nostras, scilicèt in exercitio, & actu secundo illas, quæ sunt communes toti naturæ; vt sunt sitis, fatigatio, &c. illas autem, quæ sunt propriæ aliquorum hominum, vt sunt febrizitare, &c. solùm in potentia, seu in actu primo. ¶ Suar: demùm, & Lorca putãt vtrumque sensum esse litteralem, & intentum ab Isaia.

4 Obijciunt 2. illud *Isaiæ* 53. *n*. 4. *Nos putauimus eũ quasi leprosum*: ergo actu habuit leprã. Resp. negando cõsequentiam: est enim definitum *in Concilio Francfordiẽsi in Epistola ad Episcopos Hispaniæ*, Christum D. non habuisse lepram. Isaias autem dicit, Christũ D. fuisse leprosum quantùm ad reputationem: vel ob immanitatem dolorum, & plagarum, quas in corpore recepit. Vel quia Iudæi cavebant se à consortio Christi D. eo modo quo cavere solebant contactum leprosorum; alij quidẽ ob invidiam; alij vero ob metum aliorum.

DVBIVM III.

5 PEtes 3. an Christus D. saltèm habuerit necessitatem ægrotandi? Resp. negativè. Quia habuit scientiam infusam, qua cognovit omnem causam extrinsecam, corruptivam; necnon & gradum suarum qualitatum temperatarum: ergo facilè potuit conservare gradum temperatum, seu temperiẽ qualitatum: & consequentèr præservari ab infirmitate: Ita *Cabrera, Medina, Suar. & Ragusa, quos citat & sequitur G. Hurt. disp*. 10 *diff*. 4. ¶ Dices, quòd quamvis omnem causam extrinsecam corruptionis potuerit præcavere Christus D. per scientiã infusam: tamen adhuc ex actione, & reactione, ex passione, & repassione caloris naturalis, & humidi radicalis tãdẽ causaretur aliqua intẽperies in vltimo termino senectutis, & aliqua infirmitas, qua tãdẽ moreretur, si nõ præveniretur morte violenta. Resp. ex prædicta actione & reactione, passione & repassione caloris naturalis, & humidi radicalis inferri quidẽ, quòd tandẽ vtrũque cõsumeretur: nõ tamen quod hoc fieret media aliqua intemperie, & infirmitate. Igitur Christus D. si non occideretur, aut non transferretur in statum Beatitudinis ante mor-

mortem, tandem moreretur senio confectus; quia in eo deficeret vita defectu caloris naturalis, & humidi radicalis, quorum vtrumque per continuam actionem, & reactionem, passionem, & repassionem tandem consumeretur. Sicut cõsumitur, & deficit lux lãpadis defectu olei sine aliqua sui alteratione.

6 Sed Valesius *lib. 6. controversiarum medicarum c. 1. & aliqui alij medici* oppositum defendunt: & obijciunt, quòd mors nequit naturaliter; sine morbo aliquo evenire. Sed Christus D. habuit necessitatem moriendi: ergo & ægrotandi. Resp. negando maiorem propter dicta num. præcedenti. ¶ Obijc. 2. nulla forma expellitur à materia absque contraria dispositione, & intemperie, in qua cõsistit infirmitas. Sed Christus D. necessariò erat moriturus, etiam si non occideretur: ergo eius anima separanda erat à corpore per aliquam contrariam dispositionem, seu infirmitatem. Resp. negando maiorem: est enim absolutè falsa; etenim potest forma expelli à materia, eo quòd tanto tẽpore, & non ampliùs petit esse in materia; vt patet in sono, qui non desinit per contrariam qualitatẽ, aut defectu subiecti; sed ex eo quod ampliùs non petit conservari. Igitur anima rationalis petit cõservari vnita corpori, quoad vsque perveniat homo ad perfectã senectutem: & tunc petit separari, nõ per contrariam qualitatem præcise, aut defectu subiecti, sed defectu humidi radicalis & caloris naturalis, qui mutuis actionibus, & reactionibus consumuntur; & ipsis cõsumptis separatur anima: sicut desinit lux lampadis consumpto oleo. ¶ Obijc. 3. quòd *senectus ipsa est morbus*: sed Christus D. moreretur senio cõfectus: ergo & morbo. Resp. senectutẽ dici morbum propter morbos, qui eam cõmuniter comitantur; aut quia causat effectũ morbi, nẽpè mortẽ: in re tamen & formaliter morbus non est.

DVBIVM IV.

7 PEtes 4. an Cristus D. habuerit necessitatem moriẽdi. Respond. affirmativè. Itaque si mors ChristiD. non præveniretur violenter, aut si non transferretur in paradisum, moreretur senio cõfectus. Quia supposito miraculo non redundantiæ gloriæ animæ in corpus Christi D. Itẽ supposito, quòd non habuit Christus D. secundùm corpus iustitiam originalem præservantem à corruptione; (aliàs non pateretur fatigationem, sitim, famẽ, &c.) non apparet, vnde haberet præservationẽ à morte. Ita Scotus *in 3. d. 16. quæst. 2 §. Ad quæstionem ve s. Dico ergo* (affirmant, sic expressè sentire Augustinum *de Baptismo parvulorum cap. 2*) *D. Bonav. Ricardus Medina, Cabrera, Suar. Vazq. & Ragusa, quos citat, & sequitur Felix cap. 20 diff 4.*

8 Sed quærit Scotus, *vnde fuit*

 hac

hæc necessitas moriendi? Respondet, quod *corpus illud fuit animale; & ideo non sub pleno dominio animæ*, scilicet ad illud conservandum sine actione caloris naturalis in humidum radicale; & sine actione humidi in calorem naturalem. Posita autem ista actione, & reactione, tandem consumerentur tàm calor, quã humidũ. Quia omne agens physicum agendo repatitur, & patiendo debilitatur: vt probat Scotus *in 2. dist.* 19. §. *Concedo.* ¶ sed obijcit sibi Scotus, quòd Christus D. *scivit quantum necessarium fuit sumere ad tantam restaurationẽ deperditi* caloris naturalis, & humidi radicalis: ergo potuit suum corpus perpetuò cõservare sumendo alimentũ necessariũ. Resp. ex Scoto ibi negando consequẽtiam propter debilitatẽ, quã necessariò incurrit potentia nutritiva cõvertẽdo alimentum: insuper & propter impuritatẽ alimenti nostri. *Igitur debilitas virtutis, & impuritas alimenti extrinseci fuissent sufficiens causã suæ mortis naturalis*: concludit Scotus *ibi vers. Sed posito.*

9. Circa quod nota, quamlibet ex his duabus causis esse sufficientem ad corruptionem secundùm Scotum. Et ideò *vers. Respondeo* affirmat, quòd *si Adãm habuißet alimentum nostrum fuisset mortuus senio*, scilicet antequam pervenisset ad tã longævam ætatem: eoquòd eius virtus naturalis agendo in alimentum minus purum breviùs debilitata fuisset. Et versic. *sed posito* affirmat, quòd quàmvis Christus D. nutriretur ligno vitæ, adhuc *habuisset causam intrinsecã moriendi: quia omnis virtus naturalis relicta sibi, & non præservata per aliquod donum collatũ agendo in aliud naturale repatitur, & debilitatur; & tantum agere poßet, quòd debilitaretur in tantum, quòd non posset sufficienter agere ad conservationem sui individui.* ¶ Contra; quòd *Genes.* 3. insinuatur, lignum vitæ habuisse virtutem æternizandi comedentes ex eo: vt constat ex illis verbis: *Ne fortè sumat de fructu ligni vitæ, & vivat in æternum*: ergo falsò dicitur, quòd quamvis Christus D. comederet de ligno vitæ moreretur. Resp. negando consequentiã: quia fructus ille habebat virtutẽ prolongandi vitam: & hoc significat in præsenti loco ly *in æternum.* ¶ Obi. 2. illud *ad Rom.* 8. *n.* 10. *corpus quidem mortuum est propter peccatum.* Quæ verba exponens D. August. *de Peccatorum meritis c.* 4. dicit *Propter peccatum mortuũ est, ne aliquis crederet, quod quia de terra sumptũ est corpus, ideò mortuum est.* Sed Christus D. non habuit peccatum, neque illud erat habiturus, quamvis perpetuo viveret: ergo nũquã moriturus erat. Resp. negando cõsequentiã: quia quamvis ipse non peccavit, degebat tamen in statu naturæ lapsæ, in quo mors dominatur, ortum ducens à peccato primi parentis: qui si non peccasset, perseverasset status innocẽtię, vbi nulla esset mors non quidem, quia actio & reactio calo-

caloris naturalis in humidum radicale, illam tandem nō cautaret, sed ex speciali providentia Dei, qua contingeret, *vt quilibet illius status fuisset translatus in paradisum, antequam fuisset alteratus alteratione improportionata animæ, sive formæ:* inquit Scotus *in 2. dist. 19. §. Concedo versic. Dico tamen.*

DVBIVM V.

10 Petes 5. Vtrùm Christus D. voluntariè, an coactè passus sit fatigationem, sitim, & alias similes passiones? Respondetur diversimodè loqui Patres in præsenti: aliquādo enim dicunt, Christum D. ita voluntariè fuisse passū; aliquando naturaliter; aliquando necessario, aliquando coactè; imò & aliquando violenter. Quare dicendum est, omnia illa sub diversis considerationibus posse verificari. Absolutè tamē dicere debemus, Christum D. voluntariè fuisse fatigatum, &c. Tùm, quia voluntariè, seu sciens, & volens assūpsit naturam subiectam his passionibus: insuper & voluntariè applicuit causas illarum, nempè nimiā deambulationem, longum ieiunium, &c. Tum etiam, quia non impedivit effectus, qui naturaliter ac necessario oriūtur ab illis causis sufficienter applicatis: poterat enim illos impedire non solùm vt Deus, sed etiam vt homo: vt talis enim erat instrumentum divinitatis ad opera miraculosa. Vnde poterat (moraliter, seu deprecatoriè,) obtinere à Deo, ne causæ illæ applicatæ prorūperent in suos effectus. Propterquod dixit Damasc. *3. de fide c. 20. Volens siti, volens fame affectus est.* Et rursus ibidē *Nihil enim in ipso coactè cōspicitur, sed omnia spōtanea.* Ad quē sensum trahendæ sunt quæcūque authoritates; quæ voluntarietatem harū passionum adstruant.

11 Quòd verò ex necessitate Christus D. passus fuerit fatigationem, sitim, &c. cōstat ex eo quòd posita nimia deambulatione v. g. ex necessitate naturæ sequitur fatigatio, si aliàs causa à sua causatione non impediatur: ergò semel statuto, quòd Christus D. posuerit causam fatigationis v. g. & noluerit, eam impedire; necessariò, naturaliter, seu ex necessitate naturæ patiebatur fatigationem. Et propter hoc Sophronius *in 6. Synodo Epistola habita actione 11.* dicit, quod passiones istæ dicuntur in Christo *naturales.* In quem sensum trahendæ sunt similes authoritates. ¶ Possunt etiam dictæ passiones dici *violentæ*: quia sunt cōtra appetitum sensitivum. Et fortè propter eandem rationem possunt dici involūtariæ, aut coactæ. ¶ Tamen (vt *num.* 10 notabamus) absolutè loquendo, non est dicendum Christum D. habuisse has passiones coactè violenter, aut involuntariè. Quia qui sciens, & volens ponit causam natu-

turalem, absolutè voluntariè vult effectum: quamvis aliàs circa illũ possit habere, & de facto habeat aliquam simplicem displicẽtiam, seu involuntarietatem: vt patet in proijciente merces in mare; in sumente potionem, &c.

DVBIVM VI.

12 PEtes sextò, an corpus Christi D. fuerit pulchrũ? Resp. affirmativè. Quia de Christo D. dicitur *Psalm. 44. speciosus forma præ filijs hominum.* Et *D. Chrysost. hom. 18. in Mattheum. Sicut insignis perficiendis miraculis; ita visu gratiosissimus fuisse dicitur.* Et ratio est, quòd pulchritudo nõ parum expediebat, vt homines facilè ad Christum D. allicerentur. Et ex alia parte non apparet, quomodo deformitas cõducere posset ad finem Incarnationis; sive sit manifestatio divinorum attributorum, sive redemptio generis humani. ¶ Sed noster Michael de Medina *lib. 2 de Recta in Deum fide c. 7.* docet Christũ D. non fuisse corporaliter pulchrum. Quod videtur docuisse Tertulianum *lib. de carne Christi cap. 9.* Et obijcit illud *Isaiæ 53. Non est species ei, neq; decor.* Respondetur loqui de tempore passionis, in quo Christus Dominus fuit maximè deturpatus. ¶ Obijciunt secundò quòd virũ adeò sanctum, & Evangelij prædicatorem non videtur decuisse corporalem pulcritudinem. Respondetur ita esse, si pulchritudo illa sit minùs gravis, & modesta: secùs autem, si sit gravis, modesta, & maiestuosa; quæ aspicientibus potiùs imprimat affectum puritatis, & candoris. Qualem fuisse credimus in Christo Domino atque in eius sanctissima matre.

DIFFICVLTAS II.

De spectantibus ad defectus pertinentes ad animam Christi Domini.

DVBIVM I.

1 PEtes primò, an in Christo D. fuerit aliquod peccatum? Resp. negativè. Quia est de fide definitum *in Concilio Ephesino can. 10. & alibi. Et expressè cõtinetur 1. Petri 2. qui peccatum nõ fecit:* & de peccato originali est illud *Lucæ 1. Quod enim ex te nascetur* (hoc est concipietur) *sanctum, vocabitur filius Dei.* Et ratio est, quòd spectat ad perfectionem, & excellentiam Christi D. semper fuisse immunem à peccato. Insuper de originali est specialis ratio, scilicet quod non descendit ab Adamo per seminalem propagationem.

2 Sed communiter refertur, quemdam apostatam Præmõstratensem dixisse. Christum Dominum in cruce desperasse, & ob id fuisse damnatum. Pro quo ob-

objicit illud *Matth.27. Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Respondetur ibi nō significari aliquam desperationem, impatientiam, aut dubitationem; sed maximum dolorem: vt docet D. Cyprianus *lib. 1. de fide ad Regynas.* Dicitur autē derelictus à Patre, vel quia fuit destitutus ope ad Leniendum dolorem; vel quia permissus fuit vehementissimè pati: vel quia tempore tristitiæ Christi Domini suspensa fuit lætitia, aut gaudium beatificum: vt diximus *cap.8. diff.1. n. 5. & iterum dicemus in hoc capite diff. 3. num. 21.* ¶ Objiciunt secundò, illud 2. *ad Chorint. 5. qui peccatum non fecit, pro nobis peccatum fecit.* Respondetur cum D. Thom. & communi Patrum expositione, sensum esse, quòd Pater æternus fecit, illum esse hominem pro peccato iuxta illud *Oseæ 4 Peccata populi mei comedent Sacerdotes*; hoc est comedent hostias oblatas pro peccatis. ¶ Objiciunt tertiò, illud *Psalm.21. longè à salute mea verba delictorum meorum*: ergo Christus D. (de quo intelligitur) habuit delicta. Respondetur negando consequentiam: vel quia hæc verba habent sensum negativum; (vt aliquibus placet) quasi diceret Christus Dominus delicta mea longè sunt à salute mea, id est, non nocebunt saluti meæ; quia nulla habeo. Aut quia Christus Dominus ibi vocat delicta sua illa, quæ sibi falsò sunt imposita: Aut quia peccata nostra appellat sua; vel quia ea luenda suscepit, quasi propria, vel quia sunt peccata suorum membrorum, quæ ipsi, vt Capiti attribuuntur; iuxta regulam Ticonij probatam ab Augustino 3. *de Doctrina Christiana cap. 31.* qua *illa, quæ membrorum sunt, tribuuntur Capiti: & ècontra*; nempè propter vnionem, & coniunctionem, considerando Caput, & membra, quasi essent vna persona.

3 Notant tamen communiter Recentiores, (præcipuè Lorca *disp.57. n 5.*) quemdam Augustinum de Roma Archiepiscopū Nazianzenum plus æquo extendisse hanc Ticonij regulam. Dicebat enim, hanc propositionem posse concedi; (*Christus quotidiè peccat*) eoquòd eius membra peccant. Tamen hanc propositionē, tamquam scandalosam, & erroneam damnavit Concilium Basiliēse *sess. 22* Et quamvis hæc damnatio non multum vrgeat; eoquòd dictum Concilium ante illam sessionē erat iàm schismaticum contra Eugenium 4. tamen dictam propositionem malè audiunt Theologi: dicunt enim, per illam denotari, *peccata committi ab ipso Christo D.* Quod non denotatur, quando dicitur, *peccata nostra esse peccata Christi D.* Et ideò hæc posterior propositio est vera, quatenus Christus D. peccata nostra fecit sua, non quoad culpam, sed quoad obligationem satisfaciendi. In quo sensu dixit Isaias *c. 53. Posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrum.*

DV-

DVBIVM II.

4 PEtes secũdò, an Christus D. potuerit peccare? Resp. affirmatiuè. Itaque humana voluntas Christi D. seu Christus D. quatenùs homo, aut eius humanitas ex vi præcisè vnionis hypostaticæ non est impeccabilis, & consequẽter peccare potuit. Quia gratia vnionis nec sanctificat, nec sanctificare potest: *(ex cap. 7. diff. 1. à n. 2.)* ergo ex vi illius Christ' D. quatenùs homo est, nequit reddi impeccabilis. Confirmatur: humanitas Christi D. ex se non est impeccabilis: & aliàs per vnionem præcisè sumptam non accrescit ei aliqua impeccabilitas: ergo ex vi vnionis Christus Dominus quatenùs homo non evasit impeccabilis. Huc spectant dicta *c. 9. diff. 1. à n. 17.* Si enim Christus D. potuit non adimplere præceptum: & cõsequenter peccare: ergo à fortiori ex vi vnionis non mansit physicè impeccabilis. Hanc conclusionem defendunt Scotus in *3. dist. 12. Bassolius, Fabro, Rada, & reliqui Scotistæ,* (vnico dempto Pitygiano singularitate r philosophante) & ex aliis *Durandus, Gab. & Marsilius, quos citant, & sequuntur Castill. disp. 18. q. 1. num. 20. & Fel. cap. 20. diff. 1.*

5 Notant communiter Scotistæ in hac re semper cautè esse loquendum, neque absolutè concedendum fore, Christum Dominum posse peccare. Quamuis enim neque ex vi vnionis, neque ex vi alicuius habitus, immo neque ex vi Beatitudinis manserit physicè impeccabilis; tamen cùm saltem ex vi manutenentiæ Dei, quæ defacto adiuncta est cum Beatitudine, potentia physica sit impedita, non est absolutè dicendum, Christum D. posse peccare. Sic communiter Scotistæ. Ego tamẽ his non multum fido: quia de confirmato in gratia passim dicimus posse mortaliter peccare; de Prædestinato, quod potest damnari; atque de illo, qui est præventus auxilio efficaci, quod potest non respondere. Et tamen in illis potentia physica est quasi alligata, & impedita per manutenentiam seu decretum, quo Deus statuit non concurrere cum confirmato in gratia ad peccatum mortale; cum Prædestinato ad peccatum mortale finale; & cum illo, qui habet auxilium efficax ad oppositum illius, ad quod inclinat auxilium.

6 Sed *Magister sentent. D. Th. D. Bonavent. Vazq. Suar. & Ragusa opponuntur nostræ cõclusioni, quos G. Hurt. disp. 10. diff. 7. citat, & sequitur dicens, esse sententiam communem Scholasticorum.* Et obijciũt multos Patres, qui absolutè dicunt, Christum D. non potuisse peccare propter vnionem. Resp. non loqui in sensu formali, sed in causali: hoc est, non dicunt, quod vnio, Verbum, aut Deitas est formalis ratio, ob quam Christus D. vt homo, nequeat proximè peccare; sed quòd est causa, seu ratio con-

ongruentiæ, ob quam Christo D. fuerunt collata auxilia, (inter quæ enumero manutenentiam) & habitus, per quæ redditus est moraliter impotens ad peccandū. ¶ Noteturly *moraliter impotens:* quamvis enim vi habituum, aut auxiliorū, præsertim manutenentiæ, Christ D. sic fuerit moraliter, aut consequenter determinatus ad benè operandum, vt infallibiliter numquam sit peccaturus; semper tamen manet in eo potentia physica physicè non impedita ad peccandum; hoc est, volũtas creata sine aliquo physicè opposito cũ ipsa potentia physica peccãdi, aut cum ipso peccato. Recolantur dicta *c. 9. diff.* 1. *à num.* 17.

7 Objiciunt secundò, peccatũ physicè est incompossibile cum natura divina: ergo, & cum humanitate, cui natura divina est physicè vnita. Antecedẽs est expressum in multis Patribus, quos (Deo dante) adducam *in tract. de legibus.* Pro nunc sufficiat Anselm. *lib. Cur Deus homo cap.* 13. de peccato mẽdacij ad nostrum intentum sic loquutus *Non sequitur, si Deus vult mentiri, iustum esse mẽtiri; sed potius illum non esse Deum.* Respondetur negando consequentiam: quia eodem argumento probaretur, humanitatem vnitam non posse mori: est enim mors physicè incompatibilis cum natura divina, cui humana est vnita.

8 Objiciunt tertiò (cum Alēsi) Verbum non potuit assumere naturam nisi ornatã gratia habituali: sed gratia, & peccatum non possunt esse simul: ergo humanitas ex vi vnionis est impeccabilis. Respond. (omissis maiori, & minori falsis) negando consequentiam: solum enim sequitur, quod ex vi gratiæ sanctificantis esset impeccabilis. ¶ Obi 4. (cum Henrico) Verbum non potest assumere naturam humanam, nisi Beatam: sed cum Beatitudine non potest stare peccatũ: ergo humanitas ex vi vnionis est impeccabilis. Respondetur (omissa maiori falsa Immo etiam minor est falsa iuxta dicta *c. 9. diff.* 1. *num.* 18. tamen etiam est omittenda) negãdo consequẽtiam: solum enim sequitur, quòd vi beatitudinis est impeccabilis.

9 Obi. 5. si humanitas vnita peccare posset, sequeretur, Deum posse peccare: etsi de facto peccaret, sequeretur, Deum de facto peccare. Probatur sequela ex eo quod actiones humanitatis eliciuntur a supposito divino. Resp. negando sequelam: cuius probatio nulla est: quia actiones non sunt suppositorũ elicitivè, sed tantùm denominativè. ¶ Contra, quod videtur incommodum, Verbum divinũ denominari peccans, adhuc per communicationem idiomatum. Respondetur nullum esse inconveniens in re, sicut in re non est Inconveniens, quod Verbum dicatur mortuum, passum, &c.

¶ Verum est, quòd à tali modo loquendi abstinendum est inter vulgares: si tamen aures sunt piæ, & doctæ, non offenduntur illa

illa propositione: sciūt enim quomodo hoc prædicatum *peccare* convenire possit Christo D. & cõsequenter divino Verbo; & quomodo repugnet illi: vt ex Gab. & Lorca notat Felix *c.20.diss.1.*

10 Sequelam illam (si Christus Dominus peccaret, Deus peccaret) aliunde probant *Suar. Montes. &c.* nempè ex eo quòd Deus tenebatur (inquiunt) regere, & gubernare illam humanitatem; sicut tenetur Prælatus gubernare subditos. Vnde inferunt, quòd sicut peccat Prælatus non impediendo peccatum subditi: Ita Deus peccaret non impediẽdo peccatum humanitatis vnitæ. Respondetur negando sequelam, & eius probationem; Nulla enim est ratio, ob quā teneatur Deus ex iustitia, sed solū ex congruentia regere, & gubernare humanitatem illam. Neque vrget exemplum. Prælatus enim tenetur ex iustitia ratione officij vitare peccatum subditi: & ideò, si non evitat, illi imputatur.

¶ Contra, quod motus appetitus sensitivi, & potentiæ loco motivæ (manus v.g.) imputantur voluntati solum ex eo quod illæ potentiæ sunt vnitæ cum illa: ergo sufficit, quòd humanitas Christi Domini, sit vnita cum Verbo ad hoc, vt Verbo, aut Deo imputetur peccatum humanitatis. Resp. negando antecedens: actus enim appetitus sensitivi, & potentiæ motivæ non ideò imputantur voluntati, seu homini, (si propriùs sit loquendum) quia illæ potentiæ sunt homini, aut eius voluntati vnitæ; sed quia taliter sunt vnitæ, vt non sit distincta scientia, & voluntas, qua regitur, & gubernatur tota natura, à scientia, & voluntate, qua reguntur, & gubernantur potentiæ sensitivæ. Humanitas autem Christi Domini non gubernabatur scientia, & voluntate increata Dei aliter ac cœteræ creaturæ gubernantur à causa prima: sed specialiter gubernatur scientia, & voluntate humana, non secùs, ac si non esset vnita Deo. Atque adeò Verbo non imputaretur peccatum humanitatis: sicut nobis, aut nostræ voluntati imputantur actiones appetitus sensitivi, & potentiæ motivæ.

DVBIVM III.

11 PEtes tertiò, an in casu, quòd Christus Dominus peccaret, destrueretur vnio hypostatica, sicut destruitur gratia habitualis, quando quis peccat mortaliter? Respondetur negativè. Quia nullum est fundamentum ad hoc affirmandum: ideò enim gratia habitualis destruitur per peccatum mortale, quia est forma sanctificans: quod non habet vnio hypostatica; *ex cap.7.diss.1.à numero 2.*

DVBIVM II.

12 Petes quartò, an in Christo Domino fuerit fomes peccati? Respondetur negativè. Quia minus

decentèr admitteretur in illo: quamvis enim non sit peccatum: tamen *ex peccato est, & in peccatū inclinat*: vt loquitur Trident. *sess.* 5 can. 5. Ita communissima senten[tia], quam tradunt multi Patres: immo videtur definita *à* 6. *Synodo* act. 11. quatenùs ibi definitur, in Christo Domino solùm fuisse passiones irreprehensibiles, innoxias, innocuas. Quare *in* 5. *Synodo* coll. 8. can. 12. damnatur quidā Theodorus Mopsuestensis, qui dixit, Christum Dominum passum de molestias, & rebellionem carnis. Legantur RR. præcipuè Arca *disp.* 58. *n.* 2. *& G. Hurtado disp.* 10. *diff* 8.

Sed imponitur Durando in .3. *q.* 3. *n.* 6. dixisse, in Christo Domino fuisse fomitem peccati, quamvis impeditum. Contra quē (inquit Felix *c* 2. *diff.* 2.) insurgit tota schola iudicans hoc absurdū. Tamen immeritò damnatur Durandus: quando enim dicit, *qualiter autem fomes possit totaliter auferri, non video,* loquitur de fomite, aut inclinatione naturali sumpta pro potentia, seu aptitudine potentiæ (visivæ v. g.) circa rem delectabilem: quam nō posse omnino tolli fatentur omnes, qui affirmant, passiones identificari realiter cum subiecto: Quo non obstā[te] fatetur Durandus *ibi num.* 8. quòd pronitas ad malum in appetitu sensitivo potest dupliciter impediri, ne exeat in actum secundum, scilicèt per causam extrinsecam; (puta per prouidentiam divinam) & tunc dicitur ligari: & per qualitatem, vel dispositionem aliquam intrinsecam: *& sic dicitur fomes auferri* (inquit Durand.) *non solùm ligari: quia ligamen videtur aliquid extrinsecum nominare: licèt neutro modo ipsa habitualis inclinatio secundùm se tollatur.* Immeritò ergo imponitur Durando negasse posse auferri fomitem in sensu Theologorum: & consequentèr asseruisse fuisse in Christo Domino. ¶ Sed vt ea, quæ contra nostram conclusionem obijci possunt, faciliùs solvamus examinare oportet, quid sit fomes peccati? Quidque de illo dixerint Authores propalare.

DVBIVM V.

11 PEtes quintò (incidenter) quid nomine fomitis, & concupiscentiæ intelligant Theologi? Respondetur longè distrahi. Quidam enim dixerunt, esse aliquam morbidam qualitatem physicam ortam ex peccato Adæ, & in peccatum inclinantem. Hoc tamen est difficile explicatu: quomodo enim illa qualitas contracta fuerit ab Adamo ex pomi comestione, non est facile. Immo, & longè difficilius est declarare, quomodo transfundatur in posteros. ¶ G. Hurt. *disp.* 10. *diff.* 8. *secutus Vazq.* existimat fomitem esse appetitionem ipsam appetitus sensitivi prævenientem rationem, & allicientem voluntatem ad id, quod ex obiecto est contra rationem.

nem. ¶ Felix *cap. 20. diff. 1. citans Lorcã, & Montes.* affirmat nõ consistere fomitem in appetitione, seu actu secũdo appetitus sensitivi, sed etiam in inclinatione appetitus per modum actus primi orta ex peccato, & in peccatum inclinante. Quæ sententia vera est; indiget tamen explicatione. Quare.

15 Dico primò, concupiscentia, seu fomes peccati consistit in inclinatione potentiæ per modũ actus primi orta ex peccato, & in peccatum inclinante. Quia in pueris ante vsum rationis, & in dormientibus est fomes: & tamen in eis non semper sunt actus secundi inordinati. Præterea etiam quando quis elicit actus inordinatos habet fomitem: ergo in illis actibus secundis consistere nõ potest, sed in actu primo stare debet.

¶ Sed obijcit prædictus G. Hurt. quod fomes idem est ac fomentũ ad peccandum: sed potẽtiæ inclinatio nõ fovet, aut excitat ad peccandum, sed immoderata appetitio illius: (vt appetitio libidinosa v.g.) ergò fomes stat in actu secundo, & non in actu primo. Resp. distinguendo minorem: non excitat ad peccandum per modũ actus secundi, cõcedo: per modum actus primi, ponderis, seu propensionis, nego. Concupiscentia autem, seu fomes debet collocari in eo, quòd semper, & pro semper manet: sicut peccatum tàm originale, quàm habituale.

16 Dico secundò, concupiscentia, seu fomes peccati dicitur quælibet potentia hominis, quatenùs est inclinata ad obiectum peccaminosum, seu per legem prohibitum. Quia hæc potentiæ inclinatio ortum duxit a peccato, & in peccatum inclinat. Vt enim fatẽtur omnes, & loquitur Trid. *sess. 5. can. 5.* fomes ortum duxit *ex peccato, & in peccatum inclinat.*

¶ Dices, quòd hæc potentiæ inclinatio est indifferens ad bonum, & ad malum, seu ad obiectũ prohibitum, & non prohibitum: ergo in ea nequit stare concupiscentia, seu fomes. Patet cõsequẽtia: quia fomes est determinatus ad malũ. Resp. prædictam inclinationem esse quidem indifferentem circa obiectum bonũ, & malum: est enim circa obiecta sibi convenientia, sivè sint secundùm legem, sivè contra legem. Tamen solum dicitur fomes peccati, seu concupiscentia, quando inclinat ad malũ.

17 Dices secundò, fomes ortum duxit ex peccato ex Trident. *sess. 5. can. 5.* Sed inclinatio potentiæ circa obiectum sibi conveniẽs fuit in Adamo ante peccatũ, fuissetque in eius posteris, si status innocentiæ perseverasset: ergo illa inclinatio non est fomes. Minor constat: nam potentiæ hominis in quocumque statu sunt indifferentèr inclinatæ ad obiecta sibi convenientia, sivè sint prohibita, sivè non. Respondetur, quòd in statu innocentiæ fomes fuit, & fuisset (si ille status perdurasset) extinctus per iustitiam originalem: ista

autem

item per peccatum amissa, inclinatio potentiæ circa sua obiecta mansit in Adamo, & in nobis effrænata: qua ratione à Theologis dicitur fomes peccati, seu concupiscentia. Pro plena tamen huius solutionis intelligẽtia, & quia hæc obiectionis enodatio altiora petit incipiã.

18 Dico tertiò, fomes peccati, & concupiscentia dicitur oriri à peccato Adæ solũ tãquã à removente prohibens, eò scilicèt quòd inclinatio cuiuscumque potẽtiæ hominis circa obiectũ sibi conveniens erat temperata per iustitiam originalẽ; atque adeò nõ dicebatur fomes peccati: ablata autem iustitia originali per peccatũ, mãsit concupiscentia, effrænis, qua ratione est fomes peccati & qua ratione manebunt potentiæ in quocũque statu nisi vi originalis iustitiæ, vel alterius doni coerceantur, seu detinentur.

19 Pro plena autem huius intelligẽtia suppono *ex tract. de Pecc. originali*, vnum ex effectibus iustitiæ originalis fuisse perfectam subiectionem potentiarum inferiorum voluntati; necnon, & perfectam subiectionem voluntatis Deo, seu eius legi, vel (vt alij locũtur) carentiam omnis rebellionis contra legem Dei. Consistebat autem ista perfecta subiectio in perfecta tranquillitate animæ *in quantum ad omnes potentias, ita quòd nulla inferior non inclinaretur contra dictum superioris; aut si inclinaretur quantùm est ex se, posset tamen à superiori regulari, & ordinari sine difficultate superioris, & sine tristitia inferioris*: inquit Scot. *in 2. d. 29. §. & vers. Potest dici.* Quod, & voluntati ipsi est accommodãdũ: quæ non inclinaretur contra legẽ Dei; aut si inclinaretur aliquando quantũ est ex se, posset tamen se ipsam regulare, & gubernare sine aliqua difficultate. Quare dicebat August. 14 *de Civit. c. 20. Erat tũc tranquilla devitatio peccati.* ¶ Hãc perfectam subiectionem potẽtiarum inferiorum ad voluntatem, & voluntatis ad Deum amisit Adamus sibi, & nobis per peccatum commissionis pomi. Quia, eo cõmisso, ablata fuit iustitia originalis: (quam trãsfusurus erat nobis) & consequenter manserunt potẽtiæ hominis indifferenter inclinatæ circa sua obiecta delectabilia, sivè essent contra, sivè secundùm legem Dei. ¶ Igitur peccatũ illud Adæ solũ tamquã removens prohibens fuit causa fomitis, (In quo sensu loquitur Trid. *sess. 5. can. 5.* & explicandi sunt PP. quoties absolutè dicunt, fomitẽ oriri à peccato) nempè qualitèr moralitèr destruxit iustitiam originalẽ, quæ refrænabat inclinationem illã potentiarum circa sua obiecta delectabilia. Quæ inclinatio, quatenùs est circa obiectum prohibitũ dicitur fomes peccati in toto rigore, sivè oriatur à peccato (per accidẽs & tãquã à removente prohibens) sive nõ. Quamvis verum sit, quòd Theologi communitèr solum vocant fomitẽ prędictã inclinationẽ deordinatam post Adæ peccatũ.

Ta-

Tamen secundùm veritatem eodemmodo illam vocarent, etiam si indè non oriretur v. g. si Deus creato Adamo ordinato ad finem supernaturalem non contulisset iustitiam originalem.

DVBIVM VI.

20 PEtes sextò, solutiones argumentorum, quæ fiunt contra nostram conclusionem *num.* 12. positam, qua statuimus in Christo Domino non fuisse fomitem peccati. Cōtra quam obijcies primò, quòd in Christo Domino fuit tristitia, & fuga mortis: quæ fuit pugna cum ratione: ergo fuit fomes peccati; immo actus secundus illius. Confirmatur ex Cyrillo Alex. *lib.* 10. *Thesauri cap.* 3. dicente: in Christo D. fuisse passiones, quæ vincerentur. Respondetur cum Lorca *disp.* 58. *num.* 8. *& Felix cap.* 20. *diff.* 2 negando secundā consequentiam: quia appetitus ille fuit excitatus ab imperio voluntatis; & sicut ratio postulabat; id est, non fuit maior, aut vehementior, quàm ratio ipsa præscripserit. Et ideò non habuit rationem fomitis, aut rebellionis. In nobis enim rebellio appetitus nòn consistit in eo, quòd appetatur aliquid diversum ab eo, quod vult voluntas; sed in eo, quod appetitus præveniat voluntatem, & rationem; & has potentias distrahat à proprijs actibus: aut in eo, quòd si excitetur à ratione, vel voluntate, sit maior, aut vehementior, quàm postulat voluntatis imperium, aut dictat ratio. Ad modum, quo, quādo ex voluntate Regis concives iocunditatis gratia inter se commovent pugnas; verè quidem inter eos datur pugna; non tamen dicitur bellū, sed Hispanicè *justas ò torneo.* ¶ Ad confirmationem dico, passionem illam (signatam *Matth.* 26. *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*: de qua intelligendus est Cyrillus ibi) surrexisse ex imperio voluntatis.

21 Obijciunt secundo, quòd Christus Dominus tentatus fuit à diabolo, vt nobis esset exemplum pugnandi, & vt nobis mereretur victoriam: ergo propter eosdem fines tentari debuit à concupiscētia. Respondetur negando consequentiam: quia tentatio diaboli nullomodo fuit indecens Christo Domino eo quòd fuit omnino ab extrinseco, & nullam deordinationem induxit in eius potentias. Tentatio autem fomitis fuisset indecens quia esset cum deordinatione potentiarum, & motuum humanitatis. Vt autem Christus Dominus nos instrueret contra omnem tentationem, & vt nobis impetraret victoriam, sat erat, vt cum vno hoste certaret. ¶ Contra, quod *ad Hebræos* 14 *num.* 15, dicitur, Christum Dominum fuisse *tētatū per omnia pro similitudine absque peccato*: ergo fuit tentatus, non solùm exteriùs, sed etiam interiùs. Confirmatur: quia in Christo Domino fuit cognitio, qua cognoscebat obiectum à diabolo pro-

ppositum : ergo fuit tentatus am interiùs. Respondetur ne-ndo consequentiam : quia ly omnia intelligendum est de nni tentatione, quæ non in-lvebat aliquam indecentiam: ideo quamvis tentatus fuerit iabolo; a Iudæis; immo & à Pe-o conante, illum divertere à orte: ob quod Christus Domi-s dixit illi : *Vade post me Satana; ndalum es mihi, Matth 16. nu-ro 23.* interiùs tamen non fuit ntatus. ¶ Ad confirmationem go consequentiam ; quia illa a cogitatio, qua allicitur volun-, vt consentiat appetitui con-rationem, aut contra impe-im voluntatis, dicitur tentatio erior. Cognitio autē, qua cog-scebat Christus Dominus id, od tentator proponebat, non labat, aut inducebat eius vo-itatem.

DVBIVM VII.

Petes septimò, quomodo fomes peccati extinctus fue-in Christo Domino ? Respon-tur positum fuisse in Christo D. oddam donum intrinsecum, à inclinatio potentiæ circa ob-um delectabile, extingueba-. Ita *Lorca disp. 58. n. 4. & Felix o. diff. 2.* & est conformis Scot. . d. 29. § *Potest dici* loquenti de itia originali, & illam collocāti liquo superaddito potentiæ. Vnde noto, ad consistentiā iu-æ originalis, non solùm in vo-luntate, & in intellectu, sed etiā in alijs potentijs collocandos esse singulos habitus, vt sic posset sine difficultate, immo delectabiliter avelli à suis delectabilibus, & ferri circa obiecta, quibus à voluntate applicarentur: vt docet Scot. *ibi vers. Ex hoc.* Quæ doctrina in præsenti est accomodanda. Ad extinctionem enim fomitis in Christo Domino distribuendi sunt habitus per singulas potentias; vt sic inclinatio potētiæ nō solū sit quasi sopita; sed etiam vt promptè, & sine aliqua molestia, imò & cum delectabilitate cesset à suo obiecto delectabili, seu illud non prosequatur, quoties erat contra rationem, aut contra legem Dei.

23 Sed Vazq. *disp. 61. cap. 8. num. 54. & Medina, quos citat, & sequitur G. Hurt. disp. 10. diff.* dicunt, fomitem fuisse extinctum ex speciali providentia, protectione, aut manutenentia Dei; vel ex visione, aut fruitione beata, sine aliquo dono interno superaddito. Et obijciunt, quod hoc est sufficiens ad repressionem inordinatorum motuum concupiscentiæ, seu fomitis. Respōdetur negādo: quamvis enim sufficeret ad impediendum actus secundos fomitis, non tamen ad extinguendum illū in actu primo.

DVBIVM VIII.

24 Petes octavò, an in Christo Domino potuerit esse ignorantia? Respondetur negativè.

(Sermo est de lege ordinata) Quia minùs decens est hoc concedere. Præterea Christus Dominus per scientiam beatam cognovit omnia, & singula, quæ Deus cognoscit tàm sciẽtia visionis, quàm simplicis intelligentiæ: (de quo cap. 8. diff. 1. à num. 22) ergo de facto, immo de potentia ordinata nihil ignorare potest: etenim secundũ legem communem debetur Christo Domino, aut eius humanitati debito congruentiæ omnis perfectio possibilis. ¶ Dices: de facto aliquid ignoravit: ergo falsa est conclusio. Antecedens probatur ex illo *Ioan.* 11. *n.* 34. *vbi posuistis eum?* illa enim interrogatio supponit ignorantiam. Respondetur negando antecedens: ad probationem dico, quòd interrogatio non semper supponit ignorantiam, aut nescientiam, seu non semper fit ad discendum: vt diximus *c.* 8. *diff.* 3. *n.* 17. In præsenti autem dicit Damascenus, interrogationem fuisse factam ex prudenti simulatione, vt inde occasionem sumeret eum resuscitãdi. ¶ Dices secũdò, quòd *Marci* 13. de die iudicij dicit Christus D. *de die autem illo, vel de hora nemo scit, neque Angeli in cælo, neque filius*: ergo aliquid ignoravit. Resp: negando consequentiam: quia ibi subintelligitur restrictio ista *ad manifestandum*: vt docet August. 1. *de Doctrina Christiana cap.* 12. Aut ista *proprio discursu*: vt docet D. Greg. *lib.* 8. *Epistolarum Epistola* 42. cum *Vazq. & Lorca*, *quos sequitur Felix cap.* 20. *diff.* 3.

DVBIVM IX.

25 PEtes nonò, an sit de fide Christum Dominum nihil ignorasse? (Sermo est de ignorantia vera, & propria; qualis est carentia scientiæ debitæ subiecto, quod ignorare dicitur. Nam de ignorantia lata: qualis est carentia scientiæ indebitæ; quæ carentia dicitur nescientia, non est difficultas: omnes enim, qui dicunt, Christum Dominum non cognovisse omnia possibilia, dicunt, aliquorum habuisse hanc ignorantiam, seu nescientiam. Immò G. Hurt. *disp.* 10. *diff.* 9. *num.* 19. dicit, esse convenientiam Theologorum, in Christo Domino fuisse nescientiam, seu ignorantiam negativam plurium possibilium: Fallitur tamen bonus senex Hurtado: est nostra, & multorum sententia; Christum D. omnia possibilia cognovisse. De quo latè egimus *c.* 8. *diff.* 1. *à num.* 24.) Respondetur negative. Quia nullibi est hoc definitum. Præterea *D. Athanasius orat.* 4. *contra Arianos*: *Cyrill. Alexand. lib.* 9. *Thesauri c.* 4. *& alibi*, *Ambrosius in libro de Incarnationis Dominicæ Sacramento c.* 7. *& Vigilius lib.* 3. *contra Eutichetem* concesserunt in Christo D. ignorantiam diei iudicij, & aliquarum rerum. Quod Hilarius *lib.* 10. *de Trinitate non longè à principio* non reprobat. De quo præcipuè legantur Lorca *disp.* 59. *n.* 5. *& Fel. c.* 2. *diff.* 3. Quos maximè miror dixisse, esse

esse temerariũ affirmare, in Christo D. fuisse propriam ignorantiā. Miror quidem. Si enim verum est, vt ipsi supponunt, tantos Patres id dixisse: & aliàs ab Ecclesia nō est damnatum, aut oppositum definitum; vt etiam ipsi fatentur; quomodo ab ipsis damnatur tamquam temerarium; immo, & tamquam errori proximum; vt loquitur Lorca? Igitur mihi dicendum est, saltèm propter auctoritatem prædictorum Patrum probabilitate gaudere.

26 Dices, quòd Agnoitæ damnati sunt, eoquòd dixerunt, Christum Dominum ignorasse diem iudicij. Respondetur negando ob hoc fuisse damnatos: vt advertit eruditus Lorca *disp. 59. num. 4. & Felix c. 20. diff. 3.* Quæ autem fuerit eorum hæresis; & qua de causa dixerint, Christum Dominum ignorasse diem iudicij, non est omninò certum: quoniam eorum error variè refertur. Quare dicendū est cum præcitatis Lorca, & Felix, verisimilius esse, fuisse damnatos; eoquòd Nestorianè supponebant, Christum D. esse purum hominem solùm per affectum cum supposito divino. Vnde dicebant, eum, vt sic, ignorasse diem iudicij. Meritò ergo dānati sunt, non quia concesserunt, diem iudicij fuisse ignoratum a Christo Domino, sed propter illud, quod supponebant, nempè in eo esse etiam creatam suppositalitatem.

(·.·)

DVBIVM X.

27 PEtes decimò, an de potentia absoluta potuerit esse in Christo Domino propria ignorantia? Aut positiuus error? Respondetur affirmativè cum communiori sententia. Quia potuit Verbum assumere naturam privatam omnibus donis tàm ad intellectum, quàm ad voluntatem spectantibus cùm hæc solum de congruo sint debita illi naturæ vnitæ. Propter quòd etiam potuit esse in illo positivus error. (quidquid renuant Suar. *disp. 34. sect. 3. & Ragusa disp. 116.*) Item potuit esse in illo error positivus non solùm speculativus, sed etiam practicus, & culpabilis (contra Vazq. *disp. 61. c. 9. n. 59. Lorcam disp. 59. n. 8. & G. Hurtad. disp. 10. diff. 9. n. 21.*) Quia in illo potuit esse peccatum: ergò à fortiori potuit esse in illo quicumque error, & ignorantia. Antecedens constat ex dictis *à n. 4.*

28 Sed pro sententijs Suarez, Vazq. &c. obijcies D. Anselmum *lib. 2. Cur Deus homo c. 13.* excludentem à Christo D. omnem ignorantiam, & omnem possibilitatem eius. Resp. loqui de facto & de possibili in ordine ad potentiā ordinatam. ¶ Obijcies secundò, quòd ignorantia nihil vtilitatis, aut honestatis potest habere conducens ad nostrā salutē, aut cū alio fine Incarnationis: ergo pugnat

 cum

cum vnione hypostatica. Respōd. (omisso antecedenti) negando consequentiam *cum G. Hurt. disp. 10. diff. 9. num. 21. & Felix cap. 20. diff 3.* potuit enim assumi propter alios fines nobis occultos. Hac ratione etsi nō appareat aliquis specialis finis dimittendi naturam assumptā, annihilādi Angelos, cęlos, &c. non negaremus hoc posse à Deo fieri. Igitur, quando in his quæstionibus non inveniamus alium finem istarum actionum sufficiet dicere posse à Deo fieri saltē ad ostendendum suum supremum dominium. Quare sola repugnantia ligat eius omnipotentiam, vt negem is aliquid ab eo posse fieri.

¶ Obijciunt tertiò, quod Papa errare non potest, & est infallibilis veritatis, quando loquitur ex Cathedra, seu vt Papa, propter assistentiam Dei. Sed humanitas Christi Domini habet maiorem assistētiam: ergo errare non potest. Respondetur distinguēdo minorem: est enim vera de assistentia physica, seu per physicam vnionem: falsa autem de morali, seu ex eo quod statuerit numquam concurrere cum Papa loquente ex Cathedra ad errorem, aut ignorantiam. Itaque statuit Deus se ipsum loquuturum per Papam, tamquā per organum, quoties Papa loquitur, vt Papa. Et ideò Papa vocatur organum Spiritus Sancti. Quod ex vi vnionis non habet Christus D.

29 Obijciunt quartò, opera Christi D. ab vnione recipiebant summam, aut infinitam dignitatem: ergo etiam locutiones illius recipiebant infallibilitatem ab vnione. Respondetur concedendo consequentiam de infallibilitate extrinseca: & negando de intrinseca. Itaque sicut stat benè, quod opera humanitatis habeant summam, aut infinitam dignitatem, & valorem extrinsecum, (illum scilicet, quem participant à supposito; quod solum extrinsecè, & denominatiuè concurrit ad substantiam operis) & simul habeant finitam dignitatem, & valorem intrinsecum. (illum scilicet, quem opus participat ab humanitate, & ab alijs causis finitis, à quibus recipit esse physicum) Ita stat benè, quod loquutiones Christi Domini habeant extrinsecam infallibilitatem ab infinita infallibilitate Dei, cum qua humanitas illa est substantialitèr vnita; (ista infallibilitas solùm per communicationē idiomatum convenit loquutioni Christi Domini) & simul habeant fallibilitatem intrinsecam, seu participatam à principijs fallibilibus, quæ ad eius physicam entitatem concurrunt. Recolantur dicta *n. 9. & 10.*

30. Ex dictis à fortiori infertur, non pugnare cum vnione hypostatica aliquem habitum erroris.

DV-

DVBIVM XI.

13 PEtes 11. an in viso corporeo Christus Dominus passus fuerit aliquam deceptionem? Resp. affirmativè. Quia pati illam deceptionem, quæ in nobis cōtingit, quando res distantes apparent nobis minores; quàm sunt in se: necnon & deceptionē illam, quæ nobis contingit, quando apparet color in iride; est maximè connaturale, & conforme naturæ visus; nullamque involvit indecentiam. Immo nō parum vtile est ad probandum veritatem naturæ assumptæ. Ita *Vazquez, Lorca, & Ragusa, quos citant, & secuntur. G. Hurtad. disp. 10. diff. 9. & Felix c. 20. diff 3.* (contra Suar.) Vnde falsò dicunt aliqui, Christum Dominū sua divinitate sic corroborasse sēsus suæ humanitatis, vt prorsùs sentiret res, sicuti erant, sivè propè, sivè longè, essent. Per hanc enim corroborationem impediretur cōnaturalis modus sensuum. Insuper sequeretur, Christum Dominum, non vidisse iridem, & similia signa, quæ nobis apparent in nubibus. ¶ Dices: ergo Christus Dominus per sensum acquisivit aliquem errorem in intellectu. Respondetur negando: (contra Franciscum Victoriam) quia quāvis ille modus cognoscendi per sensus aliquam occasionem erroris offerebat: tamen scientia Christi Domini corrigebat sensus in suis apprehensionibus. Sicut nostra scientia, & fides similes errores corrigit. Quare iudicamus, Angelum esse incorporeum; virgam in aquarum exitu existentem esse integram; abesse substantiam panis in Eucharistia; quamvis horum opposita sensibus appareant.

DIFFICVLTAS III.

De spectantibus ad passiones animi, seu de defectibus communibus corpori, & animæ Christi D.

DVBIVM I.

1 PEtes primò, quid sit passio animi, aut animæ? Respondetur duo significari in præsenti per hanc vocem *passio animi*, nēpè quemdam actum, seu affectum voluntatis (aliquando est passio, seu impulsus causatus saltèm partialitèr à prædicto affectu; vt de tristitia, & gaudio philosophamur Scotistæ cum Scoto *in 3. d. 15.*) ad quem sequitur motus appetitus sensitivi. Item per hanc vocē (*passio animæ*) significamus ipsummet motum appetitus sensitivi. In præsenti tamen sumimus passionem animi pro prædicto motu appetitus sensitivi tantùm. Hic autem dicitur communis corpori, & animæ: corpori quidem; eoquòd a corporali appetitu elicitur, & in corpore subiectatur. animæ autem, eo quod ab

ab eius intellectu, & voluntate dirigitur, & imperatur: aut quia ab actu, seu affectu voluntatis: quæ est potentia animæ, & cum illa realiter identificata,

DVBIVM II.

2 PEtes secundò, vtrum in Christo D. fuerint passiones animi? Respondetur affirmativè. Quia ex Scriptura constat, lacrymas fudisse; *Ioan. 11. num. 35. & lacrymatus est Iesus*: subijsse tristitiam: *Math. 26. n. 38. tristis est anima mea vsque ad mortem*: fuisse admiratum: *Math. 8. num. 10. audiens autem Iesus miratus est*. Aliasque animi passiones habuisse. Et ratio est, quòd Christus Dominus operabatur modo connaturali, & accomodato animæ informanti corpus. Naturalis autem modus operandi petit, vt voluntas possit movere appetitum ad prædictas animæ passiones, seu affectus. Vnde loquendo in generali de passionibus animi, & abstrahendo ab hac vel illa in speciali, nostra conclusio est definita à *Leone 1. in Epist. 11. & passim affirmata à 6. Synodo act. 4. & 8. necnon, & à multis Patribus citatis à Recentioribus, præsertim à Lorca disp. 60. num. 1.*

3 Est autem notandum, quòd quamvis prædictæ animi passiones affectus, seu motus appetitus sensitivi fuerint naturales in appetitu sensitivo Christi Domini, hoc est, eiusdem rationis, & entitatis, ac nostri: tamen in modo existendi, & in aliquibus conditionibus longè diversi fuerunt. ¶ Angelicus autem Doctor 1. 2. *à quæst. 22.* triplex assignat discrimen inter has Christi Domini operationes, & nostras eis similes. Primum est ex parte obiecti: nostræ enim frequentèr tendunt in illicitum. Secundum ex parte effectus: quia in nobis aliquando perturbant rationem. Tertium ex parte principij: quia sæpe absque rationis influxu, & contra voluntatis imperium excitantur solius naturæ impetu. In Christo autem Domino omnes fuerunt voluntariæ, & ductu rationis elicitæ. Quam doctrinam sumpsit D. Thom. *ex Leone 1. Epist. 11. ex Damasc. August. Athanasio. Gregorio, & Chrysostomo citatis à Lorca disp. 60. num. 3.* Et colligitur ex *Ioan. 11. Infremuit spiritu, & turbavit semetipsum*: etenim postrema verba voluntariam turbationem denotant.

4 Dices, aliquos PP. Græcos illa verba, *infremuit spiritu* sic exponere, vt fremitus ille fuerit indignatio quædam adversùs suam humanitatem flentem; per quam indignationem lachrymas illius compescuit. Respondetur cum Lorca ibi, prædictam expositionem non apparere convenientem. Quare, si fremitus ille fuit affectus iræ, non fuit contra suum appetitum, qui ductu rationis, & ex imperio voluntatis flebat:

sed

sed contra mortem, quæ Lazarum abstulerat, & humano generi dominabatur: vt vult Cyrillus *lib. 6. in Ioannem cap. 23*. Aut contra diabolum primum authorem mortis, & omnium generis humani miseriarum. (secundùm alios) Aut contra perfidiam Iudæorum: quæ fuit causa, vt tantum miraculum fieret, & vt Lazarus pateretur, vt præberetur occasio miraculi; & quia perfidia, adhuc facto miraculo, perseveratura erat: vt tamquam probabilius defendit Lorca *disp. 61. numero 35*.

DVBIVM III.

5 PEtes tertiò, à qua voluntate imperabantur illæ affectiones Christi Domini? Respõtur, quod ab humana. Quia non est necessarium recurrere ad divinam: quæ per concomitantiam tantùm ibi se habet, & tamquam causa vniversalis.

DVBIVM IIII.

6 PEtes quartò, an prædicti affectus imperentur à voluntate, tamquam ab instrumento divinitatis? Respondetur negativè. (contra Vazquez, & Felix) Quia supposita perfectissima cognitione Christi Domini, & eius impeccabilitate consequenti, qua numquam peccaturus erat; sufficiebat imperium rationis ad gubernandum prædictos motus. Sicut sufficiebat in Adamo ante peccatum, in Beata Virgine, & in Beatis. Et sicut sufficit confirmato in gratia ad sic regendum appetitum sensitivum, vt non committat aliquod mortale; & sicut sufficit Prædestinato, ne committat finale mortale.

DVBIVM V.

7 PEtes quintò, an dicti motus appetitus sensitivi absolutè appellandi sint passiones? Respondetur affirmativè *cum communi Patrum, Scholasticorum, & Philosophorum*. (Præ cœteris videatur Lorca *disp. 60. num. 3.*) Quia nomen *passio* commune est ad significandum motus ordinatos, & inordinatos: ergo vocando absolutè passiones prædictos motus non concedimus fuisse inordinatos. ¶ Sed Stoici Philosophi hos affectus vocant passiones solùm, quando sunt inordinati, & exorbitantes à regula rationis. Quare secundùm istos nomen *passio* aliquid mali sonabat. Quos etiam imitatus est Cicero *in 4. Tusculana*. Et ideo D. Hieronymus (vt ex D. Thom. notat Lorca ibi) timuit passiones Christo Domino concedere: sed distinxit inter passiones, & propassiones: & passiones vocat motus inordinatos, aut repugnantes rationi: pro-

pasſiones verò vocat motus non consumatos, ſeu affectus, qui rationem paſsionis non attingunt: affirmatque in Chriſto Domino concedendas eſſe propaſsiones; non autem paſsiones. Et advertit, propter hoc notantèr dixiſſe Evangeliſtam, quòd Chriſtus Dominus *cœpit triſtari*, & non quòd triſtatus eſt. ¶ Tamen differentia illa inter paſsionem, & propaſsionem a Hieronymo aſsignata non eſt in via; (vt advertit eruditus Lorca citatus) neque poteſt applicari affectibus Chriſti Domini. Quia propaſsio eſt affectus ſubitò ſurgens, indeliberatus, ſeu primò primus: (vt tradit ipſemet Hieronymus *in caput* 5. *Matth.* ad verba illa. *Qui viderit mulierem, &c.*) In Chriſto autem Domino nullus fuit affectus appetitus, qui non eſſet plenè deliberatus: & ideò null⁹ fuit, qui poſſet appellari propaſsio, adhuc admiſſa prædicta differentia paſsionis & propaſsionis. ¶ Nec Evangeliſta dixit, quòd Chriſtus Dominus *cœpit pavere, & tædere*, ſeu triſtari; quia ſolùm fuit initium triſtitiæ, & non plenus motus; ſed vt declararet tempus, in quo triſtitia illa incœpit. ¶ Hæc de paſsionibus animæ in communi, ſeu abſtrahendo ab hac, & illa ſufficiant. Pro pleniori autem, & clariori intelligentia de aliquibus in ſpeciali eſt diſputandum.

DVBIVM VI.

8 Petes ſextò, quid de triſtitia, & dolore Chriſti Domini ſit dicendum? Reſpondetur meritò dixiſſe Fabrum *ſuper 3. diſput. 39. num.* 1. quod Scotus ibi circa materiam de dolore, & triſtitia Chriſti Domini eſt ſatis prolixus, & difficilis. Quare ego claritatis gratia naturas doloris, & triſtitiæ præexaminabo.

DVBIVM VII.

9 Petes ſeptimò, quid ſit dolor, & triſtitia propriè accepta? Reſpondetur, quòd ex Auguſtino 14. *de Civit. cap.* 15. *dolor eſt offenſio ſeu paſsio animæ inexiſtens primo ſecundùm partem ſenſitivam proveniens ex carne.* Vbi ly *offenſio* idem valet, ac qualitas offenſiva ſubiecti, in quo exiſtit. Et per hanc particulam dolor differt à gaudio, ſeu lætitia, & ab alijs ſimilibus qualitatibus. ¶ Per ly *primò inexiſtens ſecundùm partem ſenſitivam* denotatur, ſubiectum doloris debere eſſe materiale, ſeu ſenſitivum; quamvis aliquando contingat, quod inde redundet in animam, ſeu voluntatem propter connexionem, quam habet cum ſenſibus. Tamen tunc non dicitur dolor primo inexiſtere in voluntate: immo neque dicitur dolor propriè, ſed triſtitia.

¶ Ly *proveniens ex carne* declarat, dolo-

dolorem frequentèr oriri ex læsione carnis. Non tamen sufficit Læsio carnis ad dolorem; vt patet in patientibus extasim, qui quamvis percutiantur, nõ sentiunt. Nec læsio carnis est necessaria: vt patet in iumente potionem amaram; quæ physicè nõ lædit carnem, sed solùm intentionaliter immutat gustum. De quo legatur Fabro *ibi num. 7.*

10 Tristitia ex eodem Augustino ibidem *est offensio inexistens secundùm se, & primò secundùm partem intellectivam.* Quæ definitio satis constat ex declaratione definitionis doloris: estque eadem cum illa, quam communitèr asserũt ex eodem Augustino ibidem: *Tristitia est dissensio ab his rebus, quæ nobis nolentibus accidunt.*

11 Ex quibus patet, dolorem propriè esse in parte sensitiva; tristitiam autem in intellectiva: quãvis aliquando largè loquendo alitèr loquamur. ¶ Est autem advertẽdum, quòd cùm in parte intellectiva, seu rationali, prout distincta à sensitiva, sint duæ facultates, nẽpè apprehensiva: quæ est intellectus; & appetitiva, quæ est voluntas: tristitia non habet pro subiecto animam, vt est virtus apprehensiva, sed vt est virtus appetitiva, seu (vt communitèr locũtur, quamvis minùs propriè: vt ego reor) tristitia nõ subiectatur in intellectu, sed in voluntate. ¶ Pariformitèr philosophandum est de dolore: subiectatur enim in anima sensitiva, non vt est virtus apprehensiva, sed vt est appetitiva.

12 Est autẽ non leve dissidiũ in declarãdo an tristitia sit actus potẽtiæ appetitivæ? an passio in ea causata? Dicimus enim Scotistæ, (contra Thomistas) non esse actũ, sed passionem. (sumptam nõ pro passione pertinente ad prædicamẽtum passionis: nec pro passione identificata cum essentia: nec pro passione identificata cum motu, seu actione: sed pro passione pertinente (reductiuè saltem) ad tertiam speciem qualitatis; quę dicitur passio seu passibilis qualitas propter quod hæc qualitas, seu tristitia denominatur passio: aut quia cùm non sit in potestate subiecti in præsentia agentis, illam qualitatem non recipere, non dicitur agere, sed pati in eius productione & receptione.) Et ratio est, quod omnis actus nolitionis est in nostra potestate. Sed tristari nõ est in nostra potestate: ergo nõ est actus voluntatis, sed quid causatum in illa. Minorem probat experientia sæpe enim volumus tristari de peccatis v. g. & ponimus nolitionem illorum; & tamen non tristamur. Præterea sæpe nolumus tristari, & tamen tristamur. Demum probatur à contrario: (etenim contrariorũ eadem est ratio) gaudiũ enim: lætitia, seu voluptas non est actus sed passio, aut quid causatũ in voluntate: ergo & tristitia. Antecedens constat eodem argumẽto, scilicet, quia nõ est in nostra potestate lætari, gaudere, aut habe

re voluptatē. Item constat *ex 10. Ethic. cap. 5. textu* 20. vbi dicitur, *Voluptates ita esse coniunctas cū operationibus, vt contentio sit, si idē sit operatio, & voluptas.* ¶ Ad omnes autem authoritates dicentes, tristitiā esse actū, vel affectū, respondetur, loqui in sensu causali nō in formali: id est, sumunt tristitiā pro actu, qui ipsam antecedit, & est causa, seu conditio sine qua non respectu tristitiæ.

DVBIVM VIII.

13 PEtes 8. quomodo causentur dolor, & tristitia? Resp. hoc pendere ex aliquibus suppositis, aut supponendis. Igitur suppono primò ex Scoto *in 3. dist. 15. §. Aliter* quod in rerum natura inveniuntur diversa entia absoluta: quorum vnum natum est perficere aliud, & aliud natum est perfici ab illo. Vnde fit, quòd quando approximātur, & coniunguntur, oritur in perfectibili quædam delectatio; quæ est qualitas inducta à perfectivo; quāvis dicatur passio ob rationem num. præcedenti assignatam. ¶ Rursus sunt in rerū natura aliqua quorum vnū natū est corrumpere aliud, & aliud capax est corrūpi ab illo. Vnde fit, quòd quando approximantur, & coniūguntur, oritur in passo dolor, seu tristitia: quæ est quædam qualitas inducta in passum ab agente corruptivo: quāvis aliàs vocetur passio ob rationem *num.* 12. tactam. Sit exemplum in dulci v. g. quod natum est perficere temperamētum gustus; & in amaro, quòd natum est illud corrumpere. Quare posita applicatione, seu approximatione vnum inducit prædictam qualitatem, & aliud illam recipit.

14 Suppono secundò, quòd sicut perfectibile quadam naturali inclinatione appetit suum perfectivum: ita illud, quod corrumpitur ab alio, simili quadam innata inclinatione suæ conservationis refugit suum corruptivum. Atque adeo sicut quando perfectibile approximatur suo perfectivo; recipit ab eo qualitatem delectativā, quæ iuvat ad conservationē subiecti: ita quando id, quod est corruptibile ab alio, approximatur suo corruptivo, recipit ab illo dolorem, seu tristitiam; (sermo est de viventibus vitam sensitivam, aut rationalem.) quæ est qualitas nata pugnare cum conservatione subiecti.

15 Igitur sic causatur tristitia: Apprehendit intellectus obiectum disconveniens, vt præsens, & illud proponit voluntati; quæ elicit actum nolitionis, displicentiæ, aut fugæ circa illud: & tunc in voluntate resultat quædam qualitas, seu passio animæ, quam Scotistæ appellamus tristitiam. (Eodē modo causatur delectatio, gaudiū, seu lætitia ex apprehensione obiecti convenientis præsentis, & ex volitione, complacentia, aut adhæsione voluntatis ad illud) Pariformiter causatur dolor in appeti-

tu

tu sensitivo. Apprehensiva enim potentia (sive sit distincta à sensu communi, sive non) percipit obiectum disconveniens, vt præsens & illud proponit potentiæ appetitivæ: & ista circa illud elicit actũ fugæ, seu displicentiæ. Quibus positis, in appetitu sensitivo resultat quædam qualitas, seu passio: quæ est tristitia sensibilis, seu dolor causatus immediatè ab obiecto, vel ab apprehensione, & fuga iuxta nupèr dicta.

16 Circa causam verò tristitiæ variè potest philosophari cum Scoto: Etenim *in 4. dist. 14. q. 1. §. De tertio articulo verf. sed tertium* affirmat Scotus apprehensionem; & nolitionem obiecti disconvenientis esse proximas causas tristitiæ. De quo legatur Hugo Cavellus *in Scholio ad illum* §. At verò *in 3. dist. 15. §. Aliter* cõcedit, quòd obiectum causat prædictã passionem, & quòd apprehensio, & nolitio obiecti solùm sunt conditiones necessariò requisitę ad causandum. Quas conditiones Scotus ibi, & multi alij vocant conditiones sine quibus non. Præcipuè legatur *verf. Ratio igitur, & Hugo Cavellus in Scholio ad illum.* §.

17 Nota, quòd secundùm Scotum aliter adhuc potest causari tristitia, nempè per solam apprehensionem obiecti disconvenientis inclinationi voluntatis, quamvis aliàs tale obiectum non sit nolitum. ¶ Potest item defendi secundùm ipsum, ad causandum tristititiam in voluntate non requiri, quòd obiectum sit disconveniens voluntati, sed sufficere, quòd sit disconveniens appetitui sensitivo. Tunc enim ob connexionem voluntatis cum appetitu sensitivo, fit, vt tale obiectum apprehensum per intellectum, & repræsentatum appareat disconveniens ipsi, vel voluntati; & sic in illa causatur tristitia vel ab apprehensione immediatè; vel ab obiecto ipso, supposita apprehensione, tamquam cõditione: vel fortè supposita etiam displicentia, aut nolitione. Quodcumque enim potest probabiliter defendi secundùm Scoti principia. De quibus omnibus legatur Scotus *in 3. dist. 15. à §. Præter illum; & Hugo Cavellus in prædicto loco.*

DVBIVM IX.

18 Petes nonò, vtrùm in Christo Domino fuerit dolor? Respondetur affirmativè. Quia in sua passione approximatum fuit obiectum dolorificum; & sine fundamento diceretur, quòd non fuit propositum potentiæ appetitivæ per apprehensivam: ergo passus fuit dolores: immò maximos. Propter quod Christus Dominus dicitur *vir dolorum Isaiæ 53.* ¶ Hæc conclusio intellecta de dolore sensibili est convenientia Schola-

sticọ-

sticorum, & Patrum; vno excepto Hilario 10. *de Trinitate* oppositum insinuante.

19 De mente autem Hilarij, lis est inter Scholasticos. Sunt enim, qui existimant, Hilarium sensisse oppositum, quamvis inculpabiliter ex ignorantia. Quare D. Bonavent. *in 3. dist. 16. art. 1. q. 1.* refert, Guillermum Parisiensem legisse librum, in quo Hilarius hanc sententiam retractavit. ¶ Alij verò diversimodè conantur Hilariũ explicare. Ita *Magister D. Thom. Alensis, &c.* Ex quibus aliqui dicunt, solùm negare Christum D. secundùm divinitatem fuisse passum dolores, aut similes affectiones. Agebat enim contra Arianos, qui oppositum affirmabãt, & cõtra quos Hilarius scripsit libros de Trinitate. Ita *Suar. & Becanus c. 12 q. 6. num. 4.* vbi notat, omninò excusandum esse Hilariũ propter verba Hieronymi, *t. 1. Epist. 7. ad Lætam*, dicentis: *libros Hilarij in offenso decurrat pede.* ¶ Aliqui putant, Hilarium solùm negare in Christo Domino necessitatẽ subijciendi se doloribus. Recolantur dicta *dist. 1. à n. 10.* ¶ Alij demum dicunt solùm negare, dolorẽ fuisse in Christo D. eo modo, quo est in nobis, nimirũ ex debito peccati, seu ex cõditione naturę corruptæ. In quo sensu explicãdꝰ est Clemẽs Alexãdrinus *lib. 3. stromatũ (id est de varijs rebus)* dicẽs, Christũ D. nõ indiguisse cibo, & potu, & rursꝰ quòd neque erat passibilis, neque subiectus doloribus.

DVBIVM X.

20 PEtes decimò quãta fuerit acerbitas, & magnitudo dolorum Christi Domini? Respondetur fuisse adeò intensè magnam, vt excesserit quemcunque martyrum dolorem; iuxta illud *Threnorum 1. Attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus.* ¶ Blasphemè tamen in hoc erraverunt Calvinus, Brentius, Melãcthon, & alij hæretici dicentes, (teste Bellarmino *lib. 4. de Christo*) quòd non solùm pertulit dolores relatos in scriptura, sed etiam inferni cruciatus, & dolores ab illa hora, qua in horto oravit, vsque ad crucem. Et per dolores inferni intelligunt non pœnam sensus, sed damni, seu quamdam participationem illius, quæ consistit in interna, ac vehementi anxietate: quam dicunt habuisse Christum D. eo quod vehementissimè timeret, ne à morte absorberetur, ac perpetuò maneret alienatus à Deo ¶ Sed hæc hæresis plures continet blasphemias: vt notat Fabrus *super 3. disp. 38. num. 14.* Prima est, quòd Christus D. dubitaverit de propria salute, ac senserit, Deum sibi fuisse iratum. Quòd pugnat divinitati Christi Domini eius gratiæ, innocentiæ, perfectissimæ scientiæ, ac iustitiæ divinæ. Pugnatque cum verbis illis *Matth. 26. num. 53. An putas, quia non possum rogare Patrem meum; & exhibebit mihi modò plusquam duode-*

cim

cim legiones Angelorum? Item hi hæretici tribuũt Christo D. desperationem. Quod est plusquam impium, & intolerabilis blasphemia. Legatur Fabrus ibi.

DVBIVM XI.

21 PEtes vndecimò, an in Christo Domino fuerit tristitia? Respondetur affirmatiuè. Quia *tristis est anima mea vsque ad mortem Matth*. 26. Quare conclusio ista est de fide. ¶ Obijcies *Isaiæ* 42. dicitur de Christo D. *non erit tristis, neque turbulentus*. Respondetur non negari ibi Christum Dominum aliquando fuisse tristem, sed solùm intenditur, quòd frequentèr non se ostendebat tristis. Aut solùm intenditur negare Christo Domino effectum tristitiæ, qui sæpè reperitur in nobis, nempè turbationem rationis, & tranquillitatis animæ ¶ Obijc. secundò, quòd Christus Dominus erat perfectè beatus: ergo habebat gaudium, imò & summum: quia habebat summam beatitudinem: ergo non poterat tristari. Respondetur cum Cano *lib*. 12. *de locis communibus cap*. 14 (vt ex Suar. refert Fabrus *super* 3. *disp*. 39. *n*. 30) gaudium, seu delectationem prouenientem à beatitudine fuisse in Christo Domino suspensum tempore passionis (quod non esse improbabile iudicat Felix *cap*. 2. *diff*. 5.) Et colligitur ex illo *Matth*. 27. *num*. 46. *Deus, Deus meus, vt quid dereliquisti me*? Cùm enim nõ fuerit derelictus auferendo ab illo vnionem hypostaticam, gratiam, aut gloriam essentialem; videtur derelictus auferẽdo ab eo gaudiũ, & lætitiam. Et ratio est, quòd cũ summo gaudio nullus gradus tristitiæ potest componi in eodem subiecto, etiam si sit de diuersa materia. Et ideò Beati de nulla materia tristantur. Propter quod mihi displicet solutio huius obiectionis quam aliqui adducunt: nempè cum summo gaudio Christi Domini de obiecto beatifico componi posse tristitiam de morte, & passione. Recolantur dicta *diff. præced. num*. 2. & *cap*. 8. *diff*. 1. *num*. 5.

DVBIVM XII.

22 PEtes duodecimò, an tristitia reperta in Christo Domino fuerit solùm in appetitu sensitiuo? an etiam in voluntate? Respondetur fuisse etiam in humana voluntate Christi Domini. Quia sic propriè saluantur verba scripturæ. Dicitur enim *Lucæ* 22. *num*. 42. *Non mea voluntas, sed tua fiat*: & *Matt*. 26. *n*. 39. *Non sicut ego volo, sed sicut tu*. Quod & docet Agatho Papa *in* 6. *synodo act*. 4. vbi ex voluntate, seu ex displicentia, & tristitia, quæ illam consequuta est, intulit cocilium, fuisse in Christo Domino voluntatẽm humanã: ergo aperte supponit, tristitiam fuisse in voluntate humana. ¶ Sed noster Titelmanus circa illud *Matth*. 26. *Tristis est anima mea vsque* ad

ad mortem affirmat, in voluntate Christi D. nullam fuisse tristitiam. Et Caiet. *q.46. circa articulum 7.* satis indicat, non fuisse tristitiam in voluntate Christi Domini sed in eius appetitu sensitivo. Hæc tamē doctrina nec vera est, nec tuta. (inquit Lorca *disp.61.n.4.*) Quare nostram conclusionem defendunt *ipse Lorca, Felix cap. 20. diff. 5. Gas. Hurt. disp. 10. dif. 11. multique alij communitèr citati.* ¶ Sed pro opposita sententia obijcitur: Christus D. fuit perfectè Beatus in voluntate: ergo tristitia illius solùm potuit esse in parte sensitiva. Patet consequentia, quia cu summo gaudio nullus gradus tristitiæ potest cōponi: *vt num. præced.* dicebamus. Resp. negando consequētiam. Ad probationem dico, gaudium Beatificum (quod de lege ordinaria sequitur ad fruitionem) fuisse suspēsum tēpore passionis; & quoties fuit tristitia in voluntate Christi D. vt *n. 21.* dicebamus.

DVBIVM XIII.

23 Pretes 13. an tristitia reperta in Christi D. voluntate fuerit in portione superiori, an in inferiori? Resp. solùm fuisse tristatū, aut potuisse tristari secundùm portionem inferiorem. Quia sic loquuntur communitèr. Cùm ergo hæc dubitatio sit quæstio de nomine; (vt mihi est persuasum) à modo loquendi Patrum, & Scholasticorum discedere non debemus. Pro clariori autem notitia huius examinandum est (incidentèr) quid de vtraque portione dixerint Auctores.

DVBIVM XIV.

24 Petes decimoquartò quid sint portio superior, & inferior? Respondetur, quòd portionem animæ multi vocāt rationem: eamque divisit D. Aug. 12. *de Trinitate præsertim cap. 2. 4. & 14.* in superiorem, & inferiorem. Quam divisionem admittūt omnes; & nos latè explicuimus *in tract. de Peccatis (nondum typis mandato) disp. 8. q. 3.* Vnde aliqua sunt in præsenti supponenda. ¶ Igitur secundùm Augustinum *portio superior est, quæ intendit rebus æternis, & legi diuinæ conspiciendis, & consulendis. Inferior autem, quæ versatur circa temporalia, & per rationes temporales iudicat.* ¶ Advertunt communitèr, divisionem istam salvari in eadem potentia per diversa munera. Id enim expressit Augustinus *cap. 13.* dicens: *Cùm igitur differimus de natura mentis humanæ, de vna quidem re differimus: neque eam in hæc duo, quæ commemoravi, nisi per officia geminamus.*

25 Item suppono cum Scoto *in 2. distin. 24. quæst. 1. §. & versic. Dico*, nos sub nomine rationis, seu portionis comprehendere non solùm intellectum, sed etiam memoriam, & voluntatem. Itaque sicut intellectus dicitur ratio, seu portio superior, quatenùs contemplatur res æternas: ita memoria, quatenùs conservat species ad recordatio-

tionem æternorum necessarias, pertinet ad rationem, seu portionem superiorem. Item voluntas, quatenùs consentit rebus divinis, & æternis, pertinet ad rationem superiorem. Eodem modo loquendum est de ratione, seu portione inferiori: ad quam non solū pertinet intellectus, sed etiam memoria, & voluntas. Quod expressit Augustinus *cap.* 3 dicens *Rationem, & appetitum rationalem, vel si quo alio modo significantiùs dici potest, vna mentis natura complectitur.* ¶ Demùm suppono cum Scoto in 3. *dist.* 15. §. *& versic. Quantùm ad tertium, & cum Cavello ibi,* quòd quamvis (si strictè loquamur) eadem potentia (sivè sit intellectus, sivè memoria, sivè voluntas) dicatur ratio, seu portio superior, vt tendit in obiecta æterna; & vt tendit in obiecta temporalia, dicatur ratio, seu portio inferior: Tamen largè loquendo, portio superior respicit omnia vt ordinata ad æterna; aut sub motivo æterno; vt loquitur Becanus *cap.* 12. *q.* 7. *n.* 6.

26 Vnde constat nostra conclusio posita *num.* 23. Pro clariori tamen illius notitia ex dictis infero primo, Christum Dominum non potuisse tristari secundùm portionem superiorem strictè sumptā, seu quatenus attingebat Deum. Quia Deus clarè visus, & perfectè possessus non potuit repræsentari, vt disconveniens naturali inclinationi voluntatis, aut appetitus sensitivi Christi D. & cōsequentèr non potuit causare in eius voluntate tristitiā. Sed Deus clarè visus spectat ad portionem superiorem: & aliàs Christus D. semper clarè, & intuitivè videbat Deum; ergo nón potuit tristari secundùm portionem superiorē strictè sumptam, saltèm circa hoc obiectum. ¶ Dices; alia sunt obiecta portionis superioris: ergo etiam si circa Deum clarè visum non possit tristari Christus D. potuit tristari circa aliud: v. g. circa pœnas inferni imminentes suis membris; circa amissionem beatitudinis hominum, &c. Antecedens autem videtur certum, & statutum ab Augustino *num.* 24. citatum: propterea enim dixit, quod portio superior erat, *quæ intendit rebus æternis*: si enim solus Deus clarè visus esset obiectum portionis superioris; non loqueretur in numero plurali; sed in singulari diceret, portionē superiorem esse, quæ intendit rei æternæ. Respondetur concedendo totum. Itaque quando dicitur, Christum D. no potuisse tristari in portione superiori, seu secundū portionem superiorem, solū intenditur, quod circa præcipuū obiectū illius portionis (quod est Deus clarè visus) nō possit tristari: nō autē, quòd nō possit tristari circa aliud obiectū ex illis, ad quæ se extendit portio superior.

27 Infero secūdò potuisse Christū D. tristari secundū portionem superiorem largè sumptā. Quia eius voluntati potuit repræsētari aliquod tri-

tristativum temporale, vt ordinarium ad æternum, & potuit a voluntate efficaciter appeti: ergo potuit causare tristitiam in voluntate secundum portionem supperiorem largè sumptam. Patet consequentia: quia efficaciter acceptare id, quod aliàs displicet, causat tristitiam: vt patet in projiciente merces in mare, ne submergatur; in sumente potionem amaram, &c. Antecedens autem constat: mors enim potuit repræsentari, & displicere Christo Domino quatenùs erat contra inclinationem, qua eius voluntas propendebat in bonum huius personæ in ordine ad æterna.

28 Ex his à fortiori infertur, voluntatem humanam Christi D. potuisse tristari secundùm portionem inferiorem. Potuit enim repræsentari eius voluntati aliquod tristitivum temporale; & ab illa efficacitèr appeti: vt contingit in eius morte, & passione. ¶ Ex quibus omnibus aperta manet nostra coclusio *num.23.* posita; nec aliud in ea intendimus, quàm id, quod *à num. 26.* explicuimus, nempè non potuisse Christum Dominum tristari secundùm portionem superiorem de aliquo illius obiecto, nempe de Deo clarè viso: benè tamē secundum portionem inferiorem secundum quam potuit tristari de quocumque obiecto illi' ¶ Dices: ergo in voluntate humana Christi Domini poterit simul esse gaudium, & tristitia, gaudium inquam, secundùm portionem superiorem de Deo clarè viso v.g. & tristitia de morte, & passione v.g. secundùm portionem inferiorem. Respondetur negando: quia cum summo gaudio, (quale est beatificum Christi Domini) nullus gradus tristitiæ potest componi in eodem subiecto. Recolantur dicta *num. 21.* vbi statuimus tempore tristitiæ Christi Domini suspensum fuisse gaudium beatificum.

DVBIVM XV.

29 PEtes decimoquintò, de quibus obiectis fuerit tristitia in voluntate Christi Domini? Respondetur aliqua in præsenti esse certa. In primis enim certū est, Christum Dominum non fuisse tristatum de carentia beatitudinis propriæ, aut de aliquo peccato proprio. Quia certo certiùs sciebat Christus Dominus nullū ex his sibi aliquando eventurū. ¶ Item est certum, Christum Dominum fuisse tristatū de morte, & passione. Quia *tristis est anima mea vsque ad mortem, Matth.26.nu.38.* Quā tristitiam sibi è morte imminente evenisse fatentur communissimè. Et propterea dixit: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste: ibidem.* ¶ Dices: Christus Dominus sciebat, suam mortem, & passionem esse volitam à Deo; allaturamque sibi, & hominibus gloriā: ergo respuebat & nolebat id, quod Deus volebat; eratque hominibus profuturum. Resp. ita esse.

30 Contra: ergo peccavit: peccat enim qui descordat à volunta-

te

te Dei. Respondetur negãdo: nullum enim est peccatum discordare à voluntate divina sub hac conditione, *si esset factibile sine culpa; aut nisi Deus aliter disponat.* Quam voluntatem cõditionatam significavit Christus D. præcitatis verbis: *Pater, si possibile est, &c.* ¶ Instabis, quòd etsi secundùm Scotũ *in 3 dist. 15. §. Vltimò dicendum versic. Quantum ad hoc*, non potuerit Christus D. nolle mortem, & passionem affectu, seu nolitione absoluta, adhuc secũdùm portionem inferiorem: aliàs sequeretur, in eadem potentia esse duos actus oppositos absolutè. Tamen vt testatur Fabro *ibi num. 24.* Scotus in hac dubitatione (an Christ' D. secundùm portionem inferiorem potuerit nolle mortem affectu absoluto?) est problematic' & consequenter saltèm probabilitèr dicere tenemur secundũ Scotũ, ChristũD. absolutè discordasse à voluntate divina nolendo, seu respuẽdo mortẽ, & passionẽ. Resp. quod quidquid sit de veritate testificationis Fabri circa menten Scoti, si Doctor sit problematic', nos sequẽdo determinatè alterã partem problematis affirmamus, Christũ D. sola nolitione cõditionata refugisse mortẽ, & passionẽ: in qua nolitione certũ est, nullum inveniri peccatum.

DVBIUM XVI.

31 Petes 16. modũ loquendi in præsenti. Cũ enim cõstet ex dictis, & sit certũ, Christũ D. circa passionem, & mortem sitã habuisse duas voluntates quasi contrarias. Etenim quantum erat in se, & conditionatè (scilicèt sub hac conditione, *si esset possibile*, aut *à Deo disponeretur*) nolebat mortẽ, & passionem: ex alia autem parte absolutè voluit mori, & pati. Quod & in alijs cõtingit: qui enim patitur naufragium, vult, quantũ est in se, & cõditionatè (si aliàs posset fugere naufragium) non proijcere merces in mare: & tamẽ absolutè eas vult proijcere, & proijcit. Idem patet in sumente potionem amaram, &c. Igitur dubitatur, quænã ex his volitionibus sit dicenda absoluta, & simpliciter? & quænam solũ secundùm quid? Resp. quòd velle mortem in Christo D. (Idem est dicendum de velle proijcere merces, &c.) est absolutum, & simpliciter; velle autem effugere mortẽ conditionatè, seu quantũ est ex se, est solùm secũdũ quid. Quia in priori actu resplẽdet plenũ dominiũ volũtatis, & ideò volũtas illum actũ exercendo prævalet contra alium, seu exercet oppositum illius, quod per aliũ actum volebat. Ita Scotus *in 3. d. 15. in fine §. Vltimò vidẽdũ, Fab. ibi disp. 39. n. 34. & multi alij.*

32 Sed D. Th. 2. 2. q 125. *art. 4. in corpore* oppositũ videtur defendere, quatenùs affirmat ex Philosopho, quod ea, quæ ex timore fiũt, nõ sunt simpliciter volũtaria, sed mixta ex voluntario, & involuntario. Sic docet Arist. 3. *Ethic. cap.*

cap. 1. Resp. solùm loqui in casu, quòd ex timore minuitur cognitio. Tunc enim defectu perfectæ cognitionis deficit perfectũ voluntariũ. Quod Christo D. nequit adaptari. Cuius timor non perturbavit rationẽ. Resp. 2. hanc Philosophi doctrinã non esse ad rem. Aristoteles enim nõ comparat volitionẽ cõditionatam cũ absoluta; (istas scilicet, volo, seu vellem cõservare merces, si possem effugere naufragiũ: & volo proijcere) sed dicit in illo casu, & similibus reperiri voluntariũ non simpliciter, & ex omni parte. Quod sanè verum est, sed non ad nostrum intentum.

DVBIVM XVII.

33 PEtes 17. an in Christo D. fuerit timor? (loquimur de timore, qui est passio animi; estque fuga mali futuri, seu imminentis. Etenim *ex c. 7. dis. 5. à n. 13.* cõstat quid sit timor, qui est donũ Spirit⁹ Sancti; suitleq; in Christo D.) Resp. affirmativè. Quia *Marci 14. cœpit pavere, & tædere.* Et ratio est, quòd in Christo D. fuit displicẽtia, seu fuga passionis, & mortis futuræ, & iam imminentis; (nescimus an timuerit aliã rẽ) ex qua circa idẽ obiectum regulariter oritur afflictio, seu timor. In hanc cõclusionẽ cõspirant Patres, & Theologi. ¶ Quẽ timorẽ fuisse in appetitu sensitivo Christi D. nõ potest negari. Cõstat enim ex illo, *Spiritus quidem promptus est; caro autẽ infirma Matth. 26. n. 41.* ¶ Quod etiã fuerit in voluntate Christi D. est cõmuniter receptũ à Patrib⁹, & Theologis: cõstatque ex eo quòd in eius voluntate fuit displicentia, & fuga mortis, & passionis futuræ, & imminẽtis: ex qua fuga cõmuniter oritur timor. Itẽ propter sympathiã inter voluntatem, & appetitũ sensitivũ. ex timore appetitus sensitivi oritur timor in voluntate. Huc spectant multa ex dictis *à n. 15.* Similliter enim de timore, ac de tristitia est philosophandũ; hoc solùm notato discrimine, quòd tristitia est de obiecto præsenti, vel quasi præsenti æstimato; timor autem de obiecto disconveniente futuro.

34 Sed contra; quòd Augustinus, Hieronymus, & Hilarius citati à Lorca *disp. 61. n. 14.* videntur negare fuisse in Christo D. timorẽ. Resp. Patres communiter concedere fuisse in Christo D. timorem. Legatur prædictus Lorca citans Bernardũ, Nissenum, & alios expressè id concedentes. Quare vel dicẽdum est, PP. de hoc esse divisos: & cõsequẽter venerata auctoritate illorũ, qui oppositũ asserũt, cum alijs sentim⁹. Vel explicãdi sunt PP. in oppositũ addacti. Igitur D. August. solũ loquitur de timore impediẽte efficacẽ volũtatẽ moriẽdi. Hieronymus autẽ, & Hilarius solũ negant timorẽ perturbantẽ rationẽ: vt notat Felix *c. 20. dis. 5. dub. 3.* ¶ Obi. 2. quod *ex Rethoricorũ c. 5.* timor est nõ solũ fuga mali futuri imminẽtis, sed etiã requiritur quòd illud malũ nõ apprehẽdatur vt inevitabile, sed potius,

tiùs cũ aliquâ ſpe evaſionis (aliàs potiùs erit obiectũ triſtitiæ , quã timoris) ſed Chriſt⁹ D.certò ſciebat,ſuã mortẽ inevitabiliter evẽturã:ergo non timebat illã. Reſp. negãdo maiorem:(*cũ Vazq. Suar. Mõtes G.H. & Fel.*)timem⁹ enim mortem, quã inevitabilitèr cognoſcimus eventurã. Et dãnati nõ ſolùm triſtantur de pœna,quã præſentem patiuntur;ſed etiã timent eamdẽ,quã apprehendunt,vt inevitabilitèr futurã. Ariſtoteles autẽ loquitur de timore efficaci, qui nõ ſolum reſpicit obiectũ futurũ, ſed etiam conſultat de medijs: & ideò requirit ſpem evadendi illud obiectũ, quod timetur: & conſequentèr neceſſariũ eſt, quòd non cognoſcatur,vt inevitabile. Nos autem loquimur de timore inefficaci,qui,cùm abſtrahat ab exiſtẽtia rei,poteſt eſſe de obiecto cognito, vt inevitabili.

35 Dices, quòd timor, & ſpes ſunt oppoſita: ſed ad ſpẽ requiritur,quod obiectum bonũ apprehendatur cũ aliqua contingentia: ergo & ad timorem erit neceſſariũ, quòd malũ apprehẽdatur cũ aliqua incertitudine, & cõtingẽtia Rei. (omiſſâ maiori: ſpes enim eſt actus, timor verò eſt paſsio quare non opponũtur ſaltẽ immediatè) negãdo minorẽ:quia in animabus purgatorij eſt ſpes gloriæ: & tamẽ certiſsimè ſciunt ſine aliqua contingentia eventuram. Recolantur dicta *c.7.dif.4 n.13.* ¶ Nota, non ſolùm eſſe concedẽdum in Chriſto D.timorẽ ſumptum pro fuga mali futuri inevitabilitèr eventuri,ſed etiam eſſe addendum, (cõtra D.Th. *q.15.art.7. Caiet. ibi, & Ricardũ, quos citat, & ſequitur Lorca diſp.61. à num.16.*) prædictam fugam fuiſſe propriũ,& ſtrictũ timorem. Quia ad iſtum non requiritur aliqua contingentia obiecti, quod timetur.

DVBIVM XVIII.

36 P Etes 18.an in Chriſto D. fuerit propria admiratio? Reſp. affirmativè. Quia ſic ſtrictè ſalvãtur ſcripturæ verba illa *Matth. 8. & Lucæ 7. Audiens Ieſus* verba Cẽturionis *mirat⁹ eſt*:& aliàs nullũ ſequitur inconveniẽs ex hoc, quòd in Chriſto D. ponamus admirationem propriè, & ſtrictè ſumptam. Ita D. *Auguſtinus Epiſt. 101. D. Th. 3.p.q.15 art.8. quem communitèr ſecuntur.*

37 Sed oppoſitũ defendunt D. *Bonav. & Maldonatus communitèr citati, præcipuè à G.Hurt. diſp.10. diff.13.* Immò eſt ſententia D.Auguſtini *lib. 22. contra Fauſtum cap.13.* & alibi apertè docentis, in Chriſto Domino nullam admirationem cadere potuiſſe; vocari autem in Euangelio admirationẽ nõ internum affectum admirationis,ſed ſigna exteriora, quibus ſe geſsit inſtar admirantis. Et eo modo fidem illam laudabilem commendavit, quo ſolent lauda-

re aliquid qui illud admirantur. Id autem egit, vt se accommodaret nostro captui, & humanæ apprehensioni; & vt declararet, fidem illam Centurionis fuisse hominibus admirabilem: Itaque eo modo affirmat Augustinus, fuisse admirationem in Christo D. quo de Deo dicitur ira; non vtique quia in Deo sit passio iræ, sed quia Deus ostendit effectus, qui in hominibus solēt esse effectus iræ. Hoc ergo modo Christus D. exteriùs ostendit signa, quæ in alijs erāt admirationis. Legatur Lorca *disp.* 61. *n.* 21. citans pro hac sententia Bedam, & Anselmum, & dicens hanc sententiā sibi maximè probari. Quia facile percipitur; estque sufficiens ad explicationem scripturæ: & aliàs proprium, & strictum admirationis affectum cōstituere in Christo D. est difficillimum.

38 Igitur contra nostram cōclusionem obijcies prædictos August. Bedam, & Anselmum. Resp. etiam nostram sententiam docere Augustinum *num.* 36. citatum. ¶ Obijc. 2. quòd admittendo in Christo D. admirationem minùs propriam facilè intelligitur, quomodo in Christo D. fuerit admiratio; & alias sic sufficientèr salvatur scriptura: sicut salvatur cū dicit, in Deo esse iram. Resp. ita esse. Tamen admittenda est propria admiratio in Christo D. quia ista sufficientèr explicatur, vt ex iam dicendis constabit: & aliàs strictiùs, & propriùs sic salvantur scripturæ verba.

39 Pro plena autem huius intelligentia noto, admirationē esse quendam voluntatis affectū, quo ex apprehensione rei magnæ, aut excedentis comparatione sui ille, qui admiratur, quasi se demittit, cōtrahit, & subijcit rei, aut causæ rei, quam admiratur. Vnde constat, quod admiratio est quædam species timoris reverentialis. ¶ Ad excitandum autem admirationis affectum sufficit quod res sit, vel appareat magna, & excedens respectu scientiæ admirantis, videlicèt quia rem, aut eius causas nescit saltèm in eo statu, vel ætate, in qua alter scit. Hac ratione admirantur sæpe maiores audientes alicuius pueri dicta. Huc spectat ille stupor Doctorū audientium Christum D. eos docentes in puerili ætate: vt dicitur *Lucæ* 2. *n.* 47. *stupebant autem omnes, qui eū audiebant super prudentia, & responsis eius.* stupor enim super admirationem solùm addit suspensionem iudicij circa rem, de qua est admiratio. ¶ Quando autem admiratio oritur ex ignorantia, aut ex nescientia, solet simul cum affectu admirationis excitari desiderium sciēdi naturam rei, aut eius causam. ¶ Item sufficit ad excitandum affectum admirationis, quòd res appareat magna, & excedens respectu potentiæ admirantis, videlicèt quia admirans nequeat rem illam efficere saltèm in eo statu, aut ætate, in qua alter efficit. Hac ratione miramur, puerum all-

aliqua facere, quæ ab alijs illius ætatis communitèr non fiunt, quāvis à viris provectæ ætatis frequētèr fiant, v.g. pondus portare, dimicare, &c. ¶ Insuper sufficit ad excitandum affectum admirationis, quod entitas rei, quam admiramur, appareat magna, & excedens respectu entitatis personæ, quæ admiratur. Hac ratione Beati semper admirantur Deum O. M. propter excessum suæ entitatis, & maiestatis. ¶ Quando his duobus postremis modis oritur admiratio, simul cùm admiratione solet excitari affectus laudis. ¶ Demùm sufficit ad excitandū affectum admirationis, quòd res magna sit insolita, seu rara teste August. *tract 24. in Ioanem* dicente, *illud mirantur homines* (nempè saturationem quinque milliumho minum de quinque panibus) *non quia maius sed quia rarum est.*

40 Dices: res ordinaria, aut solita, etiam si sit maximè excedēs, raro excitat admirationem; ergo ad excitandum admirationem nō sufficit quodlibet exdictis seorsim, sed saltèm simul requiritur, quòd res magna, & excedens sit rara, seu insolita. Antecedens convincit instantia illius qui ignorat causam fluxus, & reflaxus maris, & tamen postquam longo tempore id fuit expertus, nō miratur. Respondetur distinguēdo antecedēs: quantum est in se, nego: per accidens, & defectu applicationis potentiæ, concedo. Vnde patet ad instantiam. Postquam enim longo tempore experti sumus aliquod mirabile, iam nō miramur, non quidem quia res illa non sit sufficiens ad excitandum admirationem, sed quia iam potentia nō attendit ad expendendum talem rem. Quòd autem non sit necessarium, rem magnam esse insolitam ad excitadum admirationē, convincit instantia Beatorum, qui per totam æternitatem videntes Deum, continuo eius maiestatem mirabuntur, & stupebunt.

41 Ad rem ergo propriùs accedendo, & vt dicta *in fine numeri 38.* magis firmata relinquam, dico, quòd cùm fides Centurionis fuerit magna, & excedens vires naturales humanitatis Christi Domini fueritque rara, & insolita, præsertim in Gentilibus; sine aliquo incommodo potest dici excitasse in Christo Domino affectum admirationis. Idem dicendum est de perseverantia, & fide mulieris Cananeæ: Vox enim illa *Matth. 15. o mulier magna est fides tua,* manifestè fuit admirationis signum. ¶ Quòd autem Augustinus *num. 37. citatus* solùm admittat in Christo Domino signa admirationis, non obest, quia non negat, posse etiam admitti internum affectum admirationis. Si autem id neget, dicendum est, esse problematicum; etenim etiā docet nostram conclusionem; vt constat *ex num. 36.* Nisi velis dicere, Augustinum (& quemcumque alium patrem negantem in Christo Domino propriam admiratio-

rationem) explicandum esse de admiratione orta ex ignorantia causæ alicuius effectus. Quamvis enim scientia experimentali Christus D. non cognosceret omnia; nihil tamen ipsum latebat: cōprehendebat enim omnia, & singula scientia infusa, vel saltèm Beata.

DVBIVM. XIX.

42 PEtes 19. an in Christo D. fuerit propria ira? Resp. affirmativè. Quia in hoc nullū apparet incommodum; & aliàs propriè salvat scripturam dicentem Christū D. vehementèr fuisse indignatum his, qui emebant, & vendebant in templo: *Matth. 21. num. 12. & Ioan. 2. num. 15.* Confirmatur, & declaratur: quia ira nihil aliud est, quàm appetitus vindictæ, seu inferendi tristitiam, aut aliud malum adversario in vindictā tristitiæ, aut alterius mali ab ipso illati. Sed appetitus iste, si sit secundùm regulas rationis, nullam involvit indecentiam: ergo non est, cur Christo denegetur; ita cōmunissima sententia.

DVBIVM XX.

43 PEtes 20. an in Christo Domino fuerint reliquæ aliæ passiones animæ? Respondetur afirmativè: ex convenientia Theologorum. Quia in nulla illarum apparet aliquod incommodum, humanitati vnitę repugnās: Quod vt pateat, per singulas discurramus. ¶ In primis enim patet de amore, & odio, quia sunt cæterarum causæ, & circa obiecta convenientia possunt laudabiliter exerceri. Quare in ipso Deo est amor circa bonos, & odium circa malum. ¶ Patet etiam de desiderio, & fuga: desideravit enim Christus Dominus aliqua laudabiliter; v. g. celebrare pascha cum discipulis; atque aliqua laudabilitèr refugiebat, nempe peccata, & mortem. ¶ Delectatio autem, seu gaudium maximum fuit in illo non solùm de obiecto Beatifico, sed etiam de spiritualibus bonis. De quibus etiam in appetitu sensitivo fuit delectatio conformis rationi. ¶ Spem virtutem theologalem fuisse in Christo Domino circa gloriam sui corporis, & circa nonnulla alia, constat *ex cap. 7. diss. 4. à num. 11.* ¶ Desperatio autem de evasione mortis fuit in eo: sicut & fuit timor mortis absque spe evasionis. ¶ Item fuit in eo excellens audacia, & fortitudo quibus absq; dubio sedavit timorem mortis, & passionis.

44 Vnde constat, propriè esse intelligendam Scripturam, quoties tribuit Christo Domino aliquos ex his affectibus.

CA-

CAPVT XIII.

De humana voluntate Christi D.

A Disputatione præcedenti cœpimus disputare de defectibus naturæ assumptæ. Et cùm videatur aliqualis defectus, quòd humana volũtas Christi D. non fuerit aliquando adimpleta: ideò de eius humana voluntate agimus in præsenti.

DIFFICVLTAS I.

De spectantibus ad impletionem voluntatis humanæ Christi D.

DVBIVM I.

1 PEtes primò, an humana volũtas Christi D. semper fuerit impleta? Respond. negativè. Quia *ingressus domum voluit, neminem scire, & non potuit latere, Marci 7. num. 24.* ¶ Dices, hoc minus decere Christum D. Resp. negando: etenim etiam *Deus vult, omnes homines saluos fieri, & ad agnitionẽ veritatis venire, 1. ad Timoth. 2.* Et tamen nõ omnes salvantur: & consequenter hæc Dei voluntas non impletur.

DVBIVM II.

2 PEtes 2. an aliqua efficax voluntas Christi D. potuerit non adimpleri? Resp. affirmativè cum Becano *c. 13. q. 5. à nu. 2.* Itaque quamquã quidquid Christus D. voluit absolutè, & efficaciter per se ipsum, hoc semper fuerit impletum, potuit tamen non impleri id, quod volebat fieri per alios; vt probant verba illa nuper citata; *ingressus domum, &c.* ¶ Dices, prædicta verba intelligi de voluntate inefficaci. Resp. negando: Quia Agatho *in Epistola decretali, quæ habetur in 6. synodo act. 4.* duo docet. Primò ex dictis collegit, in Christo D. fuisse voluntatem humanam, quæ non semper fuerit impleta. Secundò docet, hanc esse differentiam inter voluntatem Christi D. divinam, & humanam, quòd divina semper impleta fuerit, non autem humana: ergo cõfert divinam efficacem cum humana efficaci: aliàs nulla foret differẽtia: cùm divina inefficax non semper adimpleatur. ¶ Et ratio huius conclusionis est, quòd Christus D. potuit absolutè velle, & conatus est, quantũ erat in potestate sua humana, vt homines cessarent à peccatis. Quod tamen non fuit adimpletũ. ¶ Dices, qui aliquid absolutè vult fieri per aliũ, qui certò scit nõ futurum, videtur id imprudentèr velle fieri: ergo videtur sequi ex nostra conclusione, Christum D. imprudentèr voluisse

 la-

atere &c. Respondetur negando antecedens. Potest enim id velle fieri propter optimum finem. Quo pacto Christus D. absolutè volebat, & conabatur abducere homines à peccatis, vt suo zelo excitaret alios ad zelum animarum: similitèr volebat latere, vt nobis præberet exemplum humilitatis.

3 Vnde à fortiori infertur, voluntatem inefficacen ChristiD. nō semper fuisse impletam. Talis fuit illa *Matth. 26. transeat à me calix iste.*

DVBIVM III.

4 PEtes 3 an in voluntate humana ChristiD. fuerint actus efficaces, & inefficaces circa idem obiectum? Respond. affirmativè. Quia in hoc non apparet aliquod incommodum; aut contrarietas voluntatum. Similes enim actus admittim⁹ in Deo: qui vult, omes homines salvos fieri quadam voluntate antecedenti, seu inefficaci; & simul voluntate efficaci, seu consequenti vult, multos non salvari: sic ergo Christus Dominus potuit velle, & de facto voluit mortem sustinere efficacitèr, & consequentèr; & simul illam noluit antecedentèr, & inefficacitèr. ¶ Dices: ergo humana voluntas Christi D non semper fuit conformis voluntati divinæ, quæ volebat, ipsum mori. Resp. negando: quia nolebat mortē sub hac conditione, *si Deus sic disponeret.* Recolantur dicta *cap. 12. disp. 3. n. 29. & 30.*

5 Pro pleniori autem intelligentia nota cum Becano c. 13. q. 3. *num.* 3. quod mors Christi D. potest tripliciter spectari. Primo, quatenùs est malum naturæ. Secūdo, quatenùs est effectus nostrorum peccatorum: etenim nostra peccata sunt causa moralis, seu occasio mortis Christi D. Tertiò, quaten⁹ est causa nostræ salutis, seu remedium contra nostra peccata. Igitur Christus D. habuit tres actus circa mortem. Prim⁹ fuit simplex displicentia, seu nolitio orta ex naturali inclinatione, qua voluntas eius propendebat in vitam; & consequentèr quadam innata inclinatione abhorrebat, seu refugiebat mortem tamquam malum naturæ. Secundus fuit simplex displicentia, seu nolitio mortis orta ex consideratione peccatorum, quæ erant causa mortis. Tertius fuit efficax volitio moriendi pro salute hominum. Omnes autem hi actus possunt colligi ex verbis illis *Matth. 26 Pater mi, si possibile est, trāseat hic calix à me; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Quasi dicat, quia mors est cōtraria naturæ, & quia est effectus peccati, mihi displicet, seu eā refugio, aut nolo inefficacitèr: & consequētèr non adhibeo media, vt me ab illa eripiā. (Hæc inefficax nolitio solet explicari per verba subiunctivè, *nollem, si possem*; aut *vellem, si possem: nollem* (inquam) efficaciter, si possē sine culpa, aut con-

conformiter ad voluntatem Dei: aut vellem efficaciter, si possem conformiter ad voluntatem Dei, aut sine culpa.) Sed quia tu vis, vt moriar pro salute hominum, volo efficaciter mori.

6 Vnde patet, quomodo in humana voluntate Christi Domini nulla erat contrarietas volitionum, aut voluntatum. Quamvis enim simul voluerit, & noluerit mortem; hoc tamen fuit sub diversis rationibus; scilicèt illam nolebat, quatenus quid contrarium, seu disconveniens naturæ; necnon & quatenus causata à peccato. Volebat tamen illam, quatenùs à Deo præceptam. Nullum autem est inconueniens, quòd idem materiale sit volitum, & nolitum ab eodem sub diversis rationibus formalibus: vt patet in pœnitentia, seu mortificatione, quæ displicet, quatenùs disconveniens est appetitui sensitivo: & placet, quatenùs est conveniens ad consequendum salutem animæ. Patet etiam in potione amara; & in multis alijs. ¶ Patet etiam ex dictis quomodo voluntas humana Christi Domini, non discordaverit à divina. Hæc enim volebat, quòd Christus Dominus vellet mortem, non vt contrariam naturæ, aut vt effectum peccati; sed vt à se præceptam.

DIFFICVLTAS II.

De spectantibus ad libertatem humanæ voluntatis Christi D. in operando.

DVBIVM I.

1 PEtes primò, an humana voluntas Christi D. fuerit libera in operando? Respondetur affirmativè. Quia *Isaiæ* 53. *num.* 7. dicitur: *oblatus est quia ipse voluit*. Secundò, quia in libertate contingentiæ nihil reperitur pugnans cū Christi Domini perfectione. Aliàs huiusmodi libertas esset tollenda à Deo. ¶ Solùm nota, humanam voluntatē Christi Domini nullum habuisse actum indeliberatum, sicut nos frequentèr habemus. Hoc enim minus conveniebat eius excellentissimæ perfectioni, & dignitati. Hùc spectant dicta *cap.* 12. *diff.* 3. *num.* 7.

DVBIVM II.

2 PEtes secundò: quomodo libertas humanæ voluntatis Christi Domini possit conciliari cum impeccabilitate illius? Respondetur, optimè, & facilè componi à nobis Scotistis. Quia impeccabilitas Christi Domini solùm est moralis, & ex vi manutenentiæ Dei: vt latè diximus *cap.* 9. *diff.* 1. *à num.* 16. ¶ Demùm si aliquid

quid aliud desideretur de humana voluntate Christi D. recolantur dicta *cap. 4. diff. 2. à num. 1.*

CAPVT XIIII.

De subiectione, & obedientia Christi D.

DIFFICVLTAS I.

De spectantibus ad subiectionem, & obedientiam Christi D. respectu Dei.

Quia humanitas Christi D. recepit esse, & conservari à Deo, debuit ei subijci, & illi esse obediens: sicut quævis alia creatura. Quo supposito restant aliquot dubia examinanda.

DVBIVM I.

1 Petes primò, an Christus D. fuerit subiectus, & obediens Deo? (vtique in actu secundo, seu in exercitio.) Respondetur affirmativè. Quia *ad Philipp. 2. num. 8.* de Christo Domino dicitur, quòd *humiliavit semetipsum factus obediens vsque ad mortem.* Vnde etiam constat habuisse perfectam subiectionem: quia obedientia sine subiectione esse non potest. Quam subiectionem exhibebat Christus Dominus, & profitebatur dicens: *Pater maior me est. Ioan. 14.* ¶ Dices, quòd Damascenus *4. de fide cap. 19.* dicit: *Patri subijci non habuit: quia numquam contumax, vel inobediens fuit.* Respondetur solùm negare Christo D. subiectionem violentam, qua comprimi solent inobedientes; aut fortè loquitur de subiectione ad pœnam, qua affici solent contumaces, & inobedientes.

DVBIVM II.

2 Petes secundò, an Christus Dominus secundùm humanitatem subiectus fuerit legi, aut præcepto divino? Respondetur affirmativè. Quia fuit verè, & propriè obediens: sed propria obedientia requirit veram, & propriam subiectionem obligatoriam: ergo hanc habuit Christus D. Maiorem suppono ex illo *ad Philipp. num. 2. relato*, atque ex omnibus, & singulis Scripturæ testimonijs, in quibus Christus D. dicitur obediens: Cùm enim verba Scripturæ propriè sint accipienda, de vera, & stricta obedientia sunt intelligenda. Minorem autem sic explico: non enim intendo, quòd subditus, qui cognita voluntate Prælati absque præcepto illam impleret, non esset perfectus obediens: sed dico, quòd respectu illius, cui parere non teneor, non est propria obedientia. Quare si Christus D. nō teneretur præcepto divino, etsi aliàs illud exequeretur non exercet propriam obe-

obedientiā. De quo videantur D. Thom. 2. 2. q. 104. *art. 2. & 5. & eius expositores*. Sed pro clariori huius conclusionis intelligentia de singulis præceptis divinis est disputandum.

DVBIVM III.

3 PEtes tertio, an Christus Dominus secundùm humanitatem fuerit subiectus legi naturali? Resp. affirmativè. Quia tenebatur non assumere nomen Dei in vanum, hoc est, non facere Deo irreverentiam. Item tenebatur non habere Deos alienos. ¶ Dices: ergo etiam Deus est subiectus legi naturali. Patet: quia tenetur saltē non mentiri, v.g. Resp. negando. Ad probationem dico, teneri quidem Deum ad non mentiendum v.g. Sed non vi alicuius obligationis, quæ ab aliquo superiori sit imposita; sed vi bonitatis, & veracitatis suæ, cui repugnat mētiri v.g. Sufficiat modo hæc solutio: responsio enim huius altiora fortè petebat principia. De quo (Deo dante) agam *in tract. de Legibus*.

4 Nota cum Scot. *in 3. d. 37. §. Ad quæstionē*, quòd quamvis multa sint de lege naturæ largè loquēdo, hoc est, quatenùs sunt multum consona illi legi; tamen de lege naturæ strictè solum sunt priora illa duo præcepta primæ tabulæ negativè accepta; scilicet non habere Deos alienos, & non accipere nomen Dei in vanum, id est, non facere Deo irriverentiam. De tertio autem præcepto (quod est de Sabbato) dicit Scotus esse sub dubiō, an sit de lege naturæ, si vi illius velimus astruere aliquem cultum esse Deo exhibendum pro aliquo determinato tempore. ¶ Vocat autē de lege naturæ strictè loquēdo illa principia practica nota ex terminis, vel conclusiones, quæ necessariò, & evidentèr sequuntur ex eis, in quorum prosecutione est bonitas necessaria ad consecutionem vltimi finis; & in quorum aversione, est malitia necessariò avertens ab vltimo fine. Vnde colligit Scotus, præcepta decalogi, quę spectant ad secundam tabulā, non esse de lege naturæ strictè. *Nō enim in his*, (subdit Scotus) *quæ præcipiūtur ibi, est bonitas necessaria ad bonitatem vltimi finis convertens ad finē vltimum. Neque in his, quæ prohibētur est malitia necessariò avertens à fine vltimo, quin si bonum illud non esset præceptum, posset finis vltimus amari, & attingi: et si illud malū non esset prohibitum, staret cum eo acquisitio vltimi finis.*

5 Ad rem ergo: nostra conclusio saltē debet intelligi de lege naturæ strictè loquendo. Et quamvis mihi sit satis persuasum, Christum D. fuisse subiectum legi naturæ largè loquendo: ad consistentiā tamē nostræ cōclusionis hoc examinare non est necessariū: cù sufficientèr salvetur dicendo, Christū D. teneri, seu esse subiectū præceptis legis naturæ strictè loquēdo de lege naturæ. An vero tenebatur præceptis secūdæ tabulæ? nec est necessariū, nec facile examinare. Fortè enim diceret quis, non teneri Christū D. illis

illis præceptis, vel saltèm aliquo, illo v.g. honorandi parentes: quia illi humanitati propter vnionem potiùs debebatur summa reverẽtia, & cultus, (etiam a propria matre) quàm quod ipsemet Christus ei reverentiam exhiberet.

DVBIVM IIII.

6 PEtes quartò, an Christus D. fuerit subiectus Legi Mosaycæ? Respõdetur negativè. Quia ista data fuit Iudæis, qui per seminalem propagationem descendebant ab Abraham: qualitèr nõ descendebat Christus Dominus.

¶ Dices, Christus D. servavit illam legem: ergo obligabatur illa. Respondetur negando consequẽtiam: qui enim operatur opera consilij, verè operatur sine obligatione. ¶ Diversas causas assignant communitèr huius obligationis. Prima est, vt daret nobis exemplum humilitatis, & obediẽtiæ. Secunda, vt suo exemplo probaret illam legem, tamquam sanctam, & à Deo datam. Tertia, vt non daret Pharisæis occasionem calumniandi vitam, & conversationem illius. ¶ Dices secundò, quod *misit Deus filium suum factum sub lege ad Gal. num.* 4. ergo erat subiectus legi Moysis. Resp. negando consequentiam: solùm enim intendit Paulus Christum Dominum fuisse subiectum legi de facto, non autem de iure. Propter quod dicebat Athanasius disput. cum Ario circa finem Christum D. fuisse liberum, & subditum legi, scilicèt liberum quoad obligationẽ, & subditum quoad observantiam. ¶ Dices tertiò, quod *ad Gal.* 5. *num.* 3. dicitur: *Testificor omni homini circumcidenti se, quia debitor est vniversæ legi faciendæ*. Sed Christus D. fuit circumcisus: ergo fuit debitor legis faciendæ. Respondetur maiorem esse veram, & intelligendam de hominibus peccato obnoxijs, non autem de Christo *D.*

DVBIVM V.

7 PEtes quintò, an Christus D. fuerit subiectus legi Evangelicæ? (qualis est baptismus, & alia sacramenta) Respondetur negativè. Quia erat legislator, & author illius legis. ¶ Dices, legislatorem teneri lege à se lata. Resp. negando. Vt enim dicam *in Alphonsina in tract. de legibus* lex non habet vim coactivam, aut directivam respectu legislatoris: quàvis aliàs verum sit, legislatorem aliquando obligari in conscientia servare suam legem iure naturali, ne causetur difformitas in republica, si caput sit difforme suis membris: sicut causaretur in corpore humano, cuius caput esset separatum à membris.

DVBIVM VI.

8 PEtes sextò, an Christus Dominus habuerit speciale præceptum moriẽdi pro hominibus? Res-

Respondetur affirmativè. Quia *sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Ioan. 13. n. 31.* Secundò, quia sicut homines per inobedientiā primi parentis fuerunt perditi, ita conveniens fuit, vt per obedientiām Christi Domini salvarentur: vt apertè dicitur ad *Rom. 5. num. 19. Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi; ita per vnius obedientiam iusti constituentur multi.* Sed inobedientia Adami supponit præceptum: ergo & obedientia Christi Domini. Ita D. Thom. *3. p. q. 47. art. 2. Becanus ; & communis sententia.*

DVBIVM VII.

9 PEres septimò, an tale præceptum sit propriè præceptum? Respondetur affirmativè. Quia ita aptiùs salvantur verba Scripturæ. ¶ Sed Lorca *disp. 73. oppositum defendit, citatque Palud. Dionisium Cistercienſem, Victoriam, & Albertum Magnum.* Et obijcit illud *Matth. 26. n. 42. Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua:* ergo Christus Dominus non habebat strictum præceptum moriendi, sed tantùm ei fuerat insinuata divina voluntas. Respondetur negando consequentiam: quamvis enim non omnis insinuatio divinæ voluntatis arguat præceptum; (vt patet in operibus consilij) sæpè tamen voluntas sumitur pro præcepto: vt patet *Matth. 7. num. 21. Qui fecerit voluntatem patris mei qui in cœlis est,* (id est qui servat eius legem, aut præcepta) *ipse intrabit in regnum cœlorum.* ¶ Obijciunt secundò, illud *Ioan. 10. n. 18. Potestatem habeo ponendi animam meam; & potestatem habeo iterum assumendi eam. Hoc mandatum accepi à patre*: vbi Christus D. dicit, se accepisse à Patre mandatum moriendi, & resurgendi. Sed non accepit proprium mandatum resurgendi: ergo neque moriendi. Respondetur negando, Christum Dominum habuisse mandatum resurgēdi. Quare ly *mandatum* solùm debet referri ad mortem, nō autem ad resurrectionem: vt *ibidem num. 17.* explicat Christus Dominus dicens: *Propterea diligit me Pater, quia pono animam meam, vt iterùm sumam eam*: id est, proptereà diligit me Pater, quia paratus sum servare præceptum moriendi, vt iterùm surgam. Itaque mors est medium, quod præcipitur; resurrectio autem est finis, propter quem præcipitur: vt ex *Suarez* notat Becanus *cap. 16. q. 1. num. 11.* ¶ Obijciunt tertiò; quod charitas est perfectior quam obedientia: ergo Christus Dominus potiùs ex charitate, quàm ex obedientiæ motivo mortuus est. Respondetur, eum subijsse mortem ex diuersis motivis, seu virtutibus: quod constat ex Scriptura: dicitur enim *ad Philipp. 2. factus obediens vsque ad mortem*: & *Ioan. 15. n. 13. Maiorem charitatem nemo habet, vt animam suam ponat quis*

pro

pro amicis suis. Item mortuus est ex motivo iustitiæ: vt dixi *cap. 9. diff. 2. à num. 31*. Hoc autem motivum fuisse reddere Deo æquale pro debito derelicto ex peccato, seu quòd idem est) servare integritatem divini iuris, &, si læsum fuerit, illud reparare, vt notabam ibidem *num. 42*. Pro ampliori autem explicatione dictorū in præsenti recolantur dicta *c. 9. diff. 1. num. 15*.

DVBIVM VIII.

10 PEtes octavò, an Christus D. secundùm humanitatem ita sit Patri subiectus, & minor illo, vt absolutè possit dici propriè servus illius? Respondetur affirmativè. Quia in Scriptura, & Patrib⁹ sic absolutè vocatur: quorum aliquot testimonia expēdam à num. 21. Secundò, quia Christus D. secundùm humanitatem non erat sui iuris, sed Dei: ergo vt sic erat verè, & propriè servus. Patet antecedens: nam titulo creationis, & conservationis humanitatis poterat De⁹ exigere ex iustitia, & præcipere omnes, & singulas humanitatis operationes; & ex iustitia tenebatur Christus D. Deo parere, & obedire. Confirmatur: quia Deus, adhuc de potentia absoluta, nequit abdicare dominium supremum, quod habet respectu creaturarum: ergo neque humanitas Christi D. potuit excludi à servitute creaturæ. Patet consequentia: quia dominium, & servitus; dominus, & servus relativè se habent. Ita D. Th. 3 *p. q. 20. art. 2. Caiet. Med. & Suar. quos citat Becanus c. 16. q. 2. n. 1. Idem defendunt Lorca, Alvar. & Ragusa, quos citat, & sequitur Castillo dip. 17. q. 3. n. 6 Tenet etiam Felix c. 19 diff. 3. estque communis sententia, præsertim Scotistarum.*

11 Sed oppositum defendunt Vazq. *disp. 80. Becan. c. 16 q. 2. G. Hurt. & Turrianus, quos citat, & sequitur Petrus Hurtado disp. 78. sect. 2. §. 7.* Itaque asserit hæc sententia, humanitatem Christi D. ex vnione ad Verbum tantam ingenuitatem acquisivisse, vt nullam simul possit habere servitutē, quæ propriè, & absque metaphora sit talis. Vnde asserit, quòd licèt Christus D. sit subiectus Patri, & eo minor, non tamen est servus appellādus, nisi impropriè, & metaphoricè. Et obijcit Damasc. 3. *de fide c. 21.* dicentem: *illud quoque sciendū est, ne servum quidem dicere nobis licere*, & subdit: *sanè servilis ordinis esset caro, nisi Deo Verbo copulata esset: at cùm semel ei personalitèr vnita est, quonam iam pacto in servilem classem redigatur*. Respondetur, cum Castillo *ibi num. 10*. loqui de servo puro, qui non compatitur simul esse Dominus: Christus autem Dominus quamvis per humanitatem sit servus, per Deitatem est Dominus; immo, & per ipsam humanitatem communicatione idiomatum. Itaque intendit Damascenus, Christum Dominum etiam secundùm carnem, aut

aut secundùm humanitatem non esse redigendum ad classem servi lem cæterorum hominum, qui sunt puri servi: cùm ipse ratione vnionis simul sit Dominus. Respondetur secundo *cum Lorca disp. 78. num. 24. & Felix* non negare Christum Dominum dici absolutè servum, sed dici servum Verbi. Loquitur enim contra Nestorium, qui ita asserebat, Christum Dominum esse servum, vt negaret esse Dominum, eoquod distinguebat duo supposita: sicut Catholici distinguimus in Christo Domino duas naturas. Respondetur tertiò: *cum Illustrissimo Merinero disp. 17. quæst. 3.* quod si Damascenus non posset aptè explicari, non proptereà esset deserenda nostra sententia, quæ multis Scripturæ, & Patrum fulcitur testimonijs, vt vidimus à n. 1.

12 Obijciunt etiam multa alia testimonia Patrum, imò, & concilij Francfordiensis, & Adriani primi à quibus existimant suam sententiam esse definitam, & nostram damnatam. Tamen ad omnia ista facilè respondetur. Concilium enim, & Pontifex solū damnant servitutem, quam in Christo D. Nestorianè admittebant Elipādus, & Felix distinguentes in eo duo supposita solùm accidentalitèr, seu per affectum vnita: qui cōsequentèr dicebant, Christum D. quatenùs homo erat, seu secundū humanitatem sic absolutè esse dicendum servum; vt nullo modo posset appellari Dominus. In alio quoque sensu Nestoriani vocabāt Christum D servum, nempe servitute peccati. Ponebant enim in illo aliquod peccatum, propter quod pro se ipso, sicut, & pro alijs debuit offerre sacrificium. (dicebant Nestoriani: vt constat *ex anathematismo* 10. *Cyrilli*) Has ergo servitutes excludunt à Christo D. Concilium, & Adrianus. In quo etiam sensu loquitur Concilium Alexandrinum *in Epist. Cyrilli quæ est decima intereius Epist. & confirmata in Concilio Ephesino.* Itaque diversi Patres, & concilia; dum negant, Christum D. esse servum, loquuntur vel de servitute culpæ, vel de pura servitute in sensu Nestoriano.

13 Obijciunt Chrysostomum *hom. 13. in Epist. ad Hebræos* dicentem: *sicut factus servus non mansit servus: sic etiam minister factus, non mansit minister: non enim ministri sedere est, sed stare.* Respondetur non negare, Christum Dominum fuisse, & esse servum; sed solùm, quod nunc in cœlo exerceat munus servi; & ministri, quod olim exercuit iuxta illud *Matth. 20. Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* ¶ Obijciunt prætereà D. Cyrillum Alexandrinum *in expositione symboli circa medium,* qui videtur negare servitutem Christo Domino. Respondetur solùm negare servitutem peccati, & adstruere libertatem illi oppositam: Legatur Lorca *disputat. 78. numero 24.* qui meritò affirmat, verba hæc Cyrilli

plus

plus obscuritatis, quàm difficultatis continere.

14 Deinde ratione arguunt. De ratione proprij servi est, ita esse sub dominio, & potestate alterius quoad opera, seu actiones, vt cum eo non communicet in bonis, honore, & sede. Sed Christus D. vt homo, communicavit in bonis Dei se illi substantialiter vniendo; communicavit in honore: siquidem adoratur adoratione latriæ; communicavit in sede: siquidem sedet à dextris Dei: ergo quatenùs homo nequit Christus D. dici servus Dei. Probatur maior: filius enim quamvis sit sub potestate patris quoad sua opera, tamquam sub superiori; tamen non est servus patris; eoquòd communicat cum eo in bonis, (habet enim ius ad bona illius saltèm post mortem) & in honore. Confirmatur, quia serva, quæ à Domino suo ducitur in vxorem, iure solùm coniugij desinit esse serua; eoquòd ratione coniugij evehitur ad honorem, & dignitatem mariti: ergo humanitas Christi D. ratione vnionis hypostaticæ desivit esse serva, & transijt ad honorem, & dignitatem Dei. Respondetur distinguendo maiorem: solùm enim est vera de communicatione necessaria, seu necessitante Dominum: non autem de libera, seu quam voluntariè præstat ipsemet Dominus. Qua ratione humanitas Christi D. communicat in bonis, honore, & sede Dei: ad omnia enim ista liberè fuit assumpta à Deo. Vnde patet ad probationem. Filius enim, qui naturali generatione est talis, vi generationis, seu necessariò communicat in bonis, honore, & sede Patris: secùs autem natura assumpta: Fundatur quippe communicatio prædicta in voluntaria assumptione. Quare cum ista compatitur, quòd simul sit serua, & participet bona assumentis: cum filiatione autem naturali non compatitur, simul esse servum.

15 Dices: in humanis cum filiatione voluntaria, seu adoptiva est incompatibilis servitus, seu esse mancipiũ: ergo humanitas assumpta nequit esse serva. Respondetur negando consequentiam: quia libertas, seu exemptio ab humana servitute potest adstrui per leges humanas; cùm pendeat hoc à voluntate hominum: & non à natura rerum. Libertas autem, seu exemptio à seruitute Dei pendet à natura rerum: & sic neque ab ipso Deo potest adstrui, aut destrui servitus, seu subiectio creaturæ respectu ipsius. Quare quacumque voluntate humana, & divina posita, aut ablata, Deus, eo ipso quòd est creator, est Dominus, nequitque à se abdicare dominium: sicut & humanitas, eo ipso ac est creata; est serva, & ancilla, nequitque hac denudari servitute per aliquam potentiam: est enim omnino inseparabilis ab esse creaturæ. Vnde sicut reperitur in quocumque alio homine filiatio adoptiua Dei, & servitus; ita reperitur in humani-

tate

tate Christi Domini. ¶ Hinc patet ad confirmationem: sicut enim per legem humanam introducta fuit humana servitus; per legem humanam potest aboleri: sicque stabilitum fuit, quòd ancilla ducta in Domini vxorem fiat libera. Libertas autem, seu exemptio à servitute Dei non pendet ab aliqua voluntate (sicuti neque servitus ipsa) sed ex natura rerum: atque adeò per nullam voluntatem potest aboleri.

16 Instabis, quòd lex illa eximens ancillam ductam in vxorem sui Domini ab eius servitute, dicitur lex naturalis, seu ius naturale: ergo non solùm pendet à voluntate hominum; sed etiam ab ipsa natura: ac per consequens natura ipsa eximit humanitatem vnitā cum Deo ab eius servitute; redditque ipsam omnino liberam. Respondetur praenotando, quòd vox *naturale* est aequivoca, & multa comprehendit: in praesenti autem dupliciter potest accipi. Naturale enim illud dicitur, quod etsi liberè fiat, fit tamen iuxta id, quod natura rationalis, seu recta ratio exigit ex congruentia: hac ratione ille, qui recipit beneficium, liberè remunerat suum benefactorem; hoc tamen exigente ex congruentia natura rationali, seu ratione naturali. Item dicitur naturale, quòd ita est fundatum in natura alicuius rei, vt ab illa sit inseparabile, aut indefectibile. Hac ratione dicitur, naturalem esse homini risibilitatem; & cuicumque subiecto suam passionem. Ad rem ergo fatemur, quòd lex illa eximens ancillam ductam à suo Domino in vxorem ab eius servitute, est & dicitur naturalis, seu ius naturale in primo sensu; seu eoquòd secundùm regulas naturae rationalis stabilitum est. Sicut enim recta ratio iudicat, quòd aliquae personae non sint sui iuris, sed alterius iuris propter diversos titulos: (belli, emptionis, &c.) ita etiam iudicat quòd persona, quae fit vna caro cum alia ratione coniugij, fiat similitèr libera cum illa. In quo sensu lex praedicta dicitur pendere aliqualitèr à natura rerum, seu esse secundùm naturam rerum, aut secundùm ius naturale. Quando autem in praesenti dicimus, servitutem humanitatis, aut exemptionis à servitute respectu Dei non pendere ab aliqua voluntate, sed esse talem ex natura rei, seu ex esse naturali, sumimus *naturale* in secundo sensu, seu intendimus, sic esse fundatum in esse creatoris dominium, & in esse creaturae servitutem, seu subiectionem respectu creatoris, vt nulla voluntate, aut dispositione interveniente dominium à creatore, & servitus à creatura possit separari.

17 Notat benè Castillo *disput.* 17. *quaest.* 3. *num.* 13. quòd quamvis servitus respectu hominum afferat secum dedecus, & quoddam ignominiae genus; non tamen respectu Dei. Immo ingenuitatem, & libertatem secum portat. Et ideo *in officio Sancta*

Dd Aga-

Agathæ dicitur: *Summa ingenuitas est ista, in qua servitus Christi comprobatur.* Adde, quòd quo magis exercetur servitus ista, tanto excellentioribus donis præfulget creatura; vt patet in Sacratissima Virgine. Vnde iam crevit in proloquium, quòd *servire Deo, regnare est.* Quare non mirandum est, quòd humanitas Christi Domini tot gloriosissimis titulis, & donis nobilitata (scilicèt latriè adorata, sedens à dextris Dei, &c.) maneat adhuc sub hac gloriosa servitute.

18 Vltimò arguunt expendentes, non apparere cuius sit servus Christus Dominus secundùm humanitatem. Non enim (inquiunt) est servus sui ipsius: hoc quippe esset ponere in Christo Domino distinctionem suppositorum cum Nestorio. Neque est servus aliarum personarum: etenim hoc esset ponere discretionem in naturalibus inter divinas personas. Respondetur eodem argumento posse probari, Christum Dominum non esse subiectum. Ad vtrumque ergo facilè respondetur, esse servum, & subiectum sui ipsius, & aliarum personarum. Tamen ne videamur, Christum Dominum dividere in duo supposita, (si absolutè dicamus, esse servum sui ipsius) cum hoc addito debemus loqui: Christus Dominus quatenùs homo est, est subiectus sibi ipsi, aut servus sui ipsius, quatenùs Deus est. ¶ Dixi autem consultò, vtendum esse additione ista, *quatenus homo*, ne videamur Christum Dominum dividere in duo supposita. Existimo enim, hanc propositionem absolutam, *Christus Dominus est subiectus sibi ipsi*, (quam concedit Augustinus 1. *de Trinitate cap. 7.*) & istam, *Christus Dominus est servus sui ipsius*, non esse improprias; quidquid dicat Lorca *disput. 78. num. 5.* Igitur, ne videamur consentire Nestorio, vtendum est prædicta, vel simili additione.

19 Manet ergo ex dictis firma nostra conclusio, scilicet, quòd Christus Dominus secundùm humanitatem, seu quatenus homo, est servus Dei, verè, & propriè: & consequentèr sic potest vocari. ¶ Monent tamen Lorca *disp. 78. num. 4. & Castillo disp. 17. q. 3. num. 11.* hanc loquutionem (*Christus Dominus est servus Dei*) esse cauendam, & solùm cum hoc addito, *in quantùm homo*, vel cum simili esse loquendum. Quod mihi non placet: nulla enim Nestorianæ hæresis suspicione existente, (vt reverà inter Catholicos hac tempestate non existit) nullo addito opus est, sed absolutè dici potest Christus Dominus servus Dei: vt in simili de hac propositione (*Christus Dominus est subiectus Patri*) notat Petrus Hurtado *disp. 78. §. 1.* Et ratio est, quòd prædicata naturæ humanæ absolutè dicuntur de Deo in concreto, quamvis secundùm se repugnent naturæ divinæ: vt *Deus* est

est homo, mortuus &c. Insuper, & quia Scriptura, & PP. absolutè, & sæpissimè vtuntur illa phrasi, vt statim videbimus.

20 Huc consultò remisi declarare, qua certitudine apud Scripturam, & PP. polleat nostra conclusio, quæ affirmat, Christum Dominum secundùm humanitatem esse verè, & propriè servum Dei. Immo posse absolutè, & absque aliqua modificatione, aut addito sic vocari: vt *num. 9.* notabamus. Igitur Christum Dominum esse servum dicitur in veteri testamento. Sufficiat illud *Isaie 42. Ecce servus meus, quem elegi.* ¶ Respondet opposita sententia, hæc esse ad rem inefficacia: quia, cum in veteri testamento fidei mysteria reuelarentur in vmbris, & figuris; illæ locutiones non sunt propriæ, sed figurativæ, & metaphoricæ. Immo expendunt prædicti Authores nullibi in nouo testamento, Christum Dominum vocari servum: vt notat D. August. *quæst. 59.* in Genesim dicens: *Non facilè inuenitur in Evangelio Christum appellasse Deum, Dominum suum.* Quod etiam expendit Adrianus primus *in Epistola ad Episcopos Hispaniæ*, vt inde colligat, Christum Dominum non esse appellandum servum propriè. Et addunt loqutiones veteris testamenti, quibus Christus Dominus dicitur servus, esse metaphoricas, & improprias, sicut sunt illæ, quibus dicitur Leo, agnus, lapis, &c. Vnde exiliunt Authores oppositæ sententiæ, suam sententiam esse ab Ecclesia definitam, & nostram damnatam.

21 Sed, vt meritò expendit eruditus Lorca *disput. 78. & numero 28.* sensus Theologorum, qui dicunt, Christum Dominum in quantùm homo est, esse servum Dei, tantùm abest aberrare, vt sit certus secundùm fidem, & oppositus aperta hæresis. Sensus enim huius propositionis (*Christus Dominus, vt homo, est servus Dei*) est Christus Dominus secundùm humanitatem est creatura, minor patre, & ita subiectus Deo, vt possit in eo facere quidquid voluerit: & ipse tenetur, in omnibus, quæ Deus illi præceperit, obedire. Quod totum est de fide. ¶ Quoad vsum vero vocum, quo talis sensus exprimitur, prædictam communem, & D. Th. sententiam defendunt sexdecim PP. quos allegat Lorca *ibi num. 14.* inter quos sunt Augustinus, Hieronymus, Gregorius Magnus, Athanasius, & Chrysostomus. Ad quorum authoritates nihil ferè respondent adversarij, nisi quòd PP. loquuntur de seruitute impropria.

22 Sed hoc nimis frivolum est: (iure subdit Lorca *ibi num. 15.*) nam si vna, aut altera esset Patrum locutio, admitti posset, ex inadvertentia neglexisse

se proprietatem sermonis: tamen cum tot, & tàm frequentes sint in Patribus huiusmodi locutiones; neque aliquis eorum adverterit, in hac enuntiatione adesse figuram, aut metaphoram; nihil aliud est dicere impropriè fuisse locutos, quàm contemnere eorum testimonia. Adde quòd nonnulli illorum, Christum Dominum non solùm vocant servum; sed addunt aliquod, quo denotatur esse servum proprijssimè. Athanasius enim *Epistola pro Nissena synodo contra Eusebium, & lib. vel sermone 3. Contra Arianos* multa dicit meritò in præsenti expendenda. Præsertim pondero, dixisse, quòd *omnes istæ voculæ* (scilicèt, servus, & aliæ similes) *in rationem humanitatis verè propriè competunt*. Et Augustinus *Epist. 178. Sed, & servum eundem evidentissimè confitemur*. Et Cyrillus *in libro Thesauri: sicut in forma Dei perfectus est Deus; ita in forma servi perfectus, est servus*.

23 Vnde patet, meritò nos dixisse *num. 11. cum Illustrissimo Merinero*, quòd si Damascenus pro opposita sententia adductus non posset aptè explicari; non propterea foret deserenda nostra conclusio, quæ tot tantorumque Patrum authoritate roboratur.

¶ Nec obstat, quod *num. 20.* expendebant adversarij, nempè Adrianum dixisse, tales loquutiones esse figurativas; sicut, quando Christus Dominus dicitur Leo, lapis, &c. Id enim dicit, eo quod erant locutiones veteris testamenti; in quo omnia in vmbra, & figura novi testamenti contingebant. ¶ Quando autem expendit idem Adrianus, numquam in novo testamento reperiri Christum Dominum vocari servum Dei; solùm intendit, quod raró, seu *non facilè invenitur in Evangelio*: vt in simili dicebat Augustinus *num. 20.* citatus. Invenitur tamen *Matth. 12.* vbi refertur idem locus *Isaiæ 42. Ecce servus meus, &c.* Nec obstat, Matthæum dixisse: *Ecce puer meus*, & non servus: nam ly *puer*, & significat eum, qui ætate est adolescens; & similiter eum, qui est servus. Vnde cum verba illa fuerint dicta de Christo D. quando non erat puer ætate: restat, vt pro servo accipiatur ibi ly *puer*. Qualitèr necessariò accipitur in illis verbis *Actorum 3. convenerunt in hac civitate adversùm puerum tuum Iesum*; id est adversus servum tuum Iesum.

DIFFICVLTAS II.

De spectantibus ad subiectionem, & obedientiam Christi Domini respectu creaturarum.

DVBIVM I.

1 PEres primò, an Christus D. fuerit subiectus, & obediēs sa-

ſacratiſsimæ Virgini? Reſpondetur affirmativè. Quia *Lucæ 2. num. 51.* dicitur, quòd *erat ſubditus illis*, nempè eius matri, atque Ioſeph eius patri putativo.

DVBIVM II.

2 PEtes ſecundò, an Chriſtus D. debuerit eſſe ſubiectus eius Sacratiſsimæ Parenti? Reſp. affirmativè. Quia eius humanitas recepit eſſe naturale ab illa non minùs ac alij filij: ergo eo titulo, quo alij filij debent eſſe ſubiecti, & obedire ſuis parentibus carnalibus, debuit Chriſtus Dominus eſſe ſubiectus Sacratiſsimæ Virgini. ¶ Sed obijcies id, quod inſinuavimus *num.* 5. nempè quòd humanitati vnitæ debebatur exhiberi reverentia, & cultus à quacumque creatura: ergo etiam Beatiſſima Virgo debebat illi præſtare talem reuerentiam: ergo Chriſtus D. non debebat ipſi Virgini eſſe ſubiectus: alias daretur circulus in obligatione. Reſpondetur negando vltimam conſequentiam: nec eſt aliquod inconveniens concedere illam mutuam obligationem: ſimilem enim illi paſsim cõcedimus: etenim Rex debet præſtare honorem, & reverentiam ſuis parentibus titulo generationis, ſeu quia ab illis accepit eſſe naturale: & aliàs parẽtes debent Regi præſtare honorem, cultum, & reuerentiam, tamquam Capiti Reipublicæ, debentque eius legibus & mandatis obtemperare.

DVBIVM III.

3 PEtes tertiò, an Chriſtus D. ratione humanitatis debuerit parere legibus humanis? Reſp. negativè. Quia vi vnionis erat ſupremus Dominus omnium creaturarum. Recolantur dicta *c. 11. diff. 1. à n. 1.* Dices, quòd Chriſtus D. ſolvit tributum pro ſe, & pro Petro in Capharnao: ergo tenebatur ſolvere. Reſpondetur negando: ſolvit enim non ex debito, ſed ne perturbarentur, qui accipiebant Didrachma: vt, poſtquã ſtatuit ibi Chriſtus D. loquens cum Petro eſſe immunem à tributo, expreſsit dicens; *Vt non ſcandalizemus eos, &c. da illis pro me, & pro te.* Huc ſpectant dicta *n. 6.*

CAPVT XV.

De Adoptione Chriſti D.

POſtquam egimus de ſubiectione, & ſervitute Chriſti D. reſpectu Dei, de eius adoptione ſuccedit diſputare: adoptio enim quoddam genus ſubiectionis importat, nempe ſubiectionem ſaltèm, & inferioritatem filij.

(∴)

DIFFICVLTAS VNICA.

De spectantibus ad adoptionẽ Christi D. in filium Dei.

DVBIVM I.

1 PEtes primò, quid sit adoptio? Respondetur, quod *est gratuita assumptio ad hæreditatem personæ aliàs extraneæ.* Quam definitionem admittunt communitèr: & ex ipsa patet, quòd ad adoptionem primo requiritur, quòd persona adoptata sit extranea, id est, non habeat ius respectu hæreditatis, ad quam assumitur. Secundò requiritur, quòd assumptio sit gratuita: nam si fiat titulo aliquo oneroso, non erit adoptio, sed vẽditio, aut alius similis contractus. Has duas conditiones requirit nõ solùm ius *ff. de Adoptionibus*; sed etiam Concilium Francfordiense *in Epist. ad Episcop. Hispaniæ* dicẽs: *Adoptivus non dicitur nisi qui est alienus; & adoptio non datur ex debito, sed ex indulgentia.* ¶ Tertiò requiritur, vt interveniant consensus adoptantis, & adoptati: est enim adoptio quasi quidam contractus inter vtrumque. Quare si adoptatus sit adultus, & sui iuris, requiritur eius cõsensus. Si autem non sit adultus, sed sit sub alterius potestate, & tutela, requiritur cõsensus illius, sub cuius cura est.

DVBIVM II.

2 PEtes secundò, quibus convenire possit adoptari? & adoptare? Respondetur propriè reperiri in Deo erga homines, & Angelos: quorum sanctificatio per infusionem gratiæ habitualis est verè, & propriè adoptio in filios Dei: Vt habetur *ad Rom.* 8. vbi Paulus spiritum iustificationis, seu sanctificationis vocat spiritũ adoptionis filiorum Dei. Quod etiam docet Trid. *sess. 5. c. 4.* Et ratio est, quòd in sanctificatione per infusionem gratiæ reperiũtur propriè conditiones requisitæ ad adoptionem. Assumit enim Deus Angelũ, vel hominem ad participationem suæ hæreditatis, id est, beatitudinis; & ad ipsam congruo tempore consequendam tribuit verum ius: respectu cuius, omnis creata persona est extranea: cùm ex vi suæ creationis, aut naturæ non sit illi debita talis hæreditas. Deinde hæc assumptio fit gratis: gratis enim iustificamur: Et demũ intervenit cõsẽsus adoptati: qui, si est adult⁹, disponit se ad iustificationem per proprium actũ: Si verò est infans, prodest ei Ecclesiæ fides, & consensus: qui interpretatur consensus ipsiusmet infantis.

3 Sed obijcies primò, quòd ad adoptionem requiritur, vt adoptatus ita sit extraneus, vt non accipiat esse naturale ab adoptante: sed iustificatus recepit esse naturale à Deo: ergo nequit ab eo adop-

adoptari. Respondetur maiorem esse veram regularitèr; non tamen est necessarium: vt patet in avo, qui potest nepotem adoptare in filium. Immo, & filius alias exhæreditatus, posset ab eodem patre adoptari in filium. Quare extraneitas petita ad adoptionem potiùs supponit pro extraneitate iuris respectu hæreditatis, quàm pro extraneitate physica personæ. ¶ Obijciunt secundò: adoptio fieri solet in solatium adoptantis, & ob carentiam legitimi filij: sed hoc repugnat Deo: ergo in eo nequit reperiri adoptio activa, seu adoptare. Respondetur maiorem esse veram solùm regularitèr, & per accidens. Vnde etiam in humanis, leges permittunt, quòd habens naturales filios possit adoptare non naturalem. ¶ Obijciunt tertiò: adoptatus non succedit in hæreditatem nisi post mortem adoptantis: sed hoc non potest cōtingere Deo: ergo neque in ipso est adoptio. Resp. maiorem esse veram solum de adoptione humana: non autem de adoptione facta à Deo. Leges autem humanæ hoc disposuerunt eoquòd hæreditas materialis nequit simul à duobus possideri, ita vt vtrique proficiat. ¶ Obijciunt quartò: adoptio humana in adoptato solùm ponit denominationem extrinsecam: ergo iustificatio per gratiam non est adoptio. Respondetur negando consequentiam: ad adoptionem enim est per accidens, quod ponat, vel non ponat aliquid intrinsecum in adoptato. Et ideo possent homines adoptare ponendo aliquam gemmam v.g. in adoptato. Et similiter posset Deus adoptare solùm per extrinsecam denominationem. Sicut hoc modo potest remittere peccatum auferendo totum illud, quod habet rationem culpæ: vt docent multi cum Scoto, *præsertim in 1. dist. 17. quæst. 2. §. De secundo articulo, & in 2. d. 28. §. Ad quæstionem, & in 4. d. 1. quæst. 6. § Contra istam, & §. Ad argumenta, & dist. 14. quæst. 1. § De secundo & dist. 16. q. 2.*

DVBIVM III.

4 PEtes tertiò, quid inferatur ex dictis? Respondetur inferri duo. Primum est, quòd adoptare Angelos, & homines est commune toti Trinitati: cùm sit opus ad extra: Quare si alicubi dicatur, quòd Pater adoptat, dicendum est, ly *Pater* sumi essentialiter: qua ratione idem est, ac Deus comprehendens omnes, & singulas tres personas Trinitatis. Vel dicendum est, esse loquutionem per attributionem, seu accommodationem: quia enim in creatis, qui alium adoptat, seu gratis assumit ad suam hæreditatem, dicitur Pater: ita in divinis adoptare tribuitur, seu accommodatur illi personæ Trinitatis, quæ nominatur Pater.

5 Alterum, quod infertur, est, quoscumque iustos esse filios adoptivos Dei: quia quicumque, dum est in gratia, habet ius ad hæreditatē Dei, per gratuitam assumptionem illius. ¶ Vnde omnes reijciunt *Gabrielem in 3. d. 10. q. vnic. art. 3. & Almaynum ibidem q. vn. art. 3.* dicentes, præscitum, etiam si iustus sit, non esse filium Dei adoptivum. ¶ Reijciunt etiam Alensem 3. *p. quæst. 10. mēb. 6. art. 5.* dicentem, in veteri testamento ante adventum Christi D. non fuisse filios adoptivos actu, & effectu; sed potentia tantùm.

¶ Item reijciunt Sotum in 4. *d. 12 quæst. 1. art. 4. §. Subinde,* qui dixit, iustos veteris testamenti non fuisse filios adoptivos propriè, & perfectè. ¶ Falluntur tamen omnes hi: quicumque enim, qui habet actu iustificationem, seu sanctificationem, (quæ est propria, & perfecta adoptio; vt diximus) actu, propriè, & perfectè est, & dicitur adoptivus. De quo præsertim legatur Lorca *disp. 84: à n. 6.* ¶ Contra, quòd antiqua lex dicitur lex servitutis; & constituisse servos: vt sæpè dicitur, præsertim *ad Rom 8. & ad Gal. 4.* ergo, iusti illius legis non erant filij adoptivi: Respondetur, cum Lorca *ibi num. 7.* negando consequentiam: quia, quando Scriptura tribuit legi antiquæ spiritum servitutis, & negat spiritum adoptionis filiorum Dei, solùm declarat id, quod habebant homines illius temporis ex vi illius legis: cuius observantia non habebat vim iustificandi; sed solùm constituendi servos: eoquod inducebat ad bonum timore pœnarum, & amore præmiorum huius vitæ. Quare gratia adoptionis, quæ tunc conferebatur, dabatur vi legis Evangelicæ, quam illa lex adumbrabat. Propter quod August. *lib. de Spiritu, & litt. cap. 17. & cum eo D. Thom. 1. 2. quæst. 106. art. 1. ad 3. & alibi,* dixit iustos illius legis, quatenùs iusti erant, non pertinere ad vetus, sed ad novum testamentum.

DVBIVM IIII.

6 PEtes quartò, an ab Ecclesia definitum sit, Christum Dominum, vt homo est, non esse filium Dei adoptivum, sed naturalem? Respondetur sub distinctione: diffinitum enim est in sensu Nestoriano; non autem in sensu, quo Scholastici Catholici id affirmant. Etenim omnino incredibile est, quòd Scholastici tot, & tanti (quos referam *à num. 17.*) affirmarent id, quod aliquando est ab Ecclesia damnatum, aut oppositum ab illa diffinitum. Item omninò est incredibile, quòd Ecclesia toleraret ab aliquo Scholastico affirmari id, quod ipsa aliquando damnavit, aut cuius oppositum definierat. Igitur, cum certū sit, Ecclesiā quondā dānasse assertionem de adoptione Christi D.

D. (vt dicam à n. 8.) & aliàs multis abhinc diebus toleret, non paucos Catholicos affirmare, Christũ D. secundùm humanitatem esse, & vocari posse filium Dei adoptivum; omnino certum videtur, alium esse sensum, in quo adoptio Christi D. fuit ab Ecclesia damnata, à sensu in quo à Scholasticis propugnatur.

7 Igitur duplicitèr potest asseri, Christum D. secundùm humanitatem esse filium Dei adoptivũ. Primo dividendo cum Nestorio Christum D. in duas personas, & constituendo accidentalem coniunctionem inter ipsas: & consequentèr ponendo duos filios Dei, (solùm accidentalitèr, seu per affectum inter se se vnitos) quorum alter esset verus Deus, & filius naturalis illius; & alter esset purus homo, & consequentèr filius Dei adoptivus ita purus, vt nihil Deitatis esset in illo. Secũdò modo potest asseri Christum Dominum esse filium Dei adoptivum secundũ humanitatem, non dividendo Christum D. in duas personas, aut in duos filios; sed dividendo eamdem personam filij Dei in duas naturas; (vt fides docet) cui personæ divinæ competat duplex filiatio, vna naturalis respectu naturæ divinæ; & altera adoptiva respectu naturæ humanæ: eo modo, quo eidem personæ filij (secundũ omnes) conveniunt duæ filiationes, vel generationes; vna æterna ex patre; & altera temporalis ex matre secundũm diversas naturas. ¶ Dicimus ergo quòd Ecclesia damnavit asserentes, Christum Dominum secundùm humanam naturam esse filium adoptivum Dei, in priori sensu; non autem in posteriori: in quo locuntur Scholastici, qui defendunt adoptionem in Christo D. Quod & ex dicendis ampliùs constabit.

DVBIVM V.

8 PEtes quintò in quo sensu Elipandus, & Felix asseruerint, Christum Dominum esse filium Dei adoptivum, & non naturalem? & consequentèr in quo sensu eorum assertio fuerit damnata? Respondetur loquutos, & damnatos fuisse in sensu Nestoriano numero præcedenti explicato Ita *Scotistæ communitèr, quibus subscribunt Suar. disp. 44. sect. 3. Valencia q. 20. puncto vnico, Ragusa disp. 30. §. 2. & Lorca disp. 84. memb. 2. à num. 15. num. 19. citat gravissimos historiographos sic sentientes de Elipando, & Felice. Hi sunt Alcuinus, Ioannes Aurelianensis, Sigibertus,* (authores quidẽ venerandæ antiquitatis: prior vixit ad annum 800. secundus ad annum 820. & posterior ad annũ 1100. teste Roberto Bellarmino *libro de Scriptoribus Ecclesiasticis) Antoninus, Palud. Marales. Mariana, & Cesar Baronius.* Et ratio est quòd si Elipandus, & Felix loquuti fuissent in posteriori sensu *numero præcedenti* explicato, in quo hac tempestate loquũtur Scholastici, qui

qui dicunt, ChristumD. secūdū humanitatem esse filium adoptivū, nullatenùs damnati fuissent; sicut nec modo damnat Ecclesia prædictos Scholasticos. Secundò probatur expendendo nonnulla verba concilij Francfordiensis: in Epistola enim ad Episcopos Hispaniæ versus finem sic loquitur prædictis Elipādo (Archiepiscopo Toletano sed natione Gallo). & Felici Episcopo Vrgelitano: *Nonne olim eadem vestra hæresis in Nestorio ab vniversali Ecclesia refutata, & damnata est?* Et *in epistola Adriani ad medium* sic dicitur prædictis Elipando, & Felici: *Adoptivum eum, quasi purum hominem, & calamitati humanæ subiectum non pertimuistis venenosa fauce susurrare.* Expendatur illud *quasi purum hominem*; quod est aperta hæresis Nestorij.

9 Pro ampliori autem horum notitia videndi sunt præcipuè *Vazq. disp.* 89. *Suar. disp.* 49. *Lorca disp.* 84. *à num.* 9. *nostri Fabrus in* 3. *disp.* 23. *cap.* 2. *Castillo disp.* 17. *Felix cap.* 19. *diff.* 11. *& multi alij.* Ex quibus suppono, prædictos Elipandum, & Felicem ante annum 783. palam docuisse, Christum D. in quantum homo est, esse filium Dei, non naturalem, sed adoptivum Propter quam assertionem damnati sunt, tamquam hæretici. Primò in Concilio Ratispon ēsi. Secundò ab Adriano 1. (ad quem ab illo concilio missus est Felix, qui coram Pontifice suam hæresim adiuravit) Tertiò à Concilio Francfordiensi congregato authoritate dicti Adriani, in eo præsidentibus eius legatis, & ab ipso postea approbato. ¶ Igitur ex his constat id, quod *num.* 8. asseruimus, nempe Elipandum, & Felicem in sensu Nestoriano tantùm asseruisse Christum D. esse & appellandum fore filium Dei adoptivum. Item constat id, quod asseruimus *num.* 6. nempè solùm in sensu Nestoriano damnasse asserentes, Christum D. esse filium Dei adoptivum, non autem in sensu Scholasticorū; quos sensus *n.* 7. declarauimus.

10 Sed *Vazq. & Fabro numero præcedenti citati* contendunt, Elipandum, & Felicem non fuisse loquutos in sensu Nestoriano, sed in sensu in quo Scholastici hac tempestate defendunt adoptionem: & consequentèr affirmant, in hoc sensu illorum assertionem fuisse damnatam à prædictis Cōcilijs Ratisponensi, & Francfordiensi, atque ab Adriano primo. Prædictos Vazquez, & Fabrum secuntur *Gasp. Hurtado disp.* 16. *diff.* 3. *& ex parte Petrus Hurtado disp.* 83. *à* §. 7. Putat enim, Elipandum, & Felicem ante vnionē hypostaticam constituisse prius tempore purum hominem cum creata personalitate; & posteà facta vnione vnicam remansisse personam in Christo Domino In quo sensu iudicat hic author fuisse dānatos, & vocatos Nestorianos propter affinitatem sui erroris cum errore Nestorij de dualitate

te personarum in Christo D.

11 Igitur obijciunt nobis prędicti Vazquez, &c. Si Elipandus erat Nestorianus quomodo scripsit Carolo Magno tàm pio, & Catholico, vt congregaret conciliū, & suā sententiam approbaret? Respondetur hanc esse hæreticorum dementiam. Hac enim ferè nostra tempestate, Lutherus ab Ecclesia damnatus hæreses Principibus suadebat; immo & aliquibus persuasit. Respondetur secundò, quòd lupus latebat sub ovina pelle. Non enim vtebatur nomine, quo vsus fuerat Nestorius: & ob hoc eius error aliquando vocatur nova hæresis: (scilicèt quoàd nomen) quia tamen erat vetus, & Nestoriana etiam ab Ecclesia aliquando vocatur antiquata; & iam damnata; vt vidimus *num.* 8.

¶ Obijciunt 2. quòd Elipandus in sua confessione sic loquitur: *Qui dicit; gloriam meam alteri non dabo, homo interior in vna, eademque Dei, & hominis persona adglomeratus, atque carnis vestimento indutus*: ergo non erat Nestorianus Patet consequentia: fatebatur enim in Christo D. vnicā personam. Respond. negando consequentiam: ad probationem dico, etiam Nestorium concessisse aliquando vnam personam Christi D. quamvis negaret ei vnum suppositum: quia persona aliquando significat dignitatem: & ipse concedebat hominem Christum vnitum fuisse Verbo secundùm participationem dignitatis. Vnde sicut admittebat vnitum dignitatis, ita vnitū personæ: vt videretur consentire Catholicis, quamvis in sensu differret; teste D. Th. 3. *p. q.* 2. *ar.* 6. *in corpore*. Potuit ergo Elipandus hac Nestorij calliditate ponere vnitum personæ in sa confessione: Quod satis indicāt eius verba: non enim dixit, in vna persona fuisse hominem Deo substantialiter vnitum, sed *adglomeratum*, & *indutum*. Quæ voces satis indicāt accidentalem coniunctionem, quam tantùm fatebatur Elipandus cum Nestorio. Et ideò negabat communicationem idiomatum. Quare nolebat concedere, Deum esse appellandum hominem; aut hominem Deum: sed dicebat, de Christo Domino esse proferēdum esse Deum humanatum, & hominem Deificum. (sicut Nestorius dicebat: *Christum D. esse filium Dei nuncupatiuè; non verè; adoptione; & proprietate*) Propter quod acriter reprehenditur à concilio dicente, *Vna persona Deus & homo non homo Deificus, & humanatus Deus*.

12 Ex quibus satis constat, Elipandum in sensu Nestoriano fuisse damnatum. Nestorianèque sensisse; quamvis aliquando callida æquivocatione dicat, in Christo Domino vnam tantum esse personam. ¶ Hinc multi cum Lorca *disputatione* 84. *numero* 15. reprehendunt Vazquez, & alios authores oppositæ sententiæ: eoquòd immeritò excusant hæreticos à suo errore, vt Catholicos

ticos condemnet in eo, quòd non etiam non est error in hac seu est probabilis, & forte probabilior sententia.

DVBIVM VI.

13 Petes sextò quale concilium fuerit Francfordiense? & quantæ authoritatis? Resp. non fuisse generale: fuisseque congregatū in quadam ciuitate, quæ nunc temporis Francofortum nominatur. Itaque ad ipsum non concurrit vniuersa Episcoporum Ecclesiæ multitudo. Fuit tamen prędictum concilium perfectæ authoritatis: eoquòd congregatum fuerit iussu Adriani primi, & præsidētibus in eo eius legatis, (qui fuerunt Theophilactus, & Stephanus) & ab eo fuerit postea approbatū. ¶ In quo concilio ex Germania, Gallia, & Italia interfuerunt treccenti Episcopi: vt ex aliquibus scriptoribus notat Vazquez *disp, 89, cap. 7. num 28.* Occasio autem congregandi hoc concilium fuit, quod Elipandus scripsit Epistolam Carolo magno Imperatori putās ipsi persuadere suam opinionem. Imperator vero benè instructus de impia Elipandi hæresi, vt damnaretur, rogavit Adrianum, vt iuberet cōngregari dictum concilium. Cuius concilij omnia acta non extant, sed solū supeerst quędam Epistola ad Episcopos Hispaniæ, & alia Epistola Adriani Papæ primi; atque quidam libellus inscriptus Sacrosyllabus, qui dicitur compositus fuisse à Sancto Paulino Archiepiscopo Aquiliesi in eodem concilio, & ab eodem concilio approbatus. His additur Epistola Caroli Magni Imperatoris.

14. Sunt tamen, qui dubitent de authoritate huius concilij. (inquit Lorca *disp. 84. num. 12.* & notant alij) Tùm quia diu latuit, & incognitum fuit, quoadusque per Laurētium Surium prolatum est, & excussum anno 1567. & insertum tertio tomo conciliorū. Tū quia legitur, hoc concilium definijsse aliquid contra ea, quæ definita fuerant *in 7. synodo generali* de imaginibus; & contra ipsam 7. synodum: vt constat ex Iona Aurelianensi, *(lib. 1. de cultu imaginū, qui habetur 4. t. aut 5. Bibliotecæ veterum Patrum)* qui est author illius temporis, & prædicto concilio interfuit. Tamen immeritò dubitatur de huius concilij authoritate. Tùm, quia Surius fuit diligentissimus, & fidelissimus in inquirendis originalibus eorum, quæ typis edidit. Quare ex vero exemplari fuisse transumptum credendum est. Tùm, quia postquam prodijt in lucem Ecclesia, & Doctores Catholici nihil cōtra ipsum obiecerunt. Quod autem dicitur de cōtrarietate cum septima synodo optimè explicat Baronius *ad annum 794.* Estque illud certum scilicèt, quòd si quid fuit actum in hoc concilio contra septimam synodum, fuit factum, reclamantibus Pontificis legatis, & ab eo nō fuit cōfirmatū. Et propterea nullum remansit ve-

stigium, aut carta illius decreti. Constat ergo authenticum esse cõcilium Francfordiense. ¶ Est etiã authentica, & non apocripha Epistola Adriani. Nec dubitari potest iam de hoc, postquã anno 1592. gravissimorum Doctorum Consilio Romæ ea Epistola inter decretales Pontificum Epistolas in 2. t. cum alijs eiusdem Pontificis excusa fuit, & communi consensu recepta: vt testantur multi cum Vazq. *disp.* 89. *num.* 29.

15. Obijcies stilum Adriani, & concilij esse alienum à stilo conciliorũ, & Pontificum. Primo, quia redolet elegantiam fucatam. Secundò, quia ita vehementer invehitur in Elipandum & Felicem, vt eos potius videatur lacessere cõvicijs, quàm revocare ab errore. Respondetur cum Petro Hurtado *disp.* 83. §. 3. Pontificibus stylum non esse decretum, sed Spiritum Sanctum vti naturali illorum loquẽdi ratione. Quod patet in Isaia & Amos; ille enim totus est aulicus; (Hispanè Palaciego) hic verò pastoricius. Imò idem Paulus inæqualis est in stylo: etenim Epistola ad Hebreos est elegantissima, & eruditione plenissima, ita vt cæteras alias superexcedat. Temporibus verò Adriani (Ecclesiam rexit ad annum 770.) floruit sermo latinus: vt patet ex confessione Elipandi (hominis Galli; vt vult Mariana) benè quidem latina. ¶ Ad secundam probationem. Resp. meritò Pontificem tãm acriter invehi in Elipandũ; Primò propter eius arrogantiam; qui putabat, in rebus fidei posse aliorum esse regulam; & ideo scripsit Carolo Magno, vt, ipso agente, congregaretur concilium, & sua sententia definiretur. Secundò, quia non solùm errorem defendebat, inficiebatque totam Hispaniam, sed etiam & Beatum, & Hetherium, qui contra ipsum librum composuerant, & sanam doctrinam prædicabant, Archiepiscopali sua authoritate tamquam hæreticos insectabatur.

16. Obijciunt secũdò ab Adriano ferè notari, vt hereticos sanctũ Ildephonsum, & Iulianum Archiepiscopos Toletanos. Cùm enim eos adduxissent Elipandus & Felix, vt authores suæ sententiæ; dicit Pontifex, ex talibus Patribus tales filios fuisse exortos. Respondetur, Pontificem aliorum relatu deceptum fuisse existimando à Sanctissimis Ildefonso, & Iuliano fuisse exortam errorem illum. Cuius author fuit Theodiscus Græcus Archiepiscopus Hispalẽsis, qui Archiepiscopatu amotus defecit ad Mauros; teste Petro Hurtado *disp.* 83. § 4. ¶ Nec mirum, in facto tàm distante, Potificẽ ab alio fuisse deceptũ. ¶ Notatq; Petrus Hurt. in eodem concilio D. Hetherium, & Beatum conatos fuisse defendere Ildefonsum, & Iulianum ab Elipanndi, & Felicis impostura.

(*⁂*)

DVBIVM VII.

17 PEtes 7. quid de adoptione Christi dixerint authores Catholici? Respondetur, quòd Durandus *in 3. dist. 4. q. 1.* affirmat, Christum D. in quantùm homo est, posse dici filium Dei adoptivũ. Quod probabile reputat Ricardus *eadem distinct. art. 2. q. 1. Imò, & Scotus in 3. dist. 10. q. 1. §. Respondeo vers. Etsi obijciatur, & §. Ad argumenta Versic. Ista negatio, & in Report. eadem dist. §. Et versic. Dico igitur. Lichetus autem exponit Scotum, vt problematicum; & Rada 3. p. controv. 5. art. 2. docet, Scoto hoc esse probabile. Pitigianus ar. vlt. docet, prædictã sententiã habere Catholicũ sensũ deniq; cũ Baßolio in 3. dist. 10. q. 1. ar. 2. & Tartareto eadẽ dist. conspirant multi Scotistæ in sententiam, quæ affirmat, Christum D. quatenùs homo, esse filium Dei adoptivũ.* ¶ Secunda sententia per oppositum affirmat, Christum D. non esse, neque vocari posse filium Dei adoptivum. Cõcedit tamẽ humanitatem ipsam Christi D. adoptatam fuisse, & adoptivam posse vocari, licèt impropria, seu quadam latiori significatione: propriè enim adoptari est filiorũ; humanitas autem non est filia. Ita *Gabriel, & Almaynus in 3. dist. 10. & Maior eadem distinctione.* ¶ Vtramq; hanc sententiam damnatam fuisse in Concilio Francfordiensi existimat Vazq. *dist. 89. c. 4. n. 13. & c. 3 n. 18.* Fallitur tamen; quia conciliũ solũ damnat adoptionẽ Christi D. in sensu nestoriano: vt constat ex *n. 6. 8. &* 10. ¶ Adde, quòd Marius Victorianus *lib. 1. contra Candidum Adrianum t. 5. Bliblioteca Patrum, & D. Hilarius citatus à S. Th. 3. p. q. 23. art. 4.* tribuunt adoptionem Christo D. secundũ humanitatẽ. Quod debebat cõpescere Vazq. & alios, ne temerè censurarent relatas sententias.

18 Imò Scotus *in Report. nu.* 17. citatus affirmat, posse absolutè, & in rigore sermonis concedi, Christũ D. esse filium adoptivum Dei, si aliàs non timeatur periculũ suspicionis hæreticorũ. (quod inter Chatolicos levitèr timeretur) Sic enim loquitur. *Quia sancti negarunt, Christũ esse filiũ adoptivũ Dei, propter hæreticos, qui solũ dixerũt eũ filiũ adoptivũ, & nullo modo naturalẽ: & ideò cũ illis noluerũt sancti cõmunicare propter malum intellectum; ideò dixerunt absolute, quòd non est filius adoptivus. Sicut dicit Damascenus de Beata Virgine contra hæreticum, quod ipsa non est Christotocon: quia noluit cõmunicare cũ eo, qui dixit, quòd tantùm fuit filius Virginis secundùm naturam humanam: cum quo noluit communicare; ideò dixit, quòd fuit Theotocon. De virtute tamen vocis potest dici filius adoptivus Dei: sicut vnus alius homo: quia prius natura habuit naturam, quàm ordinaretur ad hæreditatem. Et sic fuit sufficientèr extraneus.*

19 Tertia sententia affirmat, Christum D. vt homo est, non esse filium

filium Dei adoptivũ, sed naturalẽ. *Ita D.Th. 3. p.q. 23. art. 4. Magister. Palud. & nostri Alensis, & D. Bonav. communiter citari.* Quã sententiam probabilem esse censet Scotus *num. 17.* citatus: estque communissima inter interpretes D.Th. quam sequuntur *Suar. Vazq. Becanus, Valencia, & Ragusa, quos citant & secuntur G. Hurt. disp. 17. diff. 3. & Petrus Hurtado disp. 83. §. 39.* ¶ Inter AA. istos est controversia, vtrùm Christus D. secundùm quòd homo dicendus sit filius naturalis nõ solũ Patris, sed etiam Spiritus Sancti, & sui ipsius? aut totius Trinitatis. De quo præcipuè videatur Lorca *disp. 84. à n. 39.* qui negativè respondet contra nonnullos. Recolantur dicta *c. 14. diff. 1. n. 18.*

DVBIVM VIII.

20 PEtes 8: quid nobis tenendũ sit? Dico primò: omnes sententiæ *à num. 17.* relatæ sunt Catholicæ, & absque vlla erroris suspicione possũt defendi. Patet: quia à Catholicis Authoribus defendũtur, & ab Ecclesia tolerantur. ¶ Dico secundò: prima, & tertia sententia sunt probabiles secundũ Scotum. Quod constabit legenti eum in locis *n. 17.* citatis.

21 Dico tertiò: mihi præferenda est sententia, quæ defendit Christum D. secundum quòd homo est, esse filium Dei adoptivum. Quia ei competunt conditiones, quas ad propriã adoptionem numerabamus *n. 1.* nempè quòd sit gratuita assumptio ad hæreditatem. Secunda quòd sit personæ extraneę. Tertia quòd interveniãt consensus adoptantis & adoptati. ¶ Dices, quòd persona Verbi nõ est extranea respectu Dei: ergo Christus D. nequit esse filius adoptivus. Resp. distinguendo consequens: est enim concedenda consequentia de Christo D. considerato secũdùm naturam divinam, cui personalitas Verbi est propria: neganda vero est consequentia de Christo D. considerato secundùm naturam humanã, cui personalitas Verbi est alienã, extrinseca, & accidentallis. Et ratio est, quòd actiones (latè sumptæ: qua ratione etiã passiones, seu assumptio passiva dicitur actio) sunt suppositorum denominativè tantùm; naturarum verò substãtialiter & elicitivè. (vt sæpè conculcatum est) Et ideò quod adoptatur in filium nõ est tàm persona formaliter considerata, seu personalitas, quàm natura, quæ subsistat personalitati: atque adeò si natura sit extranea, potest adoptari, quamvis personalitas sit propria. Sicut posset adoptari natura extranea existẽs sine propria, & aliena personalitate. Et sicut de facto adoptat Deus animã separatam existentem in cœlo, & in purgatorio.

22 Dices 2. quòd nullum fuit tempus, aut instans, in quo humanitas Christi Domini habuerit negationem iuris ad hæreditatem: ergo non potuit adoptari.

Pa-

Patet consequentia:quia,qui adoptatur,debet non habere ius. Antecedens constat;quia nullum fuit tempus, aut temporis instans, in quo humanitas non fuerit vnita Verbo diuino; imo & in quo non fuerit ornata gratia sanctificante, in qua proximè, & immediatè (secundùm nos Scotistas) fundatur ius ad hæreditatem. Respondetur negando consequentiā: sufficiebat enim quòd in primo instanti naturæ fuerit extraneitas, seu carentia iuris, quod conferebatur in secundo:vt docet Scotus *in 3. dist. 10. §. Respondeo vers. Etsi obijciatur.*

23 Addo, ad extraneitatem pro adoptione requisitam sufficere, quod natura illius,qui adoptatur, ex se non habeat ius ad hæreditatem, sed illud recipiat per adoptionem,aut voluntariam assumptionē ad hęreditatē. Quod autem priùs tempore, aut natura præcedat esse naturale ad voluntariam assumptionem est omninò accidentarium. Quare si excogitetur casus,in quo voluntaria assumptio, seu adoptio præcederet aut simul natura esset cum esse naturali adoptati, vera adoptio subsisteret penès hoc præcisè quòd adoptatus ex se, aut quantū est ex se erat extraneus, seu nō habebat ius ad hæreditatem illam, ad quā voluntariè fuit assumptus. Hac fortè ratione potest adoptari filius Regis v.g. antequam nascatur, aut concipiatur. Et hac quoque ratione verum est, quod modò, seu de facto Christus Dominus (& quilibet Iustus) habet carentiam iuris ad hęreditatem. Quamvis enim humanitas Christi D. sit vnita Verbo (propter quam vnionem de congruo, aut remotè habet ius ad hæreditatem; hoc est, exigit de congruo, quòd ei collata fuerit gratia sanctificans, in qua proximè, & immediatè fundatur ius ad hæreditatem) & iam de facto habeat gratiam sanctificantem: ex se tamen, seu quantum est ex se neutrum habet: & consequentèr etsi absolutè sit verum quòd modò habet ius ad gloriam, seu ad hæreditatem Dei vi gratiæ sanctificantis: tamen cum addito isto, *ex se, seu quantùm est ex se*, verum est, quòd tale ius non habet. Sicut etsi de Petro, qui est albus, absolutè sit verum quòd habet albedinem, aut est albus, tamen cum hoc addito *ex se, seu quantum est ex se* verum est quòd non est albus, aut saltèm præscindit ab albedine. Et hac ratione dictitamus saltèm Scotistæ, quòd etsi de facto natura humana Petri v.g. sit singularis; tamen quantum est ex se non est singularis; sed communis negatiuè.

DVBIVM IX.

24 Petes nonò, solutionem argumentorum, quæ ex Concilio Francfordiensi fiunt contra adoptionem. Igitur obijciunt nobis, quòd prædictum Concilium contra Elipandum sumit

mit argumentum ab authoritate negativa: non enim in scriptura (expendit Concilium) Christus D. dicitur filius adoptivus, sed naturalis: ergo quia non est adoptivus. Resp. negando consequentiam, aut causalem: quia est ab authoritate negativa. ¶ Dices: ergo ratio concilij fuit inefficax. Resp. non facilè esse concedendum, rationē adductam ab aliquo concilio ad definiendū aliquē articulū esse parū efficacē. Tamen hoc admisso, non infertur, incertum esse aut nō esse de fide articulum definitum: quia certitudo eorum, quæ in cōcilijs definiuntur, non sumitur ex efficacia rationum, sed ex assistentia Spiritus Sancti ad indefectibilitèr cognoscendum veritatem rei definitæ: vt notat eruditus Lorca *disp. 84. num. 50.* ¶ Instabis quærendo: cur scriptura nullibi vocet Christum D. filium Dei adoptivū? Respondetur servasse communem modum loquendi, quo ille, qui duos titulos habet, semper ab excellentiori nominatur: vt patet in Rege, qui quamvis aliàs sit Comes, aut Dux alicuius provinciæ, semper tamen appellatur Rex, nisi quando aliqua specialis ratio, aut causa aliud postulat. Propter quam specialem causam credo, scripturam Christum D. aliquando vocasse filium hominis: (quāvis aliàs simul sit filius Dei; qui titulus, est excellentior) erat enim necessarium declarare veritatem naturæ assumptæ.

25 Obijciunt secundò, Adrianum expendentem illud *ad Romanos 8. Proprio filio suo non pepercit:* vbi sic loquitur Pontifex: *nam si propriū appellat, quomodo erit adoptivus?* Adducitque Pontifex alia, in quibus Christus D. secundùm quòd homo dicitur filius Dei verus, & proprius. Respondetur efficacitèr quidem hæc à Pontifice adduci, & expendi contra Elipandum Nestorianè ponentem duas personas, & duos filios in Christo D. atque adeò veram communicationem idiomatum negātem. Tamen cōtra Scholasticos ponētes adoptionem cum vnitate suppositi parùm vrgent, quamvis intelligantur de Christo D. vt homo est: quia secundùm ipsos proprietates vnius naturæ in concreto prædicantur de alia per communicationem idiomatum. Quare eodem modo Christus D. vt homo dicitur proprius & verus filius Dei naturalis; (non obstante, quòd intrinsecè, & formalitèr sit filius Dei adoptivus) ac è contra de Christo D. vt Deus est, dicitur extrinsecè, & per communicationē idiomatum, quòd sit traditus, mortuus, &c. non obstante, quòd secundū divinitatem est intrinsecè, & formalitèr impassibilis, immortalis, &c.

26 Obijciunt 3. multos PP. qui aliquando dicunt, Christum D. nō esse filium Dei adoptivum: immo aliquando addunt, etiam secundùm humanitatem non esse adoptivum. Qui PP. videndi sunt apud RR. præcipuè apud Lorcam

disp. 84. *num.* 31. Respond. solùm loqui in sensu Nestorij, quasi dicerent, Christum D. etiam vt homo est, non esse filium Dei adoptivũ distinctum personaliter à filio Dei naturali. In quo sensu PP. Concilij Francfordiensis existimarunt fuisse locutos D. Ildefonsum, & Eugenium (secundum Lorcam) aut Iulianum (secundùm Petrum Hurtado) Archiepiscopos Toletanos: quorũ authoritatibus abutebatur Elipandus affirmans, eos in officio missæ à se composito Christum D. appellasse filium Dei adoptivum. Et ideò prædicti PP. Concilij nihil aliud responderunt, quàm contemnere eorum authoritatem; quæ tunc temporis non erat satis nota, sicut neque eorum sanctitas. Tamen hi concilij PP. aliorum relatu fuerunt decepti circa veram intelligentiam D. Ildefonsi, &c. vt de ipso Pontifice Adriano notabamus *num.* 16. ex Petro Hurtado.

27 Obijciunt deinde rationes, quas adduxit Concilium Francfordiense contra Elipandum. Prima sumitur ex vnitate suppositi, seu personæ Christi D: qui cũ sit filius naturalis, non potuit simul esse adoptivus adhuc secundùm humanitatem. Respond. hanc rationem cõvincere sanè, quòd vbi est vnica persona, nequit esse alius & alius filius; vnus naturalis, & alius adoptivus. (vt Nestorianè contendebat Elipandus) Quia secundùm Philosophos, & Theologos ad distinctionem, seu multiplicationem concretorum accidentalium (quale concretum est nomen *filius*) non sufficit multiplicitas formarum; sed necessariò requiritur multiplicari suppositâ; seu subiecta. Neutiquam tamen prædicta ratio convincit, vnicam personam non posse habere duas filiationes secundùm duas naturas; vnam naturalem, & alteram adoptivam. Sicut enim stat, quòd eadẽmet persona Christi D. secũdùm quòd Deus est, habeat filiationem æternam respectu Patris; & secundùm quòd homo est, habeat filiationem temporalem respectu matris: ita stat etiam, quòd secundùm quòd Deus est, habeat filiationem naturalem respectu Dei, id est, respectu primæ personæ Sanctissimæ Trinitatis, à qua Verbi persona procedit æternalitèr per veram generationem: nec non & quòd habeat simul secundùm quòd homo est, filiationem adoptivam respectu eiusdem Dei; eo quòd ab eo recipit gratiam sanctificantem: quæ est forma, per quam Deus adoptat in filiũ. Et sicut stat, quòd Christus D. quatenus homo, habeat intrinsecè, & formalitèr filiationem temporalem; & aliàs per communicationẽ idiomatum, & extrinsecè dicatur æternus: ita stat optimè, quòd secundum quod homo est, sit intrinsecè & formalitèr filius adoptivus Dei; & aliàs extrinsecè, & per cõmunicationem idiomatum dicatur filius naturalis Dei.

28 Secunda ratio concilij est, quòd

quòd si Christus D. secundùm quod homo est, est filius adoptiv⁹ Dei, sequitur, B. Virginem non esse matrem Dei. Respond. hanc rationem esse efficacem contra Elipandum, qui Nestorianè ponebat in Christo D. duas personas; & consequentèr duos filios; vnũ purè naturalem, & alium purè adoptivum. Nihil tamen convincit contra Scholasticos ponentes in Christo D. vnam personam tantùm atque vnum filium cũ duplici filiatione: qui consequentèr affirmant, eumdem esse filium naturalem Dei secundũ divinitatem & adoptivum secundù humanitatem.

29 Tertia ratio Concilij est, nullum fuisse tẽpus, in quo homo ille Christus fuit separatus à Verbo: existente autem humanitate vnita Verbo, nequit verificari, quòd sit filius adoptivus. Resp. cõcludere contra Elipandum, qui affirmabat, Christum D. quatenùs homo est, esse purè filiũ Dei adoptivũ, & nullo modo adhuc per cõmunicationem idiomatum posse dici filium Dei naturalem: contra quẽ bene convincitur, quòd si nũquã humanitas fuit separata à Verbo, nũquam Christus D. potuit dici filius adoptivus. Tamẽ nihil cõcluditur contra nos, qui concedimus Christũ D. fuisse, & esse filium adoptivũ, non purè, aut excludẽdo filiationem Dei naturalẽ; & cõsequenter dicimus, quòd stante vnione ad Verbũ, sicut est filius naturalis formalitèr, & intrinsecè ratione naturæ divinę sibi ab intrinseco cõmunicatæ à Patre per generationẽ: ita est filius adoptiv⁹, quatenùs homo est, ratione infusionis gratiæ sanctificantis communicatæ prędictæ humanitatæ.

30 Quarta ratio concilij est: ille adoptatur qui aliàs est extraneus & ad hęreditatẽ gratis assumitur. Sed Christus D. numquã fuit extraneus: etenim ex quo cæpit esse, fuit vnitus cum Deo, & idẽ suppositũ cũ illo: ergo nõ fuit adoptivus. Resp. convincere repugnare Christo D. adoptionẽ, quã Nestorianè ponebat Elipandus scilicèt cum distinctione suppositorũ. Si enim Christus D. nũquã fuit suppositalitèr extraneus, sed semper habuit idẽ suppositũ ac Verbũ (vt fides docet, & supponit conciliũ) pugnat quidem esse adoptivũ cum suppositi distinctione. Sequeretur enim Christũ D. esse, & non esse suppositalitèr distinctũ à se ipso. Esset, inquam, distinctus, vt petebat adoptio, quam Nestorianè cõcedebat Elipandus; & simul nõ esset distinctus: vt fides docet, & supponebat concilium.

DVBIVM X.

13 PEtes decimò, solutionem argumentorũ, quæ aliunde facit oposita sententia, eiusdemq; sententiæ explicationem. Igitur ex huculque dictis constat, estque apud Catholicum statutum, Christum

ſtum Dominum in quantùm homo eſt, eſſe appellandum filium naturalem Dei extrinſecè, & per communicationem idiomatum. Intendit tamen oppoſita ſententia, nullam aliam filiationem reperiri in Chriſto D. etiam vt homo eſt, atque adeò etiam per illam intrinſecè denominari. Exiſtimant enim, æternam filiationem, quæ Chriſto D. cõvenit, quatenùs Deꝰ eſt, quaſi extendi ad denominandum eius humanitatem, ſeu (propriùs loquendo) ipſummet Chriſtum, quatenus homo eſt. Et vt probet, Chriſtum D. quatenus homo eſt, eſſe filium naturalẽ Dei, obijcit prædicta ſententia: Sicut actiones, & paſsiones ſunt ſuppoſitorum, ſic filiatio eſt forma denominans ſuppoſitum, ſeu perſonam. Sed in Chriſto D. tantũ eſt vna perſona; eique intrinſecè competit filiatio naturalis Dei: ergo Chriſtus D. etiam, vt homo, tantùm poteſt dici filius naturalis Dei. Reſp. quòd ſicut actiones elicitivè ſunt à natura, & paſsiones in ipſa recipiuntur: ſolùm autem denominativè ſunt ſuppoſitorũ: ita filiatio fundatur immediatè in natura; & ſolùm denominative eſt ſuppoſiti ſuſtentantis naturam. Quare cùm in Chriſto Domino ſint duæ naturæ; ita in illo poſſunt poni duæ filiationes; alia naturalis fundata in natura divina, & terminata ad Patrem, ſeu primam perſonam Trinitatis, à qua recepit prædictam naturam divinam: & alia temporalis fundata in natura humana ornata per gratiam ſanctificantem, & terminata ad Patrem eſſentialiter ſumptum, ſeu ad totam Trinitatem, à qua in tempore, id eſt ab initio infuſionis gratiæ illa humanitas, ſeu (propriùs loquendo) Chriſtus Dominus quatenùs homo, adoptatur in filium. Immò duas filiationes, aliam æternam reſpectu Patris, & aliam temporalem reſpectu matris, fatentur omnes eſſe in Chriſto Domino non obſtante, quòd vna eſt in illo perſonalitas.

32 Dictum autem illud (*Actiones ſunt ſuppoſitorum*) ſolùm intendit, naturam non operari quoaduſque ſit ſuppoſitata. Quod verum eſt. Cùm enim ſuppoſitalitas, ſeu ſubſiſtentia, ſit quidam modus ſubſtantialis naturæ, priùs debet ei advenire; (loquendo de facto, aut de lege ordinaria) quã incipiat operari, aut pati. Operari enim, aut pati ſpectat ad eſſe accidentale naturæ, & aliàs eſt certum, quòd accidentia ſunt poſteriora ſubſtantijs. Cùm quibus bene ſtat, quòd quamvis in Chriſto Domino ſit vnica perſonalitas, ſit in eo duplex filiatio; alia naturalis fundata in natura divina ſibi communicata per generationem: & alia adoptiva fundata in natura humana gratis aſſumpta (media gratia ſanctificante) ad hæreditatem Dei. Sicut nõ obſtãte, quòd in ipſo ſit vnica perſonalitas, fatentur omnes, eſſe in eo duplex genus actionum, ſcilicet divinæ, & humanarũ; eo quòd

in

in eo reperitur duplex integra natura.

33 Demùm sic argumentantur: Christus D. vi vnionis acquisivit ius ad hæreditatem, & ad bona Dei meliùs quàm nos acquirimus per gratiam habitualem: ergo etiam vt homo est filius Dei naturalis. Antecedēs constat: quia ex vi vnionis manet formalitèr vnitus filio Dei. Consequentia autem est certa: filius enim naturalis melius ius habet ad hæreditatē paternam, quàm filius adoptivus. Respondetur negādo antecedēs; quia Christus D. vt homo non mā sit formalitèr sanctus vi vnionis: vt diximus *cap.* 7. *diff.* 1. *à num.* 1. Probatio autem antecedentis nihil cōvincit: ex eo enim, quòd humanitas Christi D. aut homo Christ⁹ aut Christ⁹ D quaten⁹ homo vi vnionis maneat formalitèr vnitus filio naturali Dei, non sequitur, quòd sit formalitèr filius Dei; sed solū per communicationem idiomatum.

DVBIVM XI.

34 PEtes 11. quæ colligantur ex dictis? Resp. primò colligi, nullum esse incommodum concedere, (*cum Gab. Almayno, & Maiori num.* 17. citatis) humanitatem Christi D. fuisse adoptatam: nam vnio, & cætera dona fuerunt humanitati gratis concessa. ¶ Nec refert, quòd obijciunt Lorca, & alij; nempè quod adoptio nō cōvenit naturæ, sed personæ, seu supposito. Respondetur enim quòd convenit supposito propter naturam: vt *num.* 31. *&* 32. expendebamus. ¶ Nec similitèr refert, quòd alicubi damnetur hæc propositio (*Humanitas Christi D. adoptata fuit*) Respond. enim, solùm damnari in sensu Elipandi; qui Nestorianè dicebat, naturam creatam non distingui realitèr à supposito: atque adeo fuisse adoptatam humanitatem subsistentem subsistē-tia seu personalitate creata: vt notant aliqui, præcipuè Felix *cap.* 19. *diff.* 1. *in fine.* Aut damnatur in alio sensu eiusdem Elipandi, qui dicebat, humanitatem prius tempore extitisse sub propria personalitate quàm vniretur Verbo: vt ipsum sensisse notat Petrus Hurtado *disp.* 83. §. 7.

35 Colligitur secundò, quòd in hypothesi, quòd Christo D. quatenùs homo est non convenirent conditiones necessariæ ad adoptionem, non ideò dicendus esset filius naturalis Dei. Quia multò magis distant ab illo conditiones necessariæ ad filiationem naturalem Dei, quàm ad adoptivam. Vna enim ex conditionibus ad filiationem naturalē est similitudo in natura: etenim generatio (per quam solùm producitur filius) *est origo viventis à vivente à principio coniuncto in similitudinem naturæ.* Repugnat autem Christo Domino quatenùs homo est, aut eius humanitati ly *in similitudinem naturæ.* Est enim per se notum, non esse eiusdem naturæ, ac Pater æternus est. (sumpto ly *Pater*

notionaliter: qua ratione supponit pro prima persona Sanctissimæ Trinitatis; aut sumpto essentialiter, qua ratione supponit pro Deo, seu pro tota Trinitate) Si autem ly *in similitudinem naturæ* denotet, genitum debere procedere à potentia naturali, seu modo naturali; (De quo *in tract. Trinitatis ad quæstionem illam: cur productio Verbi sit generatio, non autem productio Spiritus Sancti?*) hoc etiam pugnat Christo Domino, vt homo est; aut eius humanitati: quæ liberrimè fuit producta, necnon, & vnita Verbo divino. Igitur adhuc admisso, quòd Christus Dominus, vt homo, non esset filius adoptivus; non propterea foret appellandus naturalis: vt annuit Fabro *super 3. disp. 23.* affirmat enim *num. 15.* Christum Dominum secundùm quòd homo est, non esse filium adoptivum, & *num. 18.* non esse filium naturalem Dei.

36 Neque audiendi sunt *Vazquez, Suarez. Becanus, & aliqui alij, quos sequitur Gasp. Hurt. disp. 17. diff. 3. præsertim num. 20.* qui distinguunt duplex genus filiationis naturalis; aliam per generationem, & aliam per donum vnionis ad propriam personam, ita vt persona humana, vt humana in Christo Domino includat semper personam Dei, & non alienam. Primam filiationem negant Christo Domino quatenùs homo est, & admittunt secundam: ita tamen, vt, si Pater, aut Spiritus Sanctus vnirentur humanitati, essent quidem, vt homines, filij naturales Dei. Vide Petrum Hurt. *disp. 85. à §. 56.* qui hos Authores explicat, & extollit: eos tamen reijciunt multi, præsertim *Basilius, Poncius 1. p. Variarum relectione 4. & Lorca disp. 84 à num. 39.* Et meritò: introducunt enim genus filiationis naturalis hucusque philosophię incognitum. Insuper ex eo sequeretur, Christum Dominum vt homo est, esse filium naturalem non solùm Patris, sed etiam Spiritus Sancti, atque sui ipsius; atque adeò totius Trinitatis.

37 Sed prædicti Authores concedunt sequelam. Immò ita esse dicendum, probant ex illo *Matth. 3. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene-complacui:* expendunt enim ly *complacui*, quòd propriè significat simul cum alijs placere. Quare videtur, totam Trinitatem protulisse verbum illud. ¶ Tamen quàm absurda sit sequela ab his authoribus admissa, patet ex XI. Concilio Toletano *in confessione fidei* vbi ex August. *in Encheridio c. 38. & 39. necnon, & 20. de Trinitat. cap. 10.* dicitur: *Nam Christus Iesus nullo modo Spiritus Sancti filius credi, vel intelligi potest, nec suus* Et quòd ibi non sit sermo de Christo Domino, vt Deo, (vt respondent multi cum Vazquez *disput. 89. cap. 14.*) patet ex contextu; vbi dicitur; *pro eo quòd Beata Virgo Maria, eodem Spiritu Sancto obumbrante, genuit.* Immò in opposita sententia

tia possemus concedere duos patres naturales in Christo Domino contra id, quod subdit Concilium: *Ne duos patres filij videamur concedere: quod nefas est dictu.* ¶ Ex eo autem, quod omnes tres personæ complacuerint in Christo Domino non sequitur, eum esse omnium filium: quia etiam in generatione Christi Domini vt Deus est, complacuerunt omnes tres divinæ personæ: & tamen de fide est, solùm esse genitum à Patre, & solùm esse filium illius.

CAPVT XVI.

De oratione Christi D.

DICENDA in hoc capite affinitatem habent cum dictis in duplici capite præcedenti, vbi de inferioritate Christi Domini quatenùs homo est, disputavimus: etenim oratio pertinet ad reverentiam, & obsequium, quod servus debet Domino suo; vel quod saltèm aliquomodo inferior præstat superiori.

(∴)

DIFFICVLTAS I.

De spectantibus ad orationem Christi D. in via.

AD plenam intelligentiã dicendorum in isto capite præmittẽdum est, quæ sit natura, & quidditas orationis. Et ideò sit.

DVBIVM I.

1 PEtes primò naturam, & quidditatem orationis. Respondetur, quòd nomen *oratio* primò impositum fuit ad significãdum orationem vocalem nam oratio idem est, ac *oris ratio*, seu ratio ore prolata. Vnde trãslatum est nomen oratio ad significandũ orationem mentalem. Igitur ab vtraque abstrahendo, seu vtramque comprehendendo, *oratio est manifestatio desiderij alicuius rei, quam ab aliquo tamquã à superiori impetrare cupimus.* Legatur D. Th. 2.2. q. 83. art. 1. *in corpore.* ¶ Dices, quòd *ad Rom. 9. Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus:* ergo oratio, seu postulatio non respicit necessariò alium, tãquam superiorem. Respondetur negando consequentiam: quia ibi (*postulat pro nobis*) idem valet, ac postulare nos facit; teste Augustino Epistola 121. communiter recepto. Estque commu-

nis phrasis Scripturæ, qua Deus dicitur facere, quod nos facit facere: iuxta illud *Gen. 22. Nunc cognoui,* (id est, cognoscere te feci) *quòd timeas Deum.*

DVBIVM II.

2 PEtes secundò, ad quam potentiam spectet oratio? Respondetur pro formali spectare ad volũtatẽ. Sic videtur necessariò philosophandum cõsequentèr ad id, quod Scotus docet de lege, aut imperio. Lex enim, seu imperium (secundùm Scotum) pro formali est actus voluntatis; & solùm cõcomitantèr est actus intellectus, qui dicitur intimatio: ergo & oratio. Patet consequentia, quia lex aut imperium insinuatur, seu declaratur inferioribus; oratio autẽ superiori. Antecedens autem probant multa testimonia, quib⁹ nomine voluntatis lex, & præcepta significantur. Sufficiat illud *Machabæorum 1. n. 3. Det vobis Deus, vt faciatis eius voluntatem.* Necnon & illud Vlpiani *l. 1. ff. de constitutionibus Principum*, dicentis: *Quod Principi placuit, legis habet vigorem.* Confirmatur: quia communissimè dicitur, voluntatem imperare alias potentias; & quòd aliæ potentiæ obediunt imperio voluntatis: ergo sic loquẽtes supponunt, legem, aut imperiũ spectare ad voluntatem. Hanc nostram conclusionem defendit Fabro *in Additionibus ad 4. disp. 9. cap. 9. n. 209.* quę magis roborabitur ex his, quæ (Deo dante) dicemus *in tract. de legibus*, dum ex professo disputabimus, an lex formalitèr spectat ad voluntatem.

DVBIVM III.

3 PEtes tertiò, an Christus D. in via verè, & propriè orauerit? Respond. affirmativè. Quia verba Scripturæ propriè sunt accipienda; si non appareat aliquod incommodum. Sed in Scriptura dicitur *Lucæ 6.* quod Christus D. *erat pernoctans in oratione Dei.* Et aliàs nullum apparet inconveniẽs in hoc, quòd prædicta verba propriè accipiantur: ergo verè, & propriè orauit. Ita docent multi PP, præsertim *Augustinus tract. 104. in Ioannem, & Ambros. lib. 5. in Lucam cap. de Oratione Christi, & lib. 4. de fide ad Gratianum,* cuius verba referam *n. 5.* Ex Scolasticis tenent *Magister in 3. dist. 17. & in 4. dist. 19. D. Th. 3. p. q. 21. art. 1. & communitèr Theologi.*

4 Sed objicies Damascenum *4. de fide cap. 19.* vbi inter ea, quæ pro nobis Christus assumpsit, affirmat, quædam assumpsisse simulationis modo: vt cùm interrogavit de Lazaro *Ioan. 11. vbi posuistis eum?* Et addit Damascenus: *& cùm precatur:* ac si diceret: quãdo Christ⁹ D. orabat, simulabat, se oratione indigere; sicut nos indigemus. Censet ergo Damascenus, Christũ D. preces ad Deum solum quoad ap-

apparientiam, simulatè, & exteriùs tantùm fudisse; vere tamen, & ex corde non orasse. Idem ac Damascenus, docent *Ambrosius, Euthimius, & Theophylactus citati à Vazq. disput. 81. cap. 2. num. 9. necnon, & Chrysostomus citatus à Lorca disp. 78. num. 2.*

5 Respondetur, hos PP. solùm velle, quod oratio Christi D. relata ad divinitatem aliquid habuit simulationis: dùm enim exteriùs coram hominibus orabat, & agebat gratias Deo, indicare videbatur, personam, qua subsistebat eius humanitas, impotentem, & imbecillem esse ad ea, quæ postulabat, & pro quibus gratias agebat: nam cum Dei auxilium postularet, indicare videbatur, se nõ esse Deum, à quo illud petebat. Non tamen negant PP. quòd eadẽmet oratio Christi D. relata ad eius humanitatem fuit vera, & propria. Quam distinctionem eiusdem orationis Christi D. præ cæteris insinuat D. Ambrosius *lib. 5. in Lucam cap. de Oratione Christi* dicens: *Denique vt scias, quòd secundùm hominem rogat; diuinate verò imperat, habes in Evangelio: Ego pro te rogavi Petre &c.* Et infra agens de miraculo Lazari, & de oratione, quæ ibi intervenit, dicit: *Ex persona hominis Incarnati susceptione loquebatur.*

¶ Hæc solutio vera, & sufficiens est. Si tamen aliquis contendat, aliquos PP. docuisse, Christum D. vt homo est, non orasse verè: sed simulasse orationem; huius examen prætermittendum est. Sufficit enim oppositum docere cõmuniter Theologos cum D. Augustino, & Ambrosio *num. 2.* citatis.

6 Dices: frustra, & simulatè, quis petit, vt fiat, vel non fiat id, quod certò scit futurum, aut non futurum. Sed Christus Dominus etiam vt homo, certò sciebat omnia, quæ erant futura, & quæ non erant futura: ergo eius oratio erat frustranea, & simulata. Patet consequentia: non enim poterat Christus D. petere animo impetrandi id, quod sciebat nec futurum, nec impetrandum: petere autem sine animo impetrandi potiùs videtur simulare orationem, & petitionem, quàm vere petere, & orare. Respondetur distinguendò maiorem: est enim vera, quando illud futurum, aut non futurum est independens ab oratione postulantis: falsa autem, quando qui petit, scit dependere ab oratione sua positionem, aut non positionẽ illius futuri. Quare concessa minori, negatur consequentia. Ad probationem dico, quòd sciebat Christus D vt homo, decreuisse Deum futuritionem multarum rerum dependentèr ab eius oratione: (Idem dico de aliquarum rerum non futuritione.) & ideò pro illarum eventu vera oratione postulabat.

7 Respondetur secundò negando maiorem: Deus enim certissimè scit, non omnes homines salvandos: & tamen vult, petit, & iubet

iubet vnicuique in particulari, (etiam si sit præscitus) quòd curet de consequutione salutis. Igitur foret simulata oratio, si quis peteret id, quod evenire non desiderat: ille autem, qui petit id, quòd desiderat efficacitèr quantum est ex se, non simulatè petit. Immo neque frustra petit id, quod scit non eventurum: quia petitione sua non tàm procurat, poni rem illam in actuali existentia, quàm declarare, quòd quantum est ex parte sua est paratus concurrere ad actualem existentiam rei, quam petit: atque adeò pro se non stat, rem non existere. Igitur sine aliqua simulatione petebat Christus Dominus id, quod sciebat, aliquando non eventurū: quia quātum est ex se, & nisi Deus aliter disposuisset, efficacitèr desiderabat illius existentiam. Neque frustra petebat propter rationem dictam. ¶ Adde cum Lorca *disp.80. num.7. & cum aliquibus alijs* quòd Christus Dominus oravit ex animo, vt impetraret per orationem, quod petebat, & quòd vtebatur oratione, tamquam medio ad impetrandum. Quia quantum est ex se id efficacitèr intendebat. ¶ His quasi in generali dictis de oratione Christi D. de oratione facta pro resurrectione Lazari extat dubium inter AA, in præsenti decidendum.

(∵)

DVBIVM IIII.

8 PEtes quartò, an Christus D. verè oraverit pro effectu miraculoso resurrectionis Lazari? Respondetur affirmative: Quia sic propriè salvatur verbum illud: *quoniam exaudisti me Ioan.* 11. etenim in phrasi Scripturæ solùm dicitur exaudiri ille, qui verè, & ex animo petit, seu orat. Quæ phrasis fortè fundatur in hoc, quod apud Latinæ Linguæ benemeritos vox *exauditio* etiam significat petita in oratione concedere. Sufficiat illud Æneid.1. *Nulli exaudita Deorum Vota, precesque meæ.* Quare qui id, quod, petit, accipit, meritò, & propriè dicitur fuisse exauditus.

9 Sed oppositum videntur defendere Chrysost. & alij *num.* 4. relati. Si enim affirment, Christū Dominum numquam verè, & propriè orasse, profectò à fortiori defendent, neque pro resurrectione Lazari orasse. Quibus addendus est Origines *hom.* 18. *in Ioannem*: quamvis enim fateatur, Christum Dominum aliquando verè orasse; negat tamen tunc orasse; eoquòd cōcessio Patris prævenit orationem intuitu solius voluntatis humanæ Christi Domini. Originis verba refert Vazquez nuper citatus. Respondetur Chrysostomum, & alios PP. Græcos, aut non docere, Christum Domi-

num

num numquam oraſſe : aut, ſi id docent, ſtandum eſſe oppoſitæ ſententiæ : quæ eſt communiſsima inter Scholaſticos, & quam defendunt Auguſtinus, & Ambroſius *n. 3.* relati. ¶ Hinc fatemur, ly *exaudiri* apud Chryſoſtomum, & aliquot alios ſignificare voluntatum conformitatem: & ſecundùm alios idem, ac reſpicere voluntatem, ac deſiderium alicuius, quamvis non ſit per orationem manifeſtatum, ac directum: vt *in Pſalm. 9. Deſiderium pauperum exaudivit Dominus.* Fatemur (inquã) vtramque explicationẽ poſſe tribui verbo *exaudiri* : neutri tamen ſtandum eſt : quia neutra eſt propria : nec ſequitur aliquod incommodum ex hoc, quòd propriè accipiatur : ſicut nos accipimus.

10 Sed vt probent aliqui, Chriſtũ Dominũ nõ oraſſe pro illo miraculo, obijciunt, quòd incœpit à gratiarum actione dicens : *Pater gratias tibi ago : quoniam exaudiſti me.* Sed ad gratiarum actionem oratio, aut petitio debet præcedere: ergo ibi nulla intervenit oratio. Reſpondetur præcipuè cum Lorca *ibi numero 9.* orationem, quæ ibi intervenit, fuiſſe, aut mentalem, aut occultam : quoniam non refertur ab Evangeliſtis : apertè tamen manifeſtata eſt per illa verba ; *gratias tibi ago, quoniam exaudiſti me.* Quæ verba propriè ſunt accipienda : cùm in hoc nullum appareat incommodum. ¶ Obijciunt ſecundò, quòd cùm Chriſtus Dominus fecit miraculum illud authoritate, & imperio vſus eſt dicens: *Lazare veni foras* : ergo non eſt vſus oratione. Reſpondetur negando conſequentiam : ideò enim iunxit orationem imperio : vt imperio oſtenderet divinitatem ; & oratione veritatem humanitatis. ¶ Et fortaſſe vtrumque etiam iunxit in operatione aliorũ miraculorũ, quamvis non legatur oratio : poteſtque aliqualitèr deduci ex illis verbis, quæ in præſenti ſubiecit Chriſtus Dominus *Ego ſcio, quòd ſemper me audis*: quæ poſſunt expendi ; ſicut expendebamus verba illa, *quoniam exaudiſti me*: ex quibus inferebamus, Chriſtum Dominum præmiſiſſe orationem mentalem, vel occultam ad reſurrectionem Lazari.

11 Ex quibus non ſolùm refutata manet oppoſita ſententia, (quam aliqui tribuunt Chryſoſtomo, & alijs Patribus Græcis *numero 4.* citatis) ſed etiam ſententia aliquorum RR. qui dicunt, Chriſtum Dominum non oraſſe pro reſurrectione Lazari, ſed pro fide circumſtantium, ſcilicèt vt miraculo inducerentur ad credendum, quòd Chriſtus Dominus miſſus fuerit à Patre: Ita videtur ſentire Vazquez *diſputat. 81. à numero 17.* Tamen hoc refutatum manet ex dictis ; necnon, & ex hoc

hoc, quòd sine fundamento in textu fingit oralle pro fide circũstantium. ¶ Sed obijcit Vazq. verba illa textus: *Sed propter populum, qui circumstat dixi, vt credãt, quia tu me misisti*: ergo ly *dixi* refertur ad orationem factã, vt circumstantes crederent in Christum D. Respondetur negando consequentiam: Si enim ly *dixi* foret referendum ad orationem factã, vt circumstantes crederent, nec oratio debebat esse occulta, nec ille finis: sed innotescere debebat circumstantibus. Igitur ly *dixi* referendum est ad verba illa, *gratias ago tibi; quoniam exaudisti me*: quasi diceret Christus D. gratias tibi ago: quia audisti orationem, qua petebam resurrectionem Lazari: quia quamvis scio, quòd semper me audis operando miracula, quæ ego volo; sed tamen in hac occasione gaudeo, te audiuisse orationem, & petitionem meam, vt populus iste credat, &c.

DVBIVM V.

12 PEtes quintò, an omnis oratio Christi Domini in terris fuerit exaudita? Seu fuerit consequuta id, quod petebat? Respondetur bipartitos esse authores: nam affirmant D. Thom. 3. *p. quæst. 21. art. 4. Silvius, Vazq. & Decanus, quos citat, & sequitur G. Hurt disp. 16. diff. 2.* ¶ Negant tamen *Caietanus, Suar. Valentia, & alij, quos citat prædictus G. Hurt. & sequitur Lorca disp. 80. num. 1. vbi citat, Alensem, Gabrielem, & multos alios.* Cùm quibus nobis distinctione est vtendum. Quare

13 Dico primò: oratio Christi D. quæ fuit absoluta, seu quæ processit ex voluntate efficaci consequendi id, quod petebat, semper fuit adimpleta. Quia dixit Christus D. *ego autem sciebam; quia semper me audis, Ioan. 11. num. 42.* Secundò quia nihil absolutè efficacitèr petebat; nisi, quod sciebat sibi ob orationem esse concedendum: petere enim efficacitèr id, quod sciebat sibi non esse concedendum, esset aperta imprudentia. ¶ Dico secundò: oratio Christi D. conditionata, vel quæ processit ex voluntate inefficaci, aut conditionata, interdùm non fuit exaudita. Quia in horto Patrem ter oravit, vt ab eo calix transiret: nec obtinuit. Item in cruce oravit pro salute crucifigentium: de quorum conversione non constat.

14 Dices cum Vazquez nullam esse orationem inefficacem: ergo falsa est secunda conclusio. Antecedens probatur: nam oratio est medium vtile ad finem: sed ex voluntate inefficaci, non oriuntur media ad finém: ergo ex voluntate inefficaci non potest procedere aliqua oratio. Patet consequentia: quia oratio est medium ad consequendum id, quod petitur: ergo quamvis in Christo Domino distinguamus volun[illegible] efficacẽ. & inefficacem n[illegible]a tamen est oratio inefficax, seu quæ procedat à vo-

voluntate inefficaci. ¶ Confirmatur, quia simulatè, & frustra peteret Christus D. id, quòd certo sciebat non eventurum. Respondetur cum Petro Hurt. *disp*. 79. §. 8. negando antecedens. Ad probationem distinguo minorem: est enim vera de voluntate, quæ est inefficax vndequaque: falsa autem de voluntate, quæ aliquomodo est efficax. Voluntas ergo ex qua procedebat oratio, dicitur, & est inefficax quantùm ad absolutam positionem effectus: conditionatè tamen, (si aliunde non impediatur effectus) seu quantum est ex parte volentis, est efficax. Quare oratio ex tali voluntate orta similitèr est absolutè, seu attentis omnibus circumstantijs inefficax: tamen conditionatè, (scilicèt si Deo non displiceat) seu quantum est ex parte petentis, est efficax. ¶ Ad confirmationem patet ex dictis num. 6. & 7.

15 Dices secundò, ad orationem requiritur animus impetrandi id, quòd petitur, seu pro quo oratur: (aliàs petitio non tàm erit oratio: quàm simplex manifestatio voluntatis, seu desiderij) sed Christus D. non potuit habere animum impetrandi id, quod certò sciebat non eventurum: ergo neque oravit inefficacitèr. Resp. distinguendo minorem: est enim vera de animo absoluto, & efficaci: falsa autem de conditionato, & inefficaci modo explicato numero præcedenti. Itaque nihil deest verbis illis, *Pater, si possibile est, &c.* ad strictam orationē: cùm sit manifestatio alicuius voluntatis, vel desiderij in ordine ad alterum, cuius subsidium expectatur; & cum aliquali animo impetrandi, licet non absoluto, & positis omnibus circumstantijs, conditionato tamen, & efficaci quantum est ex parte petentis. Quod sufficit ad orationem conditionatam.

16 Instabis: cur Christus Dominus oravit inefficacitèr, supposito, quod cognoscebat, sibi non esse concedendum id, quod petebat? Respondetur meritò orasse: quia sciebat, Deum velle, quòd oraret; vt sic ostenderetur veritas eius humanitatis; necnon & vt nobis præberet exemplum orandi pro proximis: atque propter alias causas à Patribus passim assignatas.

DIFFICVLTAS II.

De spectantibus ad orationem Christi D. in patria.

DVBIVM I.

1 PEtes primò, an Christus D. nunc oret in patria? Respondetur affirmativè. Quia, *advocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum*: 1. *Ioann. cap.* 2. *n.* 2. *Et semper vivens ad interpellandum pro nobis: ad Hebræos cap.* 7. *&* c. 9. dicitur, quòd Christus D. *introi-*

troivit in cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. Hinc fatentur omnes nunc Christum D. saltèm metaphoricè, & interpretativè orare in cœlis. ¶ Pro cuius intelligentia notant communiter quod duplex est orandi genus. Alterum proprium, scilicet exercendo actum voluntatis, & intellectus necessarium ad petitionem de re decente. Alterum interpretativum, & metaphoricum, nempè per ostensionem illius, quod potest movere alterum ad concedēdum id, quod aliàs peteret expressè, qui talem ostensionem facit. Hac ratione Christus Dominus, nunc in cœlo dicitur orare per ostensionem cicatricum, & vestigiorum passionis. Item hac ratione pauper ostendens sua vulnera trāseuntibus, dicitur ab illis petere eleemosynam. Immo in Scripturæ phrasi sanguis effusus Abel dicitur clamare ad Deum (*Genesis 4. num. 11.*) non formaliter, sed metaphoricè, seu interpretative. Quæ phrasis satis vulgaris est; vt inter alios notat Petrus Hurt. *disput. 79. §. 10.* Igitur convenit inter omnes, Christum Dominum nunc orare saltèm interpretativè, & metaphoricè. Quia saltèm de hoc orationis genere debent intelligi præallegata Scripturæ testimonia.

DVBIVM II.

2 PEtes secundò, an Christus D. expressa oratione nunc oret in cœlo? Respondetur bipartitos esse Authores. Nam negant *Rupertus Adamus, Medina Alvarez, Aragon, Vazquez, & Becan. quos citat, & sequitur G. Hurtado disp. 16. diff. 3.* ¶ Affirmant autem *Suar. Valencia, Lorca, & Ragusa citati à prædicto Hurtado. Quibus adde Abulensem, D. Thom. & D. Bonavent. quos citat, & sequitur Castillo disp. 17. q. 4. n. 15. asserens, sic communitèr sentire Recentiores.* ¶ Demùm Petrus Hurt. *disp. 79. à §. 26.* duo affirmat. Primum est, vtramque sententiam relatam esse satis probabilem. Secundū est, quod Christus D. nunc orat formalitèr in cœlo, non oratione nova, sed eadē numero, qua in cruce orauit. Qui author §. 9. præmiserat se optare cōponere duas prædictas sentētias. Et ideo dicet cōsequentèr, sententiam negantem loqui, & esse veram de nova oratione: affirmantem verò loqui, & esse veram de eadem numero oratione, qua in cruce oravit Christus D.

3 Igitur nobis dicendum est, Christum D. nunc in cœlis orare formali, & expressa petitione. Quia sic propriè, & sine glossa salvantur Scriptura, & PP. dicentes, Christum D. nunc pro nobis orare. Ita AA. citati pro affirmativa sententia; necnon & Petrus Hurtado.

tado. ¶ Displicet tamen mihi id, quod aliqui authores nostræ sententiæ addunt, nempè quod interpellationes illæ, quas Christus D. facit per ostensionem suæ humanitatis, & eius vulnerũ, sunt propria, & expressa oratio. Quia fiunt animo obtinendi aliquid à Patre. Tamen iam *n.* 1. notabamus, prædictam ostensionem vulnerũ solum metaphoricè esse orationẽ. Prætereà si ostẽsio humanitatis, & eius vulnerum esset propria oratio, non haberet locum præsens dubium: vt enim *n.* 1. notabamus, nullus dubitat, Christum D. nunc orare in cœlis per ostensionẽ vulnerum: idque testimonia Scripturæ ibi adducta apertè conuincunt. Et ideò si hic modus orandi esset propria, & expressa oratio, inanitèr quæreremus in præsenti, an Christus D. expressà oratione nũc oret in cœlis?

4 Sed obijcies D. Greg. Magnũ *lib.* 12. *Moralium cap.* 13. *aliàs* 18. qui, postquam dixisset multa ad hoc intentum, sic concludit: *Interpellat igitur pro nobis Dominus, non voce, sed miseratione.* Respondetur cum Lorca *disp.* 8 *a. num.* 7. loqui in sensu comparativo, non in negativo, aut in adversativo: id est plus interpellat miseratione, quàm voce. Quæ phrasis aliquando est in vsu Scripturæ, & Patrum: inquit præcitatus Lorca. ¶ Respondetur secundò, non esse contra nos: quia, vt saluemus, Christum D. nunc expressè orare, non cogimur affirmare, quòd voce corporali manifestet suum desiderium: sufficit enim, quod illud mentaliter manifestet: sicut nos sæpe illud Deo manifestamus. Qui modus orandi est frequentissimus in patria: quãvis neque Gregorius, neque nos negemus, aliquando tàm Christũ Dominum, quàm alios Beatos homines voce corporali suum desiderium manifestare: & consequẽter vocaliter orare.

5 Obijcies etiam D. Chrysost. & alios PP. præsertim Græcos apertè negantes, Christum Dominum orare in cœlis. (Horũ testimonia adducit Vazq. *disp.* 82. *à n.* 9.) Resp. illos in via etiam videri negasse propriã orationẽ Christo D. Quare standũ est alijs Patribus: vt *diff.* 1. *num.* 5 notabamus. Alij autem PP. Latini tàm clarè pro nobis locuntur, vt nullam interpretationem admittant: vt notat Lorca citatus. ¶ Indiget tamẽ intelligentia Nazianz. *orat.* 4. *de Theologia*, dum dicit, orationem Christi D. non esse deprecationẽ, seu aversionẽ iræ, & vltionis: quia hoc esset aliquid humile. Quæ verba nobis nocere non possunt: cum apertè concedant orationẽ Christo D. Igitur Nazianz. solũ significat, (inquit præcitat⁹ Lorca) Christũ D. nõ orare Patrẽ eo modo, quo hominẽ iratum vehementèr orare solemus magnis submissionibus & cæremonijs. Hoc enim orationis gen⁹ minimè est Christo D. necessariũ ¶ Insupèr obi. illud *Ioa.* 16. *In illa die nõ dico vobis, quod ego ro-*

rogabo Patrem de vobis: ipse enim amat vos; Resp.cum Lorca ibi num.9. Christum D. non dixisse & rogabo (Sic enim fortè contrariaretur verbis illis cap.14. Rogabo Patrem meum, &c.) Sed non dico, quod ego rogabo: ac si diceret: non erit omninò necessaria oratio mea: quia quamvis illa deesset, Pater amat vos: vt exponit Hilarius 6. de Trin.

6 Objicies rationes. Prima est, quod frustranea esset oratio Christi Domini, quia cognoscit eventũ futurum. Respondetur, quòd si hoc argumentum aliquid valeret, probaret, neque in via orasse Christum Dominum. Recolantur dicta diff.1. num.6. & 7. ¶ Sed instant, quòd ad Hebræos 10. Christus D. morte sua, seu vna oblatione consumavit in æternum sanctificatos. Et cap.9. per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa. Respondetur, his solùm haberi, Christum D. per mortem suam sic consumasse nostram redemptionem, vt per ipsam solverit adæquatum, immo & superabundans pretium nostræ redemptionis, adeò vt nihil pretij pro ipsa offerat. Non tamen habetur, quòd non oret nunc vt ipsa redemptio membrorum suorum executioni mandetur; aliaque bona ipsis conferantur. Igitur affirmamus, quòd nunc orat in patria: non quidem quia existimemus, mortem non sufficere ad hos effectus nobis præstandos: sed quia, sicut Deus ordinavit, quòd nostra redemptio depẽderet quãtùm ad suam consumationem ex morte Christi D. (quamvis aliàs sufficiebat quodlibet illius meritum) imò, & ex adultorum merito; ita ordinavit, vt hi effectus dependerent, quantùm ad suam cõsummationem ex Christi D. oratione, qua nunc in patria orat, tãquam ex medio.

7 Secunda ratio, quam objiciunt, est, sequi ex nostra sententia, licere nobis dicere in oratione; Christe ora pro nobis: quod tamen esset contra vsum Ecclesiæ dicentis: Christe miserere nobis. Respondetur negando sequelam: quia in oratione, erga Christum Dominum debemus nos gerere, sicut in adoratione erga illũ. Vnde sicut quamvis possimus humanitatem Christi Domini adorare adoratione duliæ; tamen semper latriam ei exhibemus; & meritò: quia cuilibet personæ tribuendus est maior honor ei debitus: aliàs fieret ei aliqualis iniuria. Ita Christus D. non est invocandus secundùm quod habere potest præcisè per humanitatem; sed secundùm, quod habet, vt est persona divina in vtraque natura subsistens. Ita ex Lorca ibi num.11. respondent Castillo d.sp.17.q.4.num.20. Fel. diff.17 & alij. Respondetur secũdò cum Suar. disp.45. sect.2. & Fel. ibi cõcedendo sequelam. Si quis enim sciat rationes distinguere, & considerare Christum D. secundùm, quod homo est, in cœlo orantem, & pro nobis sua merita Patri offe-

rea-

rentem, seu repræsentantem; non illicitè, aut indecorè postulabit, vt suæ orationis nos participes efficiat; & efficacem suorum meritorum applicationem nobis obtineat. Item vt orationem nostram suæ coniungat; & Patri offerat: vt Ambrosius, & Augustinus clarè docent locis, & verbis citatis à Suar. ibi.

DVBIVM III.

8 PEtes tertiò, an hæc oratio Christi Domini sit nova, & distincta ab illa, qua oravit in terris? Respondetur affirmativè: Quia non potest esse eadem per physicam continuationem: cùm enim oratio, qua Christus Dominus sensibilitèr, seu oris prolatione oravit in terris, pendens fuerit à corporis actione, non potuit continuari pro tempore mortis. Ita videtur supponere præcitatus Suar. & communis sententia cōtra Petrum Hurt. *num.* 2. citatum, qui vult esse eamdemmet numero orationem, qua oravit in cruce. ¶ Dices, quòd redivit post triduum eadem numero oratio, quæ fuit facta in cruce. Respondetur hoc non esse impossibile; de facto tamen non est concedendum. ¶ Instabis, quòd omnis perfectio possibilis est de facto cōcedenda Christo D. Respondetur ita esse. Tamen quod Christus D. eadem, vel diversa numero oratione, qua oravit in cruce, nunc oret in cœlo, nihil, aut adeò parum perfectionis addit, vt immeritò, recurrendum sit ad potentiam absolutam, vt id Christo Domino concedatur. ¶ Contra, quòd Scotus *in 4. dist. 45. quæst. 3. §. & vers. Quantum ad istum* docet, quod naturalitèr potest idem numero effectus redire: ergo vt concedamus quod eademmet oratio Christi Domini redivit, non est necessarium recurrere ad potentiam absolutam: & consequētèr est de facto cōcedendum Christo Domino. Respondetur negando consequentiam: sententia enim, quæ affirmat, naturalitèr omnia redire posse, *est omnino improbabilis, saltèm quia est contra fidē, &c.* Inquit Scotus ibi. Igitur ex eo, quod Scotus doceat, aliquem effectum posse naturalitèr redire eumdem numero; non infertur, hunc (orationem Christi D.) redijsse. Vt enim affirmaretur, esse eamdem numero in cœlis, quæ fuit in terris, idque naturalitèr evenisse, erat necessarium, nullam causarum, aut circumstantiarum illius orationis, quam Christus D. elicuit in terris, fuisse variatam in cœlis. Quod ita non est: saltèm enim oratio illa crucis facta fuit *cū clamore valido, & lacrymis: ad Hebræ.* 5. *num.* 7. qui modus aut circumstantia, nec modò est in cœlis, nec congruit, quod sit in Beatitudinis statu. Quare admonendum duxi, vt qui cum Petro Hurtado diceret, orationem, qua nunc orat in patria, esse eamdem numero, quoad physicam

entitatem, qua oravit in cruce (vt de potentia absoluta fieri potest) debet dicere, nunc in cœlo prædictam orationem carere illo modo, quo fuit facta in cruce; scilicet *cum clamore valido, & lacrymis*: quia hic modus disconvenit illi Beatitudinis statui.

CAPVT XVII.

De modo loquendi circa prædestinationẽ Christi Domini.

ABsolvimus iam omnia, quæ de ineffabili Incarnationis mysterio, quantum ad rem, seu quantùm ad singula, quæ in illo adinveniuntur, solent hac nostra tempestate disputari. Restat, vt duobus his postremis capitibus de nonnullis, quæ circa modum loquendi difficultatem ingerunt, disseramus. Et in primis de his, quæ specialiter pertinent ad prædestinationem Christi Domini (de qua quàntùm ad id, quod ad eius rem, & substantiam spectant egimus toto *cap. 6.* dum de causis illius sermonem fecerimus) Igitur in præsenti capite variæ locutiones circa prædestinationem Christi Domini sunt examinandæ. De quibus Scotus *in 3. distinct. 7.*

DIFFICVLTAS VNICA.

De spectantibus ad modum loquendi circa prædestinationem Christi Domini.

DVBIVM I.

1 PEtes primò, an Christus Dominus absolutè loquendo possit dici prædestinatus? Respondetur affirmativè. Itaque Christus Dominus absolutè, & absque aliqua determinatione posita tàm ex parte subiecti, quàm ex parte prædicati, verè, & propriè potest dici prædestinatus. Quia cùm quis dicitur prædestinatus absolutè, sic dicitur, vel quia ab æterno ordinata est eius existentia in rerum natura: vel quia ab æterno electus est ad beatitudinem, & ad alia dona supernaturalia. Sed ab æterno ordinata est in rerum natura existentia Christi Domini, quia ex tunc disposuit Deus, quòd humana, & divina natura subsisterent in persona Verbi. Insuper Christus Dominus ratione humanitatis, quæ est vna ex naturis, quas includit, electus fuit ab æterno ad summam beatitudinem, & ad alia dona supernaturalia: ergo in vtroque sensu fuit absolutè, & simpliciter prædestinatus. Ita communissima sententia.

2 Sed oppositum defendit Maior *in 3. dist. 10. in fine* (teste Vaz.

Vazquez *disp. 91. cap. 1. num. 1.*) Pro quo potest obijci. Verbum divinum subsistere in duabus naturis pertinet, quasi ad ipsam constitutionem Christi Domini. Sed quæ pertinent ad constitutionem rei, non cadunt sub prædestinationem illius: ergo Christus Dominus non potest dici prædestinatus in primo sensu. Probatur minor: est enim prædestinatio assumptio personæ, vel naturæ intellectualis ad aliquod donum supernaturale: quare necesse est supponi cum existentia subiectum prædestinationis. Respondetur negando minorem ad probationem dico, in præsenti sumi prædestinationem pro decreto, quo Deus ab æterno disposuit, quod humana, & divina natura subsisterent in persona Verbi. Quæ dispositio meritò dicitur prædestinatio; cùm respiciat rem supernaturalem; qualis est Christus Dominus. Insupèr dato, quòd sumatur prædestinatio pro decreto conferendi gloriam, & gratiam subiecto intellectuali, salvaretur verè, & propriè, quod Christus Dominus sit prædestinatus: quia in hoc subiecto *Christus Dominus*, non includitur gloria, aut aliqua gratia; (excepta vnione hypostatica) sed solùm debitum congruentiæ ad illam. Quare etiam in secundo sensu potest Christus Dominus dici propriè prædestinatus.

3 Hinc suppono pro intelligentia dictorum, & dicendorum in toto hoc capite, quòd vox *prædestinatio* ex vi ethymologiæ significat dispositionem divinam, seu decretum, quo Deus ab æterno disposuit, seu determinavit aliquid in tempore faciendum. Componitur enim vox *prædestinatio* ex præpositione *præ*, (quæ significat antecedentiam; & in præsenti est antecedentia æternitatis ad nostrum tempus:) & ex nomine *destinatio*; quod significat designationem, ordinationem, aut definitionem. Quare in rigore Grammatico *prædestinatio* idem est, ac prædefinitio, præordinatio, aut præassignatio. Verum est, quòd Theologi *in tractatu de Prædestinatione* restringunt vocem *prædestinatio* ad significandum tantùm ordinationem divinam, qua ab æterno Deus disposuit dare aliquibus gloriam principaliter, & minùs principalitèr gratiam sanctificantem, & alia ad consequutionem gloriæ necessaria. Tamen in præsenti capite non loquimur de prædestinatione sumpta solùm in hac tàm stricta acceptione: sed sumimus prædestinationem pro dispositione divina, seu pro decreto, quo Deus ab æterno efficaciter, seu absolutè decrevit aliquid in tẽpore faciendum.

DVBIVM II.

4 PEtes secundò, an Verbum divinum, seu filius Dei possit simpliciter, seu absolutè dici prædestinatus? Respondetur negativè. Quia Verbum quoad suũ esse simpliciter nihil recepit per divinum decretum: ergo nequit de illo verificari prædestinatio. Ita Fabro *in 3. disp. 19. num. 10. Durandus, Suarez, & Lorca, quos citat, & sequitur Felix cap. 19. diff. 2.* vbi etiam citat Scotum in 3. *d. 7. q. 3.*

5 Sed Vazq. *disp. 92. c. 2. & G. Hurt. disp. 18 diff. 5.* oppositum defendunt, & objiciunt: Hæc est vera: *filius Dei est passus*, eoquod Christus D. est passus: ergo eadem ratione hæc erit vera, *Verbum est prædestinatum*. Respondetur ita esse. Est enim vtraque vera per communicationem idiomatum; (de quo non est quæstio) neutra tamen est vera formalitèr: id est, eoquòd prædicatum conveniat subiecto per se sumpto. ¶ Objiciunt secundò, quod hic est optimus syllogismus expositorius: *Christus Dominus est prædestinatus*: (ex n. 1.) *Christus Dominus est filius Dei: ergo filius Dei est prædestinatus*. Respondetur negando consequentiam: quia variatur suppositio: in maiori enim. Ly *Christus* supponit formalitèr, scilicèt pro persona subsistente in duabus naturis; (ista quippè propositio *Christus Dominus est prædestinatus* facit hunc sensum: ab æterno disposuit Deus, quod in persona Verbi divini coniungerentur natura divina, & humana: ex qua coniunctione resultavit Christus Dominus) in minori autem supponit materialitèr ly *Christus*, hoc est, pro vna ex naturis, quibus constat significatum huius vocis *Christus*.

6 Objicies tertiò, per divinum decretum ordinatum fuit, quòd filius Dei esset homo: ergo potest dici de ipso filio, quòd fuerit prædestinatus. Respondetur distinguendo consequens: absolutè, & simplicitèr, nego: cum addito declarante, fuisse dispositum à Deo, vt filius fieret homo, concedo. Quod non est contra nos: qui solùm negamus primum, & concedimus secundum cũ Scoto *in 3. d. 7. q. 3. § & vers. Respondeo; & cum D. Thom. Alensi, & communi sententia*. ¶ Sed *Durandus, Lorca, Becanus, & Ragusa* (quos citat Felix *cap. 19. diff. 2.*) adhuc renuũt concedere posse dici, Verbum fuisse prædestinatum, vt esset homo: & objiciunt. Prædestinatio est præparatio, qua ab æternò Deus suo decreto disposuit beneficia, quæ in tempore confert. Sed respectu Verbi Divini non est beneficium, seu gratia, quòd in tempore fiat homo: ergo non potest dici, quod filius Dei est prædestinatus adhuc cum ordine

ordine ad hunc terminum, seu finem, vt in tempore fiat homo. Respondetur (admisso, quòd prædestinatio sumatur in præsenti pro præparatione gratiæ, seu beneficij) negando consequentiam: non enim requiritur, quòd hoc beneficium conferatur illi, qui dicitur prædestinatus; sed sufficit, vt conferatur alteri, (scilicèt naturæ humanæ, cui Verbum substantialitèr est vnitum) vt Verbum quasi per denominationem extrinsecam dicatur fuisse prædestinatum. Quod declarat exemplum: Verbum enim verè dicitur factum caro per mutationem factam non in ipso Verbo, sed in humanitate: ex qua resultat talis denominatio in Verbo.

¶ Respondetur secundò, quòd prædestinatio in præsenti non sumitur pro præparatione gratiæ, aut beneficij; sed pro diuino decreto, quo Deus ab æterno decreuit aliquid in tempore faciendum: vt *num. 3.* notabamus. Verè autem fuit ab æterno dispositum, quòd filius Dei fieret homo. Quare optimè potest enuntiari, quod filius Dei prædestinatus est, vt fieret homo.

DVBIVM III.

7 PEtes tertiò, an sit vera hæc propositio, *Christus D. prædestinatus est filius Dei*? Respondetur affirmativè. Quia continetur *ad Rom. 1.* verbis illis: *qui factus est ei ex semine David secūdùm carnem; qui prædestinatus est filius Dei in virtute, &c.* Et ratio est, quòd Deus ab æterno prædestinando, seu determinando, naturam humanam vniri Verbo, prædestinauit, seu disposuit, Verbum esse hominem, seu hominem esse Deum: (vt benè notat Scotus *in 3. dist. 7. quæst. 3. §. & vers. Respondeo: cùm prædestinatio*) ergo vera est dicta propositio saltem in hoc sensu: Christus Dominus secundùm humanitatem prædestinatus est filius Dei; seu prædestinavit, aut disposuit Deus, vt humana natura Christi Domini substantialitèr vniretur filio Dei: & consequentèr ille homo esset filius Dei.

8 Dices, quòd prædestinatio primò respicit personam talitèr, vt sola persona possit prædestinari ad vnionem, gloriam, & gratiam: ergo natura humana præscindendo à personalitate non potest esse subiectum prædestinationis. Respondetur cum Scoto *ibi vers. Respondeo*, quòd negando antecedens. *Sicut enim Deus potest* (inquit Scotus) *omne bonum aliud, à se diligere, non tantùm suppositū, sed naturam, ita etiam potest* naturam non suppositatam prædestinare, seu ordinare ad vnionem hypostaticam, gratiam, & gloriam. ¶ Quæ solutio adhuc evidentior est supponendo ex *n. 3.* prædestinationem in præsenti non tam sumi pro præparatione alicuius beneficij, quam pro decreto, quo Deus ab æterno dis-

posuit vnire in tempore naturam humanam cum divino Verbo. Quamvis enim vnio ista sit excellentissima gratia tam naturæ humanæ vnitæ, quàm Angelis, & hominibus; (quæcumque enim alia gratia duxit originem ab ista) tamen adhoc, vt posit vniri natura non suppositata, est valdè accidentale, quòd vnio spectet, vel non spectet ad ordinem gratiæ supernaturalis, vel naturalis.

9 Nota, eodemmodo loquendum esse (quantùm ad veritatem, necnon & quantùm ad proprietatem) de hac propositione, *homo, seu hic homo* (ostenso Christo Domino) *prædestinatus est filius Dei*; ac de ista, *Christus Dominus prædestinatus est filius Dei.* Quia concretum *homo* significat directè naturam humanam, non præcise, sed involventem suppositum indirectè; (vt vult Vazquez) vel directè suppositum, & indirectè naturam: (vt vult Suarez) atque adeò eo ipso ac homo involvat suppositum, ly *homo*, vel *hic homo* (ostenso Christo Domino) significabit, quantum ad præsens attinet, idem ac *Christus Dominus*.

DVBIVM IIII.

10 PEtes quartò, an dicta propositio, *Christus Dominus seu homo, aut hic homo* (ostenso Christo Domino) *est filius Dei naturalis* sit vera in rigore Logico? Respondetur negativè. Quia nullum subiectum potest propriè prædestinari, seu ordinari ad id, quod in se habet. Sed Christus Dominus necessariò includit filiationem naturalē Dei: ergo ad illam prædestinari non potest. Minor est manifesta, & consequentia legitima. Maior constat: homo enim dicitur prædestinari ad gloriam, quia ipse non includit gloriam; non tamen potest dici prædestinari ad esse rationalis, seu risibilis; quia hæc prædicata necessariò, & non contingentèr ei conveniunt. Sic *multi Scotistæ, præcipuè Fabro disput. 19. num. 16. ex alijs autem Lorca, Durandus, Becanus, Paludanus, &c. quos citat, & sequitur Felix cap. 19. diff. 2.* Et quamvis de mente Scoti nihil sit omnino certum: sunt enim non pauci, qui existiment, eum esse problematicum: tamen ferè apertè tradit nostram conclusionem *in 3. dist. 7. quæst. 3. præsertim §. Ad argumentum vers. Tertio modo*; necnon & in fine quæstionis verbis illis: *propriè Logicè loquendo* (Christus Dominus) *neque secundùm quòd homo, neque secundùm quòd Deus, prædestinatus est filius Dei.*

Sed

11 Sed *Suarez, Vazquez, Alvarez, Caietanus, Ragusa, & Rada citati à Felix ibi* oppositum defendunt: & obijciunt Scotum *in 3. dist. 7. quæst. 2. §. & vers. Ex his patet*: vbi fatetur, quod *ista propositio est simpliciter vera. Homo factus est Deus*. Immo ex ratione, quam ibi assignat constat, ipsum sentire, quod etiam est propria: subdit enim; *quia homo per actionem facientis est Deus*. Respondetur cum Fabro *disp. 19. num. 17.* quod Scotus in hac re est problematicus. Ad quod Fabro expendit, quòd ibi *quæst. 3. §. Ad argumentum versic. Tertio modo* vbi nostram conclusionem defendit, posuit Scotus ly *fortè*: per quod denotat se relinquere locum defendendi oppositum. ¶ Obijciunt secundò, D. Augustinum *in Enchiridio cap. 40.* dicentem: *catenùs homo prædestinatus est filius Dei, quatenus factus est filius Dei*. Respondetur ex his solùm haberi sentire Augustinum, hanc propositionem (*homo prædestinatus est filius Dei*) esse veram in sensu *num. 7.* explicato: non tamen sentit Augustinus esse propriam. Immo ex contextu colligitur ibi sumi abstractum pro concreto: (vt sæpè fecit Augustinus, & notat Felix ibi) & ideò sensus erit; prædestinatum, seu dispositum est à Deo, vt homo, (id est, humana natura) vniretur filio Dei: & consequenter homo ille esset filius Dei.

12 Omitto in præsenti varios modos philosophandi, quibus oppositæ sententiæ intendunt assignare in subiecto illius propositionis (*Christus Dominus aut homo prædestinatus est filius Dei*) aliquid, quod necessariò præintelligatur, & præsupponatur saltem in apprehensione diuina ad illud prædicatum *filius Dei*, & quod illud non includat. In cuius assignatione prædicti Authores maximè, sed sine fructu laborant. Quos diversos modos remitto videndos apud RR. præsertim apud Felix *cap. 19. difficult. 2.*

¶ Dices: hæc propositio (*homo est rationalis*) est vera, & rigorosa: & tamen prædicatum includitur in subiecto: ergo quãvis ly *Christus* includat filiationem naturalem Dei, erit vera, & dialectica hæc propositio, *Christus prædestinatus est filius Dei*. Respondetur negando paritatem: quia verbum *est* solùm denotat adiacentiam, seu coniunctionem prædicati cum subiecto: verbum autem *prædestino* denotat aliquid de novo advenire subiecto prædestinationis. Et ideo etsi vera sit hæc propositio. *Christus est filius Dei*; non tamen ista: *Christus prædestinatus est filius Dei*.

13 Nota tamen, eum qui vellet defendere, hanc propositionem (*Christus D. aut homo* prædestinatus

prædestinatus est filius naturalis Dei) esse propriam dicturum, quod ly *Christus* sumitur in quantum homo specificative. Ly autem *homo*, seu *Christus Dominus in quantum homo* concernit quidem suppositum, sed non determinatè, sed vagè. Quare relinquitur locus, vt per prædestinationem, aut divinum decretum possit Deus disponere, quod determinatè includat suppositum divini Verbi.

DVBIVM V.

14 PEtes quintò, an de humanitate Christi Domini possit propriè enuntiari fuisse prædestinatam ad vnionem hypostaticam, gloriam, &c? Respondetur affirmativè. Quia à Deo fuit dispositum, quòd natura humana vniretur divino Verbo Item quòd illi conferrentur summa gratia, scientia gloria, &c. Ergo prædicta natura propriè fuit prædestinata ad vnionem, &c. *Ita Scotus in 3. dist. 7. quæst. 3. §. Respondeo, Vazq. & G. Hurtado, quos citat, & sequitur Felix cap. 19. diffic. 2.*

15 Bartholomæus de Medina *quæst. 24. art. 1. conclus. 4.* oppositum defendit tàm de vnione, quàm de gratia, gloria, & alijs donis. Medinæ ex parte consentiunt Suarez, Valencia, & Becanus. Quamvis enim nobiscum affirment, humanitatem fuisse prædestinatam ad vnionem, negant tamen fuisse prædestinatam ad gloriam, gratiam, & ad alia dona. Item ex parte consentit Ragusa; quatenus affirmat, non fuisse prædestinatam ad gloriam. Itaque omnes hi conspirant in hoc, quòd humanitas Christi Domini non fuerit prædestinata ad gloriam, seu ad operationem beatificam. Quia humanitas (inquiunt) propriè non operatur, sed suppositum. Respondetur negando: quamvis enim actiones sint suppositorum denominativè: elicitivè tamen sunt à natura, quæ subest suppositalitati.

¶ Ex quo etiam patet ad fundamentum Medinæ, qui sic argumentatur: Prædestinatio ad vnionem hypostaticam est prædestinatio ad filiationem divinam. Sed filiatio solùm convenit personæ, non autem naturæ: ergo humanitas non est prædestinata ad vnionem hypostaticam. Respondetur (inquam) quòd filiatio convenit quidem supposito; sed non ratione suppositalitatis, sed naturæ. Ex eò enim, quòd humanitas est vnita, compositum resultans dicitur filius Dei.

DV-

DVBIVM VI.

16 PEtes sextò ad quodnam horũ donorũ prius fuerit prædestinata humanitas? Respondetur prius fuisse prædestinatam ad summã gloriam; deinde ad summam gratiam, & tandem ad vnionem hypostaticã. Quia ordo executionis est contrarius ordini intentionis. Sed in executione prius fuit in humanitate vnio, postea gratia, & tandem gloria: ergo in intentione prius fuit volita illi humanitati (quæ pro tunc, seu pro illo signo solùm cognoscebatur in esse possibili) summa gloria, & gratia, quàm vnio. Ita Scotus *in 3. d. 7. quæst. 3. §. sed hic sunt vers. Secũdum dubium & Felix cap. 19. diff. 2.* Et confirmo prædictam conclusionem ex doctrina, quam circa seriem prædestinationis aliorum defendit Scotus *in 2. d. 20. q. 2. §. & versic. Dico, quòd soli, & alibi.* Itaque circa prædestinationẽ Petri v. g. Deus sic se habuit. In primo signo elegit eum efficacitèr ad gloriam: (pro quo signo Petrus solùm scientia simplicis intelligẽtiæ, aut in statu possibilitatis prævidebatur à Deo) & ad hunc finẽ consequendum in secundo signo voluit illi gratiam sanctificãtem: & in tertio signo voluit illi esse naturale. Et hic finitus est ordo intẽtionis, & cæpit ordo executionis, ordine verso, volendo in primo signo esse naturale Petri, in secundo gratiam, & in tertio gloriã, simili ergo modo in serie prædestinationis Christi D. (loquendo de ordine intentionis) in primo signo voluit efficacitèr seu efficaci volũtate elegit hunc hominẽ Christũ (quẽ pro tũc solùm cognoscebat scientia simplicis intelligentiæ, quia pro illo signo Christus D. solũ habebat esse possibile) ad summam gloriam; in secundo ad summam gratiam; & in tertiò ad vnionem hypostaticam, seu ad constitutionem Christi D. Et hic finitus est ordo intentionis; & ordine verso, seu opposito cæpit ordo executionis, volendo in primo signo omnia, & singula, quæ spectant ad constitutionem Christi D. in secundo summam gratiam, & in tertio summam gloriam illi conferendam.

17 Sed *Vazq. disp. 92. Lorca, & Suarez citati à Felix ibi* dicunt humanitatẽ prius fuisse prædestinatam ad vnionem, & posteà ad alia dona. Et obijciunt, quòd vnio hypostatica est perfectior, quàm gratia, & gloria: ergo prius fuit volita. Patet consequentia: quia ordinatè volens prius vult finem, & posteà, quod propinquius est fini; vt sæpe docet Scotus: præsertim legatur *in 2. dist. 20. q. 2. §. Dico quòd soli, & in 1. dist. 41. §. Potest alitèr versic. Primum probatur.*

¶ Pro cuius perfecta intelligentia nota, quòd, si illud, quod est propinquius fini, fuerit propinquius propinquitate causalitatis medij necessarij ad consequendum finẽ intentum; adeo est verum, quòd or-

ordinatè volens debet priùs velle id, quod est propinquius fini, quàm id, quod est minùs propinquum, vt alitèr evenire nõ posit. Et ratio est, quòd illud, quod sic est propinquius fini, est finis respectu finis remotioris. Quare eveni re non potest quod ordinatè volens priùs velit id, quod est magis remotum, quàm id, quod est magis propinquum hoc genere propinquitatis. Si tamen illud, quod dicitur propinquius fini, fuerit propinquius propinquitate, perfectionis; (qua ratione respectu Dei, qui est finis vltimus, magis propinqua est gloria, quàm gratia; & gratia, quàm esse naturale) prædicta ratio (ordinatè volens, &c.) solũ concludit, quòd ex congruẽtia priùs debet quis velle id, quod magis propinquat fini. ¶ Vnde colligitur, & objiciũt prædicti Authores, quod saltèm ex congruẽtia debuit Deus, priùs velle, vnionem hypostaticam, quàm gloriã, & gratiam Christi Domini. ¶ Premit quidem hoc argumentum quot quot existimant; vnionem hypostaticam esse perfectiorem Beatitudine. Nos autem parum vrget: oppositum enim defendimus *cap. 1. diffic.6. à n.6.* Quare negamus antecedens.

DVBIVM VII.

18 PEtes 7. an de homine Christo posit verè, & propriè enuntiari fuisse prædestinatum ad gloriam, gratiam, &c. Respondetur affirmativè. Quia Christus Dominus vt talis, seu ex vi vnionis non includit illa dona: (quamvis aliàs debito congruentiæ sint illi debita ratione vnionis) Ergo verè, & propriè potest Christus Dominus dici prædestinatus ad quodlibet illorum, aut ad omnia illa simul. Ita ferè omnes antiqui, teste Lorca *disp.85. num.35. vbi citat ex nostris Scotum, D. Bonav. Alensem, & Ricardum; ex alijs autem Palud. Durandum, & Almaynum. Quibus adde Vazquez, Suarez & Becanum, quos citant, & secuntur Gasp. Hurtado disp.18. diff.6. Felix c.19 diff. 2.*

19 Sed Lorca ibi, & aliqui Thomistæ oppositum defendunt: & objiciunt, quòd Christo D. ratione divini Verbi sunt debita gloria, & alia dona supernaturalia: ergo non potest dici prædestinatus ad illa. Respond. negando consequentiam: quia solùm erant debita debito congruentiæ: quòd debitum non impedit, quo d vi novi decreti conferantur: & consequẽtèr quòd subiectum propriè dicatur prædestinari ad illa. ¶ Dices: vnico decreto decretus, aut prædestinatus est homo v. g. & omnes eius passiones, nempe esse flebilem, risibilem, &c. non alia ratione, nisi quia passiones sunt debitæ subiecto. Sed Christo Domino vi vnionis erant po-

debita gloria, & alia dona: ergo, posito decreto vnionis, nullum aliud novum decretum fuit necessarium ad collationem glorię, & aliorum donorum: ergo nequit propriè dici, Christum Dominum fuisse prædestinatum ad illa. Respondetur negando consequentias: quia diversimodè debētur passiones subiecto, ac homini Christo, seu eius humanitati vnitæ debentur dona supernaturalia. Passiones enim taliter debentur subiecto, vt statim ac istud ponitur in rerum natura, inimpedibiliter pullulent ab illo, & cū illo identificantur: atque adeò non indigent distincto decreto ab illo, quo in rerum natura ponitur subiectum. Dona autem solùm dicuntur debita Christo Domino vt homini, aut eius humanitati vnitæ debito congruentiæ: quatenùs scilicèt est congruum, & decens, quòd humanitati substantialiter vnitæ Deo conferatur omnis gratia, & perfectio possibilis. Nullus autem dicit, quòd illa dona, aut aliquod illorum identificantur cum Christo Domino, aut cum eius humanitate: (sicut dicimus Scotistæ, passiones identificari cum subiecto), atque adeò quodcumque donum collatum Christo Domino eget novo decreto distincto à decreto, quo decernitur vnio hypostatica.

20 Obijciunt secundò Christ⁹ Dominus dicitur tantùm prædestinatus ad vnionem hypostaticam: ergo non potest dici prædestinatus ad aliquod aliud donum. Probatur antecedens: quia propriè prædestinatio tantùm est ad maximum donum, aut perfectionem, ad quam quis ex dono Dei prædestinatus est. Respondetur negando antecedens: ad probationem dico, prædestinationē sumi in præsenti pro dispositione divina, aut decreto, quo Deus ab æterno absolutè decrevit aliquid in tempore faciendum. Immò dato, quòd sumeremus prędestinationem in strictiori significatione, sine fundamento dicitur ab aliquibus Thomistis, prędestinationem propriè tantùm esse ad maximam perfectionē. Vt enim dictitatur *in tract. de Prædestinatione*, prędestinatio propriè sumpta non solùm versatur circa finem, sed etiam se extēdit ad media: dicebat enim Augustinus *de Prædestinatione sanctorum cap.* 10. *Prædestinatio est gratia præparatio.* Et Scotus *in* 3. *dist.* 7. *quæst.* 3. §. *& versic. Respondeo. Cùm prædestinatio sit præordinatio alicuius ad gloriam principalitèr, & ad alia in ordine ad gloriam.* ¶ Quibus addo, quòd, adhuc admissa illa adversariorum doctrina (scilicèt, quòd prędestinatio tantum est ad maximam perfectionem) Christus Dominus priùs diceretur prædestinatus ad summam gloriam, quàm ad vnionem: etenim beatitudo

titudo summa præstantior est vnione hypostatica iuxta dicta *nu.* 17. *& cap* 1. *diff* 6. *à n.* 6.

21. Notant præcitati Gasp. Hurtado & Felix cum alijs, illam aliquorum Thomistarum doctrinam (prædestinatio tantùm est ad maximam perfectionẽ) esse cõtra cõciliũ Valentinianum *c.* 3. & cõtra Augustinum: qui *tract.* 10. *in Ioannem* dicit, Christum D. fuisse prædestinatum ad claritatem resurrectionis: & contra communẽ modum loquendi, quo dicimus, Deum prædestinasse hunc, aut illum ad Apostolatum, Pontificatũ, ad aliam magnam dignitatem.

¶ Notant etiam prędicti, absolutè, & sine addito, *inquantum homo*, posse Verbum, aut Dei filium dici prædestinatum ad gloriam, & ad alia dona, ad quæ dicitur prædestinatus Christus D. Quia cõmunicatio idiomatum hoc operatur. Sicut vi communicationis idiomatũ Deus absolute dicitur mortuus, crucifixus, &c. Et vniversalitèr loquendo, quæ absolutè dicũtur de Christo D. possunt absolutè dici de Verbo, aut de filio Dei saltem per communicationem idiomatum, nisi in aliqua propositione timeatur suspicio erroris Arij, aut alterius hæretici.

(**)

CAPVT XVIII

Et vltimum de formis loquendi, quę circa hoc mysterium sunt obseruandæ, & præcauendæ.

CAPITE præcedenti specialitèr egimus de aliquibus formis loquendi, quæ ad Christum D. specialitèr spectãt: in præsenti autem capite generalitèr de omnibus alijs formis loquẽdi ad totum hoc mysterium pertinentibus est tractandum. De quibus agit Scot⁹ *in* 3. *dist.* 11. & quas omnes nos vnica difficultate cõprehendemus.

DIFFICVLTAS VNICA.

De spectantibus ad modum loquendi in altissimo Incarnationis mysterio.

DVBIVM I.

1 PEtes primò, an in hoc mysterio idiomata, seu prædicata, quæ sunt hominis, prędicentur verè de Deo? & è contra, quæ sunt Dei, prædicentur verè de

de homine? Respōdetur affirmativè cum vnanimi Catholicorum consensu. (Hùc spectant dicta *cap. 5.*) Itaque sicut vi vnionis hypostaticæ homo prædicatur de Deo, & è contra, Deus de homine; ita prædicata, seu proprietates naturæ humanæ Christi D. prædicantur in concreto de Deo, & è contra, prædicata, seu attributa Dei prædicantur in concreto de homine. Et ratio est, quòd sic continetur in scriptura, præsertim 1. *Chorint. 2. si cognovissent, Dominū gloriæ non crucifixissent.* Ergo Dominus gloriæ (qui est Deus) fuit Crucifixus. Et alibi sæpè dicitur de Deo id, quod soli homini potest convenire è contra autem dicuntur de homine, quæ soli Deo possunt cōvenire. Quare de Christo D. homine dicitur, quòd sedet ad dexterā Patris, &c. Et ideò omnes concedunt, has propositiones esse veras: *homo est immensus homo est æternus; &c.* necnon, & istas, *Deus est mortalis, Deus est crucifixus, &c.*

2 Discordant tamen Catholici in reddenda ratione, quare sint veræ dictæ propositiones. ¶ Dixerunt aliqui, ideò verè prædicata vnius naturæ dici de altera, quia prædicatio ista v.g. *Deus est homo* æquivalet isti, *Deus habet hominē.* ¶ Alij dixerunt, æquivalere huic; *natura humana est vnita naturæ divinæ.* ¶ Tamen contra vtrumque stat, posse etiam concedi has propositiones, *Deus est manus; Deus est caput, &c.* Quia etiam Deus habet manus, caput, &c, seu fuit vnitus manibus, capiti, &c. ¶ Igitur ratio est, quam assignat Scotus *in 3. dist. 2. q. 1. §. Ad argumenta principalia versic. Ad alia, & dist. 7. quæst. 2. §. Ad argumenta versic. Ad alia, D. Thom. quæst. 16 art. 5. D. Bonav. Ricardus, Gab. &c.* Et est quòd idem est suppositum vtriusque naturæ, & proprietatum illarum: atque adeò istę propositiones v.g. *Deus est homo, homo est Deus* æquivalent his, *suppositum habens humanitatem est suppositum habens divinitatem, suppositum habens divinitatem est suppositum habens humanitatem.* Vnde patet, in dictis propositionibus (in quibus vna natura dicitur de alia; vel in quibus proprietates vnius naturæ dicuntur de alterius proprietatibus) nomina *Deus* v.g. aut *homo* supponere non pro naturis, aut formis, sed pro supposito habente illas.

3 Contra, quod *in tractatu de Trinitate* communitèr dicitur, hanc esse differentiam inter concreta naturarum, (vt sunt Deus, homo, &c.) & inter concreta suppositorum (vt sunt suppositum, subsistens, & hypostasis) quod illa directè significant naturam; ista autem directè, & per se significant subsistentiam, seu habens naturam: ergo falsò dicimus in præsenti, concreta naturarum supponere directè pro supposito. Respondetur negando consequētiam: (quæ efficax videtur contra Vazquez qui *dist. 63. cap. 4. & 5.* affirmat, idem esse supponere, ac sig-

significare) quia supponere non est ita amplum ac significare: est enim supponere accipi nomen in propositione pro re, pro qua iuxta exigentiam propositionis natum est accipi. Et ideò contingere potest, & contingit in præsenti, quòd nomen supponat pro eo, quod significat indirectè eo quòd ratione alicuius adiuncti propositio postulat, vt nomen significans vnum directè, & indirectè aliud stet, & accipiatur pro illo, quod indirectè, & ex connotato significat.

4 Contra secundò, quod si concreta naturæ supponant pro habente naturam, sequitur, dictas propositiones esse identicas; sicut sunt istæ, *Petrus est Petrus*; *homo est homo*. Respondetur negando: quia propositio identica requirit, quòd idem dicatur de se ipso eodem modo, & sub eadem ratione. Immo addo, quòd ad rigorem enuntiationis, quæ fit per Verbum *est*, sicut requiritur aliqua distinctio inter prædicatū, & subiectum; ita necessariò requiritur aliqua identitas: aliàs non verificabitur Verbum *est* dicendo *hoc est illud*: sicut nullo modo verificabitur de his, quæ nullo modo sunt idem.

5 Nota quòd dicta de communicatione idiomatum extenduntur ad omnes propositiones tā essentiales, quàm accidentales, etiam si sint contrariæ; non tamen extenduntur ad propositiones cō tradictorias. Quare etsi istę propositiones sint veræ, *Deus est mortuus, aut mortalis*; *Deus est immortalis*: non tamen est vera, aut concedenda illa, *Deus non est immortalis*. Quia negatio, quam propositio contradictoria includit, eam habet vim, vt à subiecto excludat prædicatum, quod negat, secundùm quamcumque naturam. Negatio enim est malignātis naturæ; & consequenter omnia destruit. (inquiunt summulistæ)

6 Item dicta de communicatione idiomatum non extenduntur ad propositiones notionales aliorum suppositorum, nempè Patris, & Spiritus Sancti. Quare hæc propositio est falsa, *Hic homo generat filium Dei*: hæc tamen vera, *hic homo est genitus æterna Dei generatione*. Quia propositiones, quæ sunt veræ per communicationem idiomatum, sunt veræ propter vnitatem suppositi: & cùm ibi solùm sit suppositum Verbi divini, solùm potest habere verum enuntiatio, quæ fit per nomina, quæ supponere possunt pro supposito Verbi: qualia non sunt nomina significantia proprietates personales Patris & Spiritus Sancti.

7 Ex dictis de communicatione idiomatum constat, propositiones factas ex nominibus abstractis esse falsas. Abstractum enim non potest supponere pro supposito: cùm abstrahat ab illo. Vnde falsa est ista propositio, *homo est Deitas*; vel ista, *Deus est humanitas*; & similes. ¶ Contra, quòd PP. aliquando prędicant de Christo Domino

mino proprietates divinas etiam per nomina abstracta. Respondetur, hos PP. esse interpretandos, & non imitandos, quia impropriè loquuntur..

DVBIVM II.

8 PEtes secundò, an propositiones, quæ fiunt per communicationem idiomatum, non solùm sint veræ, sed etiam propriæ? Respondetur affirmativè. Quia voces accipiuntur in significatione propria, (quamvis indirecta) & modus enuntiandi est dialecticus: fundatur enim in illo principio ab omnibus recepto (saltèm extra mysterium Trinitatis) *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, & sic concludit per hunc syllogismum expositorium: *Verbum est Deus: Verbum est homo: ergo homo est Deus.* Confirmatur: propter hanc enim rationē nemo dubitat, has propositiones esse proprias; *Hoc dulce* (demonstrato lacte v. g.) *est album; hoc album est dulce.*

9 Vnde patet, quanta ratione ducta diversa concilia (nēpe Ephesinum, & Lateranense *sub Martino 1. consultat 5. can. 3.* necnon & 5. Synodus) definierunt, quòd B. Virgo propriè est mater Dei: quāvis enim hoc tantùm sit per communicationem idiomatum; enuntiatio tamen facta per communicationem idiomatum est propria, & rigorosa in dialectica.

10 Durandus autem *in 3. dist. 4. q. 2.* quamvis admittat communicationem idiomatum, & concedat, hanc propositionem esse veram, *Deus est homo*; (Idem est de similibus, tamen circa veritatem, & proprietatem illius lubricè loquitur (inquit Lorca *disp. 62. num. 16*) dicit enim, hanc propositionem v.g. *Deus est homo* minùs propriam esse, quàm istam, *Petrus est homo.* Et addit aliquomodo esse propriam, sed non omninò non tamen explicat, quomodo sit propria. Vt autem vitet notam dissensus à communi sententia, advertit, in his quæstionibus de proprietate loquendi non admodum referre qualitèr loquamur, dummodo sensus verus doctrinæ Catholicæ servetur. ¶ Sed fallitur Durandus: (Meritò subdit Lorca *ibi num. 16.*) nam multum refert vis, & proprietas sermonis, in hoc & in alijs mysterijs fidei: quia verus sensus teneri non potest, nisi proprijs, & accommodatis vocibus explicetur.

11 Igitur Durandus nobis oppositus objicit aliqua; quæ ex sequentibus dubijs patebūt. ¶ Obi. 1. diversæ naturæ non prædicātur propriè, & adinvicē, nisi aut vtraque aut vna saltèm sumatur adiectivè: sed naturæ divina, & humana in Christo D. sunt diversæ: ergo nequit vna de altera prædicari, si vtraque substantivè sumatur. Maiorem probat ab exemplo: nō enim rectè enuntiatur calor v.g. de albedine, aut de Petro, nisi di-

Dicendo, *albū est calidum*; *Petrus, est albū &c.* Respondetur negando maiorem. Ad probationem dico, quod in hac propositione, *albū est dulce* (in lacte v. g.) extrema sumuntur substantivè; esletque propria enuntiatio, si diceremus, *Petrus est album* substantivè sumptum. Et quamvis regulæ Grammaticæ id prima facie nō tolerēt; etiam Grammatica id permitteret, si aliàs statuatur, ly *album* sumi substantivè. Quare tunc hanc propositionem (*Petrus est album*) nullus Grammaticus damnaret inconcordiæ, nec vllus metaphysicus, aut logicus falsitatis, aut impropriectatis. Si autem hoc in alijs concretis substantialibus naturarum completarum nō contingit, ideò est, quia solùm in Christo D. reperitur, esse naturas substantiales completas. Et ideo solùm in ipso potest verè, & propriè enuntiari vna de alia. Verè, (inquam) quia *ab eo, quod res est vel nō est propositio dicitur vera, vel falsa*, Propriè autem propter dicta *à n. 8.*

DVBIVM III.

12 Petes tertiò, qualitatem hui⁹ propositionis *Deus est homo.* Resp. tria inquiri ab Authoribus de qualitate huius propositionis, *De⁹ est homo.* (quam esse verā, & propriam suppono ex dictis *à n. 1. vsque ad 11*) Primum, an sit in materia naturali? (in qua solùm essentialia, & passiones prædicantur de subiecto) an in accidentali, seu contingenti? (in qua solùm prædicantur, quæ sunt extra essentiam?) an in remota? (in qua prædicantur, quæ sunt opposita, & repugnantia subiecto) secundum est, an prædicta propositio sit per se? an per accidens? Tertium est, an sit vniuoca cum alijs, de quibus homo prædicatur?

13 Circa primum, & secundū (quæ connectuntur: vt de sepatet) dico, hanc propositionē (*Deus est homo*) non posse definiri iuxta regulas Dialecticorum: cùm sit vera media vnione supernaturali. Atq; adeò aliquomodo est per se & in materia naturali, & aliquomodo est per accidens, & in materia contingenti. Est (inquam) per se, & in materia naturali; quia prædicatū homo competit Deo per se, eo quòd à parte rei cum Deo vnitur sustantialitèr vnum per se cum illo constituens. Ex alia autem parte prædicatū *homo* nō necessariò, sed merè per accidens convenit subiecto: cū possit adesse, & abesse sine subiecti corruptione ¶ Dices, prædicatum esse contrarium subiecto ea saltèm parte, qua vna natura est finita, & altera infinita: ergo propositio illa est in materia remota. &c. Resp. negando consequentiam, quia quantumvis illę naturæ habeant contrarietatem, habent tamen idem suppositum. Et ideò quamvis abstractè sint in materia remota; in concreto tamen sunt in materia per se, & naturali. Hanc conclusionem defendunt Scotus *in 3. dist. 7. q. 1. §.*

Quar-

Quartò videndum & §. Quinto videndum. Bonav. Rada, Fabro, & Lorca; quos citat, & sequitur Felix cap. 21. dicens, id etiam insinuare Suarez. ¶ Quare non sunt audiendi absolutè Durandus, & Vazquez (quos citat, & sequitur G. Hurtado *disp. 11. dif. 4.*) qui dicũt, hanc propositionem *Deus est homo* esse in materia contingenti. Ita etiam Paludanus *disp. 7. quæst. 1. ar. 2.* Et fortè idem sentit Gab. *in 3. dist. 7.* dicens, esse prædicationem per accidens, quamvis de materia confusè loquatur vtens varijs distinctionibus. ¶ Neque absolutè audiendi sunt D. Thom. *q. 16. art. 1. ad 1. & alibi Caiet. Ferrara, & Ricardus* (quos citat Lorca *dis. 61. num. 22.*) dicentes esse in materia naturali. Itaque hi omnes non sunt absolutè audiendi; sed vel trahendi ad nostram sententiam; vel reijciendi, tamquam ab illa dissentientes.

14 Circa tertium (an scilicèt hæc propositio (*Deus est homo*) sit vnivoca) dicendum est, quòd ex parte prædicati est vnivoca: cum prædicatum *homo* tàm respectu Dei, quàm Petri, & aliorum hominum dicat conceptum vnivocum. Tamen ex parte modi habendi se illud prædicatum *homo* ad subiectum videtur, hanc propositionem non esse vnivocam. Quia, si comparetur cum Deo, non est de ratione, & quidditate illius; sicut est, si comparetur cum Petro, & alijs hominibus. Quare neque ista dubitatio potest definiri iuxta regulas Dialecticorum.

DVBIVM IV.

15 PEtes quartò, an ista propositio, *Christus est homo*, sit per se? Affirmant *Medina, Suarez, Vazquez, & Lorca, quos citat, & sequitur G. Hurt. disp. 11. diff. 10.* ¶ Sed dico primo cum Scoto *in 3. dist. 7. q. 1. §. & vers. Quinto videndum, Fabro, & Palud. quos citat, & sequitur Felix cap. 21. dif. 2.* quòd non est per accidens. Quia non potest adhuc per considerationem abesse à Christo D. quod sit homo. ¶ Dico secundò, quòd non est omninò per se. Quia ad hoc requiritur, quòd subiectum sit per se talitèr vt non includat duas naturas physicè completas, qualitèr illas includit Christus D. ¶ Sed præcitati AA. obijciunt: hæc est per se, *album est coloratum*. Sed subiectum huius propositionis non est omninò vnum per se: ergo & ista, *Christus est homo*, erit propositio omninò per se, quamvis ly *Christus* non sit vnum omninò per se. Resp. negando minorẽ: album enim est concretum, quod tantum significat formam quamvis connotantem subiectum: & sic non mirum quòd propositio sit omninò per se cũ subiectũ sit vnũ omninò cum prędicato; quod non habet *Christus D.* ¶ Esset tamen aptius exemplum termini cõplexi (qualis est *homo albus* v.g.) qui æquè includit vtrũque, sicut *Christ.* D.

D. Tamen si nobis obijceretur, quod illa propositio, *homo albus est coloratus*, est omninò per se. Hoc negaremus eodem fundamento, quo negamus, hanc esse omninò per se, *Christus D. est homo*, nempè quia subiectum non est omninò vnum per se.

DVBIVM V.

16 PEtes quintò, an *homo* adiectivè sumptus possit prædicari de Deo? & è contra? Respondetur negativè. Quia sic significatur, naturam humanam non propriè vniri Verbo substantialiter, sed accidentaliter. Et ideo apud nullū fuit in vsu (inquit Lorca *disp.* 61 *n.* 25.) ista propositio, *Deus est humanus*. ¶ Vnde reijcio Durādum, qui *in* 3. *dist.* 4. *q.* 2. existimat, de Deo melius prædicari adiectivum *humanus*, seu *humanatus*, quàm *homo*. Fallitur tamen (al tem loquendo de adiectivo *humanus*; & ipsum impugnat Lorca. Ex parte etiam fallitur Felix *cap.* 21. *diff.* 2. confundendo hanc propositionem, *Deus est humanatus*, cum ista, *Deus est humanus*. Immeritò (inquam) confundit has propositiones: quia posterior nequit habere duplicem sensum, quem potest habere prior ¶ Itaque fatētur communitèr, hanc propositionem, *Deus est humanatus*, posse habere duplicem sensum. Primus est, secundùm quem terminus *humanatus* sit nomen, denominativum ductum ab humanitate. Et sic talis propositio est falsa; & eam negat Concilium Francfordiensi. Quia denotat cōiunctionem accidentalem duorum suppositorum; quam Elipandus Nestorianè adstruebat. Secundus sensus est, secundùm quem terminus *humanatus* non sit nomen denominativum ductum ab humanitate; sed participiū verbi *humano humanas*; quod participiū significat hominem factum; sicut dicitur Deus *incarnatus* à Verbo *incarnor*. Et in hoc sēsu hæc propositio, *Deus est humanatus*, est vera; & illam vsurpat Damasc. *lib.* 3. *cap.* 2.

17 De hac propositione, *Christus Dominus est persona humana*, dicendum est cum Suarez, & Felix *cap.* 21. *diff.* 2. esse falsam; si nomine personæ intelligatur personalitas humana, aut creata: hoc enim esset Nestorianum. Si tamen nomine personæ intelligatur personalitas divina terminans naturam humanam, vera est dicta propositio; & in hoc sensu intelliguntur Damasc. & Amb. dum dicunt, quòd *in Christo D. est persona hominis*.

18 Quemadmodum autem *homo* adiectivè non potest prædicari de Deo; ita neque Deus adiectivè potest prædicari de homine, propter eandem rationem, nempe quia hic modus loquendi potiùs denotat vnionem accidentalem, & Nestorianam, quàm substantialem, & Catholicam Quare nullum est denominativum

formatum à nomine *Deus*, quòd enuntiari possit de homine. Immò neque si barbarè formaretur dicendo *Deatus*, verè diceretur de homine; vt notat Lorca *ibi num. 26.* Quare hæc enuntiatio, *hic homo est Deus*, falsa esset; & sensum Nestorianum indicaret.

19 Sunt tamen tria adiecti-va aliquomodo à Deo derivata, de quibus AA. contendere solent, an possint de homine Christo prædicari? Hæc sunt *Deificus*, *Dominus*, *& divinus*. ¶ Hanc propositionem, *Christus Dominus est homo Deificus* negat Concilium Francfordiense; (sicut illam *Deus est humanatus*;) si sumatur ly *Deificus* tanquam adiectivum, seu denominativum à nomine *Deus*. Posset tamen ly *Deificus* idem significare, quòd factus Deus: vt notat Lorca ibi, addens, quòd iste sensus non est in vsu, neque vsurpandus.

20 Hanc propositionem, *Christus Dominus est homo Dominicus*, concesserunt olim *Epiphanius*, *Athanasius*, *Didimus*, *& Augustinus citati à Lorca disp. 61. num. 28.* vbi advertit illam retractasse Augustinum 2. *Retract. cap. 19.* affirmando, esse falsam: quem secuti sunt D. Thom. *q. 16. art. 3.* & communitèr Scholastici. Et reverà falsa est de rigore sermonis: quia adiectivum illud *Dominicus* est adiectivum possessionis; & importat distinctionem suppositi inter possidentem, & rem possessam; & consequenter inter Deum, & hominem. Et ideò manifestat sensum Nestorianum. Non ergo est dicendus *Christus Dominus homo Dominicus*. Et propter eandem rationem non est dicendus *homo Dei* quia genitivum Dei possessionē significat, & distinctionem suppositi importat: sed Christus D. dicendus est *homo Deus*

21 Hæc propositio, *Christus Iesus, vel hic homo est divinus*, admittenda est *cum Dionysio cap. 4. de Ecclesiast. Hierarchia, & cum D. Thom. quæst. 16. artic. 3. Lorca disp. 6. num. 29 & Felix cap. 21. diff. 2.* (Contra Vazquez) Quia ly *divinus* propriè significat aliquid Dei, naturam eius participans ita tamen vt non sit adæquatè totus Deus. Qua ratione dicere solemus *naturam divinam*, *personam divinam*, *Verbum divinum*, *Spiritū divinum*. Sicut *humanum* dicitur, quod est aliquid hominis ad eius entitatem pertinens, & non est totus homo. Quo pacto dicere solemus *carnem humanam*, *animam humanam*, *&c.* Fallitur ergo Vazquez existimans, nōn esse differentiā inter hos duos terminos *Dominicum*, & *divinum*; & inde affirmans, quòd sicut non admittitur illa, *Christus est homo Dominicus*; ita non est admittenda illa, *Christus Iesus*, *aut hic homo est divinus*. ¶ Notant Lorca, & Felix *ibi* hanc propositio-

nem, *Natura humana in Christo D. est divina* non esse vsurpandam. Quia natura humana in se nihil divinitatis habet.

DVBIVM VI.

22 PEtes sextò, an hæc propositio, *Deus factus est homo*, sit non solùm vera, (de eius enim veritate dubitari non potest cùm contineatur *Ioan. 1. Verbum caro factum est*: nec non & in symbolo, *& homo factus est*) Sed etiam sit propria de rigore sermonis? Respondetur affirmativè. Quia propriè salvantur verba scripturę. Secundò, quia Deus per actionem Trinitatis est homo, & non semper fuit homo: ergo propriè factus est homo. Confirmatur, & declaratur; quia natura humana est vnita Verbo per actionem Trinitatis: sed hoc est, Deũ, aut Verbum fieri hominem: ergo per illã actionem, seu vnionem Deus factus est homo. Ita Scotus *in 3. d. 7 q. 2. § & vers. Sed tantam, Cavellus ibi, & Felix cap. 21. diff. 3. qui citat D. Thom. Suarez, Vazquez & Lorca. Adde Marsilium, & Becanum, quos citat, & sequitur G. Hurtado disput. 11. diff 7.*

23 Sed D. Bonav. *in 3. dist. 7. artic 1. q. 2* dicit, non esse propriã & obijcit; quod ly *factus* denotat mutationem in eo, qui fit aliquid: Sed Deus mutari non potest: ergo neque dici propriè factus homo. Respondetur cum Scoto *ibi*, *cum Lorca disp. 63. num. 3. & cum Felix* negando maiorem, seu sequi Deum fuisse mutatum: quia potest de novo aliquid fieri cum reali mutatione vnius extremi tãtũ, aut sine mutatione vtriusq; Sicut aliquod corpus fit dextrum sine sui mutatione per mutationem hominis, qui statuit se, vbi corpus illud maneat ad dexteram: quod sufficit, vt verè, & propriè illud corpus dicatur dextrum; paries visus. &c. solum per mutationem intrinsecè existentem in alio; & extrinsecè in denominato. Sic ergo Deus verè, & propriè dicitur factus homo per factionem intrinsecè existentem in homine; & extrinsecè in ipso Deo, cui homo sustantialiter est vnitus.

DVBIVM VII.

24 PEtes septimò, an hęc mutatio, quæ fit in natura humana, saltèm per communicationem idiomatum possit verificari de Deo? Respondetur negative. Quia illud, quod mutatum est non fuit suppositum, aut homo significatus in concreto, sed natura humana abstracta à supposito: cum natura autem abstracta à supposito non est communicatio idiomatum: ergo de Deo, aut de Verbo nequit adhuc per communicationem idiomatum verificari prædicta mutatio.

Aliam

25 Aliam rationem, sumptam ex Scoto ibi, assignat Felix *ibi*, nẽpe quod per communicationem idiomatum solùm dicuntur de Deo, quæ secuntur ad vnionem; non vero, quæ exprimunt vnionem, aut conueniunt ratione viæ ad vnionem. Et ratio est quod cõmunicatio idiomatum fundatur in vnione: ergo debet illam iam factam supponere. ¶ Dices: ergo secundùm hanc rationem Deus non diceretur genitus, aut conceptus de Virgine per communicationem idiomatum. Patet: quia generatio est prior natura, quàm vnio, & est quasi via ad vnionem. Resp. negando. Ad probationem dico, generationẽ humanitatis esse quidem priorem natura, (imò & tempore, quantùm est ex se: nõ enim repugnat, quòd natura humana vniretur Verbo, etiam si tẽpore producta præcessisset) quàm vnio: est tamen quasi natura posterior: quia ex communi modo loquendi nata est denominare terminum *ad quem*, & non subiectũ generationis: non enim dicimus generari materiam, sed hominẽ. Igitur absolutè est concedendum per communicationem idiomatum, Verbum esse conceptum ex Virgine, aut generatum; eo quòd ex modo loquẽdi conceptio, aut generatio est posterior vnione; & sic denominat terminum *ad quem* qui est homo. Non autem potest dici, adhuc per communicationem idiomatum Verbum mutatum: quia mutatio non solùm in re, sed etiam in modo loquendi nata est denominare, & de facto denominat, nõ terminum *ad quẽ*, sed subiectum generationis: dicimus enim mutari materiam, non autem terminum generationis.

26 Hanc nostram conclusionem defendit *Scotus ibi in fine quæstionis*, *Lorca*, *& Felix*. Ego tamen illam solùm intelligo de modo loquendi: in re enim nullum mihi apparet incommodum si concedatur, Deũ, aut Verbum fuisse mutatum per communicationem idiomatum. Non enim minùs repugnat Deo mori, crucifigi, &c. (quæ sine aliquo scrupulo concedimus ei per communicationem idiomatum) quàm mutari.

27 Nota, quòd etiam est vera, & concedenda hæc propositio, *Deus factus est hic homo*. Ita Felix *cap. 21. diff. 3. & Suarez*. Quia factus est homo singularis: ergo hic homo. Vnde patet, dictam propositionem reddere hunc sensum; *Deus factus est suppositum terminans hanc naturam*; seu *factus est terminus huius naturæ per propriam Verbi suppositalitatem*. ¶ Dices, sequi, per syllogismum expositorium posse concludi hanc etiam esse veram, *Deus factus est Deus*, sic syllogizando, *Verbum aut Deus factus est hic homo: hic homo est De⁹: ergo Verbum, aut Deus factus est Deus*. Respondetur negando sequelam: quia consentiunt omnes (inquit Lorca *disput. 6. num. 4.*)

argumentum esse sophisticū, sed qua specie fallaciæ peccet, diversimodè explicant. De quo legatur Felix *cap.21. diff. 3.* diversas solutiones referens. Nobis autem sufficiat dicere cum Montesinos, quòd variatur suppositio: nam in maiori ly *homo* sumitur formalitèr, hoc est, pro natura hominis; in minori autem sumitur materialitèr, id est, pro supposito humanitatis; & ideò non tenet consequentia.

28. Ex dictis constat, has propositiones esse veras, *Deus factus est Christus; Deus factus est Iesus; Deus factus est Emmanuel.* Quia sensus est. *Deus factus est hic homo, qui est Christus, Iesus, Emmanuel.*

¶ Dices: ergo etiam erit vera ista, *Petrus factus est homo.* Respondetur negando: quia Petrus non supponitur ad esse hominis: sicut supponitur Deus ad esse Christi, &c. ¶ Contra, quod ex *cap. 17. dub. 3. num. 7.* hæc est vera, *Christus D. predestinatus est Filius Dei,* quāvis subiectū illud *Christus* nō supponatur ad prædicatū: ergo ad veritatem istius, *Petrus factus est homo,* obstare non potest, quòd Petrus non supponatur ad esse hominis. Respondetur ita esse, si loquamur minùs strictè; non autem, si in rigore logico loquamur. Itaque iam concessimus, & modo concedimus, hanc propositionem, *Christus Dominus prædestinatus est Filius Dei,* esse non propriam in rigore logico, veram tamen in hoc sensu, quòd disposuit Deus, vt natura humana substantialitèr vniretur filio Dei; & consequētèr resultaret Christus D. qui est filius Dei. Similiter ergo in præsenti potest concedi hæc propositio, *Petrus factus est homo*; hoc est, disposuit Deus, quòd produceretur Petrus, qui est homo.

29. Constat etiam ex dictis, quòd sicut conceditur illa propositio, *Deus factus est homo,* concedenda erit ista, *Deus genitus, aut conceptus est homo,* iuxta dicta *n.* 25.

DVBIVM VIII.

30 Petes 8. an hæc propositio, *homo factus est Deus,* sit absolutè vera? Respondetur affirmativè. Quia habet aliquem sensum verum, illum scilicet, in quo enuntiat complexum istud *homo est Deus*; ac si dicamus, *factū est, vt homo sit Deus*; quia verè per actionem Trinitatis factum est, vt homo esset Deus: quod esse Theādrium, seu Dei, & hominis non extabat in rerum natura ante illā Trinitatis actionem, aut factionē. Secundo probatur ex Augustino 1 de *Trinitat. cap. 13.* sic fante: *Talis fuit illa vnio, vt Deum faceret hominem.* Et Greg. Nazianz. *orat. 3. de Theologia* dixit: *Hic homo Deus factus est, postquam cum Deo coaluit,* Ita Scotus *in 3. dist. 7. q. 2. §. & vers. Ex his patet, Fab. Rada, & Gab. quos citat, & sequitur Felix cap. 21. diff. 3.*

31 Sed *D. Th. ibi Suar. Vazq. & Montesinos, quos citat Felix ibi, & quos ex parte sequitur Lorca disp 63*

num. 16. oppositum defendunt: & obijciunt Damasc. lib. 3. cap. 2. & PP. concilij Francfordiensis negantes hominem Deificatum. Respondetur loqui contra hæreticos affirmantes naturas in Christo Domino fuisse permixtas, & confusas. ¶ Item obi. Cyrillum Alexandrinum adversus Anthropomorphitas cap. 22. negantem, hominem factum Deum. Respondetur loqui contra dicentes, naturam humanam per Incarnationem conversam fuisse in Deitatem. ¶ Insupèr dicunt quòd PP. pro nostra sententia adducti piè sunt explicandi; sumunt enim cõcretum pro abstracto, ac si dicerent; factum est, vt natura humana Christi Domini subsistat in persona Verbi. ¶ Sed, vt benè notat Felix citatus, neque Scotus neque nos aliud intendimus, quàm illi PP. nempè quod dicta propositio habet aliquem sensum verum, in quo à Patribus profertur: & consequenter, quòd AA. dicentes, esse absolutè falsã loquuntur contra PP. qui illam absolutè proferunt.

¶ Aliquos sensus falsos huius propositionis vide apud D. Thom. quæst. 16. art. 7. quos præcipuè refert Lorca disp. 36. à num. 8 & secundùm quos explicandi sunt, qui negant prædictam propositionem.

32 Obijciunt secundò, quòd homo Christus supponit pro supposito naturæ humanæ, seu quod terminat naturam humanam. Sed falsum est, quòd illud factum fuerit Deus: ergo falsa est ista propositio, homo factus est Deus. Probatur minor: quia tale suppositum semper fuit Deus. Respondetur hoc argumento convinci, dictam propositionem non esse veram de rigore sermonis; (de quo à num. 33.) non tamen quòd non sit absolutè vera in aliquo sensu: vt explicuimus num. 30.

¶ Obijciunt tertiò hæc est vera, homo factus est Deus: ergo etiam hæc, Christus Dominus factus est Deus. Patet per hunc syllogismũ expositorium: Hic homo est Christus: sed hic homo factus est Deus: ergo Christus Dominus factus est Deus. Respondetur concedendo. Sicut enim concedimus primam propositionem enuntiando complexum illud homo est Deus ita vt sensus sit, per actionem Trinitatis factum est, vt homo sit Deus, ita secunda propositio est vera in eodem sensu; siquidem per actionem Trinitatis factum est, vt Christus Dominus qui est Deus, poneretur in rerum natura. ¶ Neque hoc est contra Petrum Diaconum lib. de Incarnat. & gratia dicentem: Deus factus est Christus; non tamen Christus factus est Deus. Ibi enim sumit secundam illam propositionem (non tamen Christus factus est Deus) in omni proprietate, & rigore sermonis: in quo sensu prædicta propositio non est vera; vt iam explico.

(*)

DVBIVM IX.

33 PEtes 9. an prædicta propositio, *homo factus est Deus*, sit vera de rigore sermonis? Respondetur negativè. Quia nullum subiectum propriè ordinari potest ad id, quod in se habet. Sed *homo Christus* necessariò includit esse Dei: ergo ad tale esse per nullam factionem ordinari potest. Ita *Scotus, & omnes AA. quos citauimus cap. 17. num.* 10. loquendo de illa propositione, *Christus D. seu hic homo prædestinatus est filius naturalis Dei.* ¶ Dices, quod nos *ibi n.* 11. notabamus cũ Fab. Scot. esse problematicum circa proprietatem huius propositionis, *Christus D. aut hic homo prædestinatus est filius naturalis Dei*: ergo etiam erit problematicus circa proprietatem huius, *Christus D. factus est Deus.* Patet; quia nos de vtraque pariformiter loquimur. Respondetur ita esse: expressèque concedit Scotus in vltimis verbis illius §. *Sed tantam prolixitatem*: vbi loquendo de his duabus propositionibus, *Deus factus est homo*, & *homo factus est Deus*, sic concludit, *ambæ sunt veræ, vtraque tamen propria.*

DVBIVM X.

34 PEtes 10. an absolutè, & sine addito Christus D. possit dici creatura? Respond. affirmativè. Quia difficile est assignare rationẽ quare absolutè dicatur flagellat⁹, mortuus, &c. & non creatura. Confirmatur, & declaratur. Ideò enim Christus D. dicitur absolutè mortuus, flagellatus, &c. quia eius humanitas verè fuit mortua, genita, &c. aut (propriùs loquendo) quia Christus D. ea parte, qua est homo, aut constat humanitate, verè fuit mortuus, flagellatus, genitus, &c. ergo ob eamdem rationem debet etiam dici creatura. Patet consequentia; quia eius humanitas verè fuit creata, id est, dependens à Deo, & facta ex nihilo (quantùm ad materiam primã, & animam rationalem) non secꝰ ac quæcunque alia humanitas. Igitur sicut absolutè, & sine addito Christus D. dicitur genitus, mortuus, flagellatus, &c. dici potest creatura. Ita *Scotus problematicè saltem, vt dicam n. 40. D. Bonav. Nicolaus de Orbellis, Caiet. Valencia, & Vazquez quos citat, & sequitur G. Hurtado disp. 11. diff* 11. *Quibus adde Varronem Scoti magistrum.*

35 Sed oppositum defendunt D. Thom. *in 3. dist. 11. art. 2. Ricardus, Palud. Gab. Medina, Cabrera, & Alvarez citati à prædicto Hurt. Quibus adde Lorcam Fab. & Radam, quos citat, & sequitur Felix cap. 19. diff. 4.* Et obijciunt: prædicatum, quòd aptum est convenire toti, & parti, & solũ cõvenit parti, nõ attribuitur absolutè toti, benè tamẽ prædicatũ, quod natũ est convenire parti tan-

tātū Sed prædicatū *creatura* est aptū convenire toti, & parti, & solū convenit Christo D. ratione partis, nempè ratione humanitatis: ergo Christus D. nequit absolutè dici creatura. Maior declaratur: homo enim Æthyops, qui est albus tantùm secundùm dentes, nō dicitur absolutè albus, benè tamē dicitur absolutè crispus: quia prædicatum *album* est aptum convenire toti, & partibus: prædicatum verò *crispus* solum est aptum convenire capillis. Igitur meritò Christus D. absolutè dicitur crucifixus, mortuus, genitus, &c. Non tamen creatura: quia illa priora prædicata, cùm solùm possint cōpetere Christo Domino ratione partis, seu humanitatis, possunt de ipso absolutè proferri (sicut crispus de homine) absque periculo æquivocationis apud Logicos; & absque periculo suspicionis erroris Arij apud Theologos. Prædicatum verò *creatura*, cùm sit commune tàm humanitati, quàm supposito: & aliàs Christo D. solùm conveniat secundùm partem, seu secundùm humanitatem, nequit absolutè dici de Christo D. quia generetur æquivocatio apud Logicos; (id est, quia logicè loquendo existimemus, dictum prædicatum convenire toti, vel saltèm toti, & parti: siquidem de toto absolutè prædicatur) & apud Theologos suspicio erroris Arij affirmantis, Verbum, seu suppositum filij esse creaturam.

36 Respondetur maiorem huius argumenti, & eius probationem esse veram, quando pars non est natura integra: si enim sit, (vt verè est humanitas Christi D.) prædicata, quæ tali parti conveniunt, absolutè attribuuntur toti. Aliàs Christus D. non diceretur absolutè mortuus: quia prædicatum *mortuus* aptum est convenire toti, & partibus saltèm integrantibus. ¶ Neque ex ista propositione *Christus D est creatura* apud Logicos Catholicos aliqua æquivocatio, aut apud Theologos aliqua suspicio erroris Ariani generatur. Notum est enim Catholicis doctis, prædicatum *creatura* Christo Domino convenire posse solùm ratione humanitatis; non autem ratione divinitatis, aut suppositi divini. Si tamen aliquando aliquod suspicionis erroris periculum immineret propter aliquos hæreticos audientes; aut aliqua æquivocatio propter audiētes minùs doctos, foret tunc loquēdum cum restrictione declarante, prædicatum *creatura* convenire Christo D. solùm secundùm humanitatem.

37 Objiciunt secundò, *Christus* est nomen personæ, seu suppositi: sed suppositum Christi D. non est creatura: ergo absolutè dici non potest, quòd *Christus Dominus est creatura*. Respondetur distinguendo, aut explicando maiorem: *Christus* enim est quidem nomen personæ, seu suppositi, non vtcumque: Sed terminantis duas naturas: ac proindè hoc compositum

Christus

Christus, quod est suppositũ Deus, & homo, aut terminans naturas diuinam, & humanam, verè & absolutè dicitur, & est creatura ratione humanitatis; sicut ratione eiusdẽ humanitatis absolutè dicitur homo, crucifixus, mortuus, &c. ¶ Obijciunt tertiò, Christus Dominus non est aliquid, quod sit factum: ergo non est creatura. Patet consequentia, quia creatio est factio. Antecedens autem constat, quia in Christo Domino sola humanitas est facta, & Christus D. non est humanitas. Respondetur negando maiorem. Sicut enim Leo v. g. absolutè dicitur creatus, seu creatura, quamvis sola materia prima illius fuerit creata: ita quamvis humanitas Christi D. tantùm fuerit facta, Christus Dominus absolutè dicitur factus iuxta illud *Actorum 2. Christum fecit Deus*.

38 Ex dictis à fortiori infertur, Christum Dominum posse dici creatura cum addito isto, *secundùm quod homo*, aut *in quantùm homo est*, aut *secundùm humanitatem*, vel cum quacumque alia restrictione declarante, sermonem esse de illo ea parte, & ratione, qua homo est, aut humanitate constat.

39 De mente autem Patrum circa præsens dubium eruditus Lorca *disput. 64. num. 5.* fatetur, nullum argumentum posse sumi ex Patribus pro nostra, aut opposita sententia: quia PP. (inquit) non fuerunt soliciti de proprietate huius enuntiationis: (*Christus Dominus est creatura*) & ideo illam aliquando admittunt, & aliquando excludunt, prout conducit intentioni suæ disputationis. Quos PP. ipse Lorca citat ibi: & dicit, quod qui prædictam propositionem negant, loquuntur contra Arium; negantque Christum Dominum esse creaturam secundùm suppositum diuinum. PP. verò, qui dictam propositionem admittunt, non ita absolutè loquuntur, vt possit inferri, ipsos absolutè concedere prædictam propositionem: quidam enim dicunt, esse creaturam secundùm naturam humanam; & alij dicunt, simul esse creaturam, & increatum, seu creatorem. Igitur sufficiebat nobis, quòd ipso Lorca (nobis aliàs opposito; nec ignobili ex adversorum classe) fatente, nullus Patrum possit afferri contra nostram sententiam. PP. quippè, qui hanc propositionem, *Christus Dominus est creatura*, absolutè negant, loquuntur contra Arium: solùmque negant, Christum Dominum esse creaturam, quatenùs includit suppositum diuinum: non autem ea parte, aut ratione, qua constat natura humana: vt benè vidit prædictus Lorca. Immeritò tamen affirmat, nullum Patrum absolutè docere nostram sententiam. De-

bebat enim meminisse, D. Hieronymum *super Epistolam ad Ephes.* ad verba illa *ipsius factura sumus* sic fuisse loquutum. *Multi timore trepidant, ne Christum creaturam dicere compellantur. Nos autem proclamamus, non esse periculum, dicere, Christum Dominum esse creaturam.* Aperta ergo authoritate D. Hieronymi munitur nostra sententia.

40 De mente demùm Scoti discordant alumni, & exteri. Alij enim dicunt, docuisse sententiam affirmantem; alij autem negativam. Nobis autem dicendum est, fuisse problematicum: Quia *in 3. distinct. 11. quæst. 1. §. & vers. Aliter* sic loquitur pro sententia Varronis, & nostra: *Aliter dicitur, quòd propositio est simpliciter concedenda, si benè intelligatur. Negabatur tamen communiter à Sanctis propter hæreses hæreticorum dicentium, Christum Dominum esse puram creaturam: cum quibus noluerunt sancti communicare in sermone.* Pro qua sententia adducit Scotus aliquas authoritates; & postea addit. *Cui ista opinio non placet, potest dicere, illam esse falsam, &c.* Igitur, Scotum in hac re esse problematicum, docent Tartaretus *in 3. distinct. 11. quæstione secunda* dicens; *nota, quòd cautè procedit hic Scotus, quia probabiliter potest teneri, quod Christus est Creatura, Castillo disputatione 19. quæst. 3. numero 3. Felix capit. 19. difficult. 3. & Hugo Cavellus in sentent. in tertio distinctione 11. quæst. 1. in Scholio ad §. Contra istam rationem, & in Reportat. eadem distinct. quæst. secunda in Scholio ad §. Dico ergo & in Scholio ad §. Ad secundam quæstionem.*

DVBIVM. XI.

41 Petes vndecimò, vtrùm propriè, & in rigore sermonis sit vera hæc propositio; *Christus Dominus incœpit esse*? Respondetur affirmativè. Quia ad hoc non requiritur, quod totum esse substantiale subiecti, aut primum, seu principale esse illius incœperit; sed sufficit, quòd aliquod esse substantiale, aut essentiale eius (quale est humanitas) cœperit esse in tempore. Sed humanitas verè cœpit: ergo absolutè, & in rigore est vera talis propositio. Maior constat à paritate: non enim alia ratione sunt veræ istæ propositiones, *Christus Dominus est genitus; est mortuus, &c.* Huc spectant ferè omnia dicta dubio præcedenti. Ita Scotus *in tertio distinctione vndecima quæstione tertia §. Hic sunt Cavellus ibi, & Felix capite decimonono difficultate quinta vbi etiam citat Radam, Fabrum, Vazquez, & G. Hurtado.*

42 *Caietanus secutus D. Thom. quæst. 26. art. 9. Suarez, & Lorca* citati à prædicto Felix oppositum defendunt. Immo Caiet. testatur, hanc propositionem, *hic homo* (ostenso Christo D) *incœpit esse*, (de qua etiam procedit nostra conclusio) fuisse damnatam Parisijs; & fuisse famam, eam damnasse Alexandrum sextum, ad quem fuit appellatum. ¶ Sed hoc parvi pendendum est: quia de eo non constat. Et dato, quòd constaret, fortè damnatum fuisset propter periculum Arianorum dicentiū, Verbum esse puram creaturam. Hac enim de causa PP. noluerunt concedere hanc propositionem, teste Scoto *in 3. dist. 11. quæst. 3. in fine*: vbi subdit: *sed incipere esse non importat hoc, quòd est creatura.*

43 Sed, quidquid sit de hoc, obijcit hæc sententia: *hic homo* (ostenso Christo Domino) aut *Christus D.* supponit pro supposito Verbi: sed hoc dici non potest incœpisse esse: ergo falsa est dicta propositio. Respondetur ex Scoto nupèr citato distinguendo minorem: est enim falsa de supposito suppositante naturam humanam: habet enim in tempore esse suppositum illius: sicut *Sortes albus supponit* (instat Scotus) *pro supposito substantiæ, tamen vt in albedine existit, seu vt sustentat albedinem.* Vera autem est prædicta minor de supposito suppositante naturam divinam; suppositum enim divinum neque incœpit esse in tempore, neque incœpit suppositare naturam divinam. ¶ Obi. secundò, *Christus Dominus* aut hic homo incœpit esse. Sed Christus Dominus, aut hic homo est Deus: ergo Deus incœpit esse. Respondetur negando consequentiam ob fallaciam accidentis in hoc syllogismo repertam saltèm propter variationem acceptionis seu appellationis illius particulæ *esse*, quæ in conclusione sumitur pro esse simplicitèr, & primario Dei; & in maiori pro esse secundario, & ipsi Deo adventitio, quamvis aliàs sit primarium Christo D. seu huic homini: & ideò de hoc homine, seu de Christo D. verificatur in maiori, & nō de Deo. Excusabitur autem dictus defectus, si conclusio materialitèr inferatur dicendo: *ergo hic homo, seu Christus D. qui est Deus, incœpit esse*: vt benè notat Gasp. Hurtado *disput. 11. diff. 4.* ¶ Obijciunt tertiò sequi ex nostra sententia concedendum esse, Verbum incœpisse esse per communicationem idiomatum. Respondetur nullum esse incommodum; vt notat Felix *c. 19. diffic. 5. in fine.*

DVBIVM XII. ET VLT.

44 PEtes 12. & vltimò quid dicendum sit de enuntiationibus, quæ fiunt de Christo D. cum nota reduplicationis *in quantùm*? Respondetur, quòd communitèr notant, particulam *in quantùm* (Idem est de particulis *quatenùs, secundùm quod*, *vt* & similibus.)

bus.) dupliciter posse sumi, scilicèt reduplicativè, & specificativè; quamvis in explicatione horum terminorum diversimodè loquantur AA. Præ omnibus autèm mihi placet Lichetus *in 3. d.11.q.2.* Igitur ly *in quantùm* reduplicativè sumptum declarat, terminum reduplicatum esse causam, seu præcisam rationem, proptèr quam prædicatum convenit subiecto, seu de subiecto dicitur. Vt cùm dico, *homo in quantùm animal, est sensibilis*, ly *in quantùm* declarat, quòd ratio, aut causa, quare de homine dicitur prædicatum *sensibilis*, est esse animal.

¶ Particula *in quantùm* specificativè accepta declarat, prædicatum sub aliqua specificatione, seu determinatione posse convenire subiecto, cui sine illa repugnabat. Exemplum sit in hac propositione, *Æthyops est albus secundùm dentes, seu in quantum habet dentes.* Itaque ly *secundùm dentes*, seu *in quantum habet dentes* præcisè se tenet ex parte albi, & facit stare ly *album* secundùm quid; quod prædicatum *album* absolutè sumptum repugnat Æthyopi: tamen vt distractum, seu specificatum per ly *secundùm dentes*, seu *inquantùm habet dentes*, illi non repugnat, immò illi convenit.

45 Igitur hæc regula est in præsenti observanda. Vt prædicatio sit vera, ly *inquantùm* ex parte subiecti numquam addendum est termino, cui repugnat prædicatum. Et ideò falsæ sunt istæ propositiones, Christus Dominus inquantùm *homo, est æternus; est immortalis, est infinitus, &c.* A contrario autem, vt prædicatio sit vera, ly *inquantum* positum ex parte subiecti semper addendum est termino, cui prædicatum natum est convenire. Vnde istæ sunt veræ, *Christus Dominus in quantum Deus, est omnipotens; est æternus, &c. Christus D. inquantùm homo, est mortalis, est genitus ex matre, &c.* Et ratio est assignata, scilicet, quòd ly *inquantum* reduplicativè sumptum declarat, terminum reduplicatum esse causam, aut rationem præcisam, propter quam prædicatum convenit subiecto, & de illo dicitur. Ratio autem, quare Christus D. est omnipotens, immortalis, &c. Non est, quia est homo, sed quia est Deus: sicuti ratio, seu causa, quare est mortalis, genitus ex matre, &c. non est, quia est Deus, sed quia est homo. Et ideo prædictæ propositiones sunt veræ. ¶ Dices: ergo, si ly *inquantùm* sumatur specificativè, solùm demonstrabit, subiectum propositionis esse, cui prædicatum convenit non determinando rationem, aut causam, ob quam ei convenit; atque adeo propositio erit falsa. Patet: quia sic multi explicant ly *inquantum* specificativè sumptum. Respondetur, me non callere, quomodo ly *inquantùm* possit poni ex parte subiecti, & non sumi reduplicativè: quia, cùm per ipsam vocem (*homo* v.g.) in hac propositione (*homo inquantum*

tùm animal, est sensibilis) sit iam specificatum aut declaratum sub iectum propositionis, si ly *inquantùm* non sumatur reduplicativè, supervacaneè ponetur.

46 Ex dictis infertur, quòd prædicatum *persona* (Idem est de illi synonymis, vt sunt suppositum, & hypostasis.) non potest prædicari de Christo Domino in quantùm homo est, si ly *in quantùm* sumatur reduplicativè. Quia homo non est ratio præcisa, seu causa, propter quam illi conveniat, seu de illo prædicetur personalitas divina, quæ est, per quam personatur Christus Dominus.

¶ Infertur etiam posse concedi hanc propositionem, *Christus Dominus inquantùm homo, est persona humana* si ly *inquantùm* sumatur specificativè: reddit enim hunc sensum, Christus Dominus dicitur persona humana, quatenus eius humanitas terminatur personalitate Verbi. ¶ Infertur tertiò, falsam esse hanc propositionem, *Christus Dominus in quantùm Deus est persona humana,* si ly *in quantùm* sumatur reduplicativè. Quia Deus non est præcisa ratio, seu causa, ob quam Christo Domino conveniat esse personam humanam. Potest tamen concedi, si ly *inquantùm* sumatur specificativè: (vt posse sumi ly *inquantùm* positum ex parte subiecti, contendunt aliqui) hoc est, reddendo hunc sensum, *Christus Dominus, qui est Deus, est persona humana:* seu istum, *Christus Dominus, & est Deus, & est persona humana.*

47 In calce demùm huius dubij, difficultatis, & tractatus pro enuntiationibus efformandis duo observanda sunt. Primũ est, quid de materia illa, ex qua formatur propositio, sentiat fides, aut saltem Doctores Scholastici. Est enim indefectibile illud principiũ, *Ab eo, quòd res est, vel non est, propositio dicitur vera vel falsa.*

¶ Alterum est, quòd supposita veritate materiæ, ex qua formare velimus propositionem, vtendum est terminis aptis, & convenientibus. Quod maximè cõmendant Logici agentes de concretis, & abstractis, advertendo, posse contingere, quòd in re alicui subiecto conveniat aliquod prædicatum, & tamen quòd propositio sit falsa: eoquòd terminis minùs aptis, & convenientibus fiat enuntiatio vt patet in hac propositione v.g. *homo est animalitas:* quæ non negatur ex eo quòd homo non habeat animalitatem: sed ex eo quòd incongruè significatur per nomen abstractum: quod quantum est ex vi suæ significationis denotat, animalitatem esse separatam à subiecto: & consequenter cohærere non potest cum verbo est, quod, eoquòd est copula, dicit ex vi suæ significationis, seu officij, animalitatem esse coniunctam cũ homine: atque adeò in tali propo-


fitione committitur vitium illud implicationis in adiecto: (vt vocant) siquidem prædicatum illud *animalitas* (ex vi modi significandi, quem habet, eo quod est abstractum), destruit coniunctionem, quam copula, seu verbum est (ex vi suæ significationis, seu officij) adstruebat.

48. Igitur in enuntiationibus efformandis, & veritas rerum attendenda est, & aptis terminis est vtendum. Quod si aliquando apud PP. aut probatos AA. aliqua reperiatur propositio, quæ supposita Catholica veritate, terminis minùs aptis efformetur, sumendo abstractum pro concreto, vel è contra, (Talis est illa propositio toties ab Ecclesia repetita in hymno *Te Deum laudamus, Tu ad liberandum suscepturus hominem non horruisti Virginis vterum.*) aut aliquo alio quocumque modo improprietatis laboret; non quidem est damnanda, sed piè interpretanda: (non tamen imitanda) salva enim veritate Catholica quæcũque propositio potest convenienter exponi in bono sensu inter Catholicos. Si autem immineat nota alicuius erroris, cautè loquendum est, ne videamur cum hæreticis convenire, vt passim admonent Doctores. Et hæc de toto Incarnationis tractatu ad laudem omnipotentis Dei, eius Immaculatæ Parentis, omniumque Sanctorum dixisse sufficiat.

LAVS DEO, ET MARIAE Matri eius.



TRAC-



TRACTATVS DE ADORATIONE AD MENTEM DOCTORIS SVBTILIS.

PROOEMIVM.

TRACTATVS iste apēdix est ad tractatū de Incarnatione: est enim viro Theologo necessariū scire, qualē Adorationē debeat ibuere Xpo. D. tū vt Deo tū vt homini, seu eius sacratissimæ humanitati. Quare Scolastici, qui ordinem Magistri sententiarum secūtur, tractant de Adoratione Christi D. *in 3. dist.* 9. vbi Scotus, & Scotistæ. Angelicus autē Doctor, & illi qui eius partium methodū obseruant, agunt de Christi D. adoratione *in 3. p. q.* 15. ¶ Non est autem extra chorum saltare, copiose in præsenti arū tractare de Adoratione. (quidquid dicant *Petrus Hurt. tract. de Incarnat. disp.* 85. *n.* 2. *& Castillo disp.* 20. *in limine*) Tū, quia imitāmur antiquos, & recētiores. Tùm, quia quamvis D. Th. 2.2. *q.* 84. *&* 85. tractet de Adoratione; Distinctionistæ tamē Theologi solùm in præsenti de Adoratione tractant. Imò & Thomistæ, vt calleant doctrinam de Adoratione Christo D. exhibenda cuncta ferè de Adoratione scitu digna in præsenti pertractant. ¶ Igitur nos, qui iam tractatum Incarnationis absoluimus, cuncta omnia quæ hac tempestate de Adoratione disputant Theologi, sumimus in præsenti pertractanda. Quē tractatum in sex capita dividam. In pri-

primò agam de Adoratione in communi. In secundo de Adoratione Dei O.M. In 3. de Adoratione Christi D. In 4. de Adoratione sanctorum. In 5. de Adoratione imaginum. In 6. de reliquiarum Adoratione.

CAPVT I.

De Adoratione in communi.

IN tractatibus de Angelis, & de Incarnatione capita in difficultates, nostrum Felix (secutus) dissecabam. Vt autem citationes faciliores reddantur, difficultates omittam, capitaque immediatè dividam in dubia.

DVBIVM I.

1. PEtes 1. ethymologiam, & essentiã Adorationis. Resp. quòd nomen *Adoratio*, secundùm aliquos Grammaticos (vt notat Lorca *de Incarnat. disp. 85. num. 1.*) componitur ex propositione *ab*, & voce *a bre*; quæ vox significat quoddam genus farris, quod olim erat sacrificijs Deorum deparatum. ¶ Alij vero probabiliùs, existimant componi ex propositione *ad*, & verbo *oro*, quasi *l ratio*, sit ad alterum oratio. ¶ Vndecunque autẽ quid nominis, seu ethymologia Adorationis sumatur, certum, & receptum est, Adorationem sumi in præsenti tractatu pro actu, quo quis alteri se submittit in signum excellentiæ, & superioritatis. Quod colligitur ex Damascen. *orat. 1. de Imaginibus* dicente, quòd Adoratio *est sumissionis, & inferioritatis nota; & orat. 3. quòd est animi sumissi, atque humilis significatio.*

DVBIVM II.

2. PEtes secũdò nomina, quibus Adoratio, seu prædicta nota sũmissionis significetur. Respondetur diversis nominibus, seu vocibus appellari à Patribus, & Doctoribus, quarum vocum cõvenientiam, & differentiam explicant in præsenti RR. *præsertim Suarez tract. de Incarnat. disp. 51. in principio, Vazquez disp. 93. cap. 1. & Lorca disp. 86 à num. 2.* ¶ Igitur prædictam notã summissionis vocant Adorationem, honorem, reverentiam, venerationem, cultum, laudem, & gloriam, seu glorificationem. Inter quas voces est nonnulla differentia.

3. Honor enim latiùs patet, quàm adoratio. *Honorat enim* (dicebat August. *lib. contra sermonem Arianorum cap. 23*) *omnis, qui adorat; non autem adorat omnis, qui honorat.* Et ratio est aperta: quia honor potest esse ad æqualem; immò & ad inferiorem: Adoratio autem necessario resolcit alterum tamquam in excellentia superiorem

rem. Quam excellentiam, & superioritatem apprimè declaravit Anastasius Episcopus Theopoleos citatus *in VI. Synodo act. 4.* dicens, Adorationem esse *emphasim honoris*, id est, *symbolum*: vt ibi paulò inferiùs declaravit Thesarius Constantinopolitanus Episcopus. Est enim *emphasis* (si vim vocis attendamus) non quodcunque signū, sed, quo plus significatur, quàm apertè dicitur, seu exprimitur. Et ideò voce illa *emphasis* significatū fuit, Adorationem esse symbolum, seu signum honoris, quo insignis, & superior in excellentia indicatur.

4 Eodem ferè modo, ac de honore, loquendum est de cultu, & veneratione: *colere* enim, *venerari*, & *honorare* Latinè ferè æquivalent; atque adeò eamdem habitudinem, seu rationem habent rèspectu adorationis. Etenim Adoratio est quædam veneratio, & quidam cultus: addit verò prædictam summissionem, & recognitionem alterius, vt superioris.

5 *Reverentia* autem, seu *revereri* quamvis ex primæva significatione genus quoddam timoris significet; (*vt ex D. Thom. & D. Bonav. notat Suarez citatus*) iam tamen vox ista translata est ad significandum etiam honorem, seu Adorationem, quam præstat inferior superiori in signum excellentiæ, & maiestatis eius. Sivè quia hæc Adoratio sæpè ex timore procedit; vt quado Iacob adoravit Esau; necnon, & quando Ioseph Adoraverunt fratres eius in Ægipto. Sivè quia ipsemet timor est testimonium quoddam excellentiæ alterius, quæ ex voluntate colendi illum sæpe concipitur.

6 De *laude*, & *gloria* eodem etiam modo est loquēdum. Quia laus est quædam species honoris, teste Arist. 1. *Rethoric. cap. 1.* dicēte. *Est enim laudare, verbis excellentiam alicuius commendare*.

¶ Contra; quòd 1. *Ethic. cap. 12.* dicitur: *honorari ea, quæ per se bona sunt, laudari verò, quæ ad aliud sunt vtilia*: ergo sentit, quòd laus circa vtilia solùm versatur: ac per consequens ad Adorationem non poterit pertinere: etenim Adoratio maximè circa Deū versatur; cuius excellentia potiùs est bonitas honesta, quàm vtilis. Respondetur negando consequētiam: id enim dixit Philosophus ad declarandum, quòd laus extēditur ad vtilia: quod non competit *honorari*. Igitur laus, si cum debita summissione, & recognitione fiat, rationem Adorationis habet. ¶ Gloria demùm idem ferè est, quòd honorifica laus: *est enim gloria clara cum laude notitia*, aiebat Augustinus *lib. 83. quæst. q. 31.* & D. Thom. 2. 2. *quæst. 103. art. 1.* affirmat, *gloriam esse effectum laudis*: ex eo enim quòd aliquem laudo, & apud aliquos magnifico, remanet notus, & cū laude apud illos, qui eū ignorabāt: & cōsequentèr apud illos est gloriosus.

7 Duo sunt in præsenti obseruanda. Primum est, quòd quamuis prædictæ voces aliquomo ab Adoratione differant; tamen in hoc tractatu eis sæpissimè indifferentèr vtuntur DD. PP. & concilia, præsertim VII. synodus, & Damascenus; & per quamcumque illarum frequentèr rigorosam significant adorationem. ¶ Alterū est, quòd nomen *Adoratio* aliquādo sumitur antonomasticè, scilicèt pro adoratione soli Deo debita. Qualitèr *Matt.* 4. dixit Christus *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies*; id est, solum Deum tuum adorabis. (vt communitèr exponitur) De qua Adoratione sumpta per antonomasiā intelliguntur scriptura, & PP. quotiès dicunt, Adorationem soli Deo esse exhibendam. Propriè tamen loquendo tàm nomen, quā Adorationis ratio communis est reuerentiæ, quæ exhibetur Deo, & creaturis. Vt constat ex dictis; cōstareque ex communi vsu scripturæ, & Patrum probant communitèr, præcipuè Lorca *disput.* 86. *num.* 6.

DVBIVM III.

8 PEtes; qui actus sint necessarij ad consistentiam Adorationis? & in quo illorum formalis ratio Adorationis consistat? Dico primo, requiri tres actus ad consistentiam adorationis prudentèr eliciendæ. Primus est actus intellectus, quo quis prudentèr iudicat, aliquem ob suam excellentiam dignum esse, vt summissione colatur, seu adoretur. Secūdus est actus voluntaris, quo quis propter dictam excellentiam vult illi summissum cultum, seu Adorationem exhibere. Tertius est ipsa actualis exhibitio submissionis, cultus, seu honoris; vt est v.g. genuflexio, discoperire caput, prosternatio, &c.

9 Dico secundò formalis Adoratio consistit in tertio illo actu. Quia illi formalitèr competit definitio adorationis *num.* 1. ex Damasceno assignata, scilicèt, quòd *est submissionis, & inferioritatis nota*; aut *animi submissi, atque humilis significatio*. ¶ Vnde infertur, quòd primus ille actus intellectus, quo quis iudicat, aliquem prudentèr esse adorādum, potiùs requiritur ad consistentiam prudentis Adorationis, quàm ad eius absolutam consistentiam. Qui enim absque tali actu submissum cultum alicui præberet, absque dubio poneret Adorationem.

¶ Infertur secundò, actum illum secundum, quo quis vult alicui submissum cultū præstare, nō esse formalem adorationē: sicuti neq; voluntas faciendi votū est votū formalitèr: neque volūtas ambulandi est formalis ambulatio, &c. ¶ Dices: genuflexio v. g. quæ est nota summisionis, & inferioritatis) indifferēs est ad Adorationem veram, & ad irrisoriam: ergo in illa nequit formalis ratio adorationis consistere. Respond.

negando antecedẽs: genuflexio enim v.g. ex natura sua est summissus cultus; quamvis verum sit, ex operantis intentione posse verti in irrisionem. Et tunc non amittet metaphysicam essentiam veræ (quantùm ad prædicata essentialia) adorationis; quamvis non fiat eo animo, & fine, quo homines frequentèr vtuntur illo signo, & ab eis fuit institutum. Sicuti sacerdos, qui cum intentione proferret verba consecrationis, verè consecraret; quamvis aliàs id faceret ob vanam gloriam, aut ex alio pravo motivo.

BIVM IV.

9 PEtes quartò an vera adoratio reperiri possit in actu interiori, secluso exteriori? Respondetur affirmativè. Itaque ad adorationem non requiritur necessariò, quòd nota submissionis, aut cultus sit corporeus; (vt est genuflexio, aperire caput, &c) sed sufficit aliquis actus interior, & spiritualis ortus, seu imperatus ex affectu, aut motivo reddendi cultum alicui debitum, & qui actus sit nota, seu signum submissionis, seu animi humiliati, & cedentis alteri ob eius excellentiam. Et ratio est, quod ex opposito sequeretur, in Angelis (& anima separata) non posse reperiri veram adorationem. Quod est contrà omnia illa scripturæ testimonia, quibus dicitur, Angelos adorare Deum. Vt *in Ps. 95. Et adorent eum omnes Angeli eius.* Et sæpe alibi. Hùc spectat illud in præfatione missæ, *Maiestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes.* Quæ verba propriè sunt accipienda, quidquid dicat Vazquez, qui illis oppressus dicit, ibi sumi adorationem impropriè, scilicèt pro quolibet virtutis exercitio: etenim hoc in gloriam Dei relatum; tamquam in vltimum finem, dicitur quidam Dei cultus, seu honor. Fallitur tamen Vazq. quia, cùm nullum sit incommodum, prædicta verba scripturæ, & Ecclesiæ propriè accipere, frustrà recurrit ad sensum improprium. Hanc cõclusionem defendit Scotus *in 3. dist. 9. §. de primo, versic. Sic ergo:* quatenùs affirmat, latriam reperiri tam in reverentia interiori, quàm in exteriori. *D. Th. 2. 2. quæst. 84. art. 2. Bellarm. Suarez, & Lorca, quos citant, & secuntur G. Hurt. disp. 20. difficul. 4 & Castillo disp. 20. quæst. 2 num 4.* Et videtur expressa sententia Damisc *4. de fide cap. 13.* dicentis: *Quia nos constamus ex natura visibili, & spirituali, Deum summum opificem duplici genere adorationis afficimus. Sicut etiam mente, & corporeis labijs psallimus.*

10 Sed Vazquez *disputat. 93. cap. 4 à num. 35.* defendit, propriam adorationem solùm in exteriori, & corporeo cultu reperiri. Pro qua sententia citat

D. Bonavent. Almainum, Maior. Marf & Duran, immo & D. Thom. Quibus a lde Valentiam, Lesium, & Ragusam citatos à G. Hurtad. ibi. Et obijcit nobis Damasc. num. 1. citatum, qui dicit, adorationem esse *submissionis notam*. Et Anastasium num. 3. citatum qui dicit esse *honoris alicuius exhibiti veluti emphasim*: ergo debet esse signum exterius. Respondetur negando consequentiam. Quia, si hi PP. loquantur de signo exteriori, tantùm definiunt adorationem exteriorem, vtpotè omnibus notam. Si autem de adoratione in cōmuni, explicandi sunt de nota, & emphasi, proùt abstrahit ab exteriori, & interiori: quia etiam interior est signū, quo denotamus, nos esse inferiores Deo, & quo ipsum colimus, & honoramus, si fiat ex motivo reddēdi ei honorem debitum: vt benè notat Gasp. Hurtado, *disp. 20. diff. 4. num. 12.*

11 Obijciunt secundò, non esse assignabilem aliquem actum interiorem, seu spiritualem, qui possit esse nota submissi animi, seu adoratio propria. Respondetur negando: actus enim intellectus, quo quis, cognita iam excellentia, & superioritate alterius, propria bona reputat parva respectu bonorum alterius, est propria adoratio, seu nota sūmissi animi: vt expressit Scotus *nu. 9.* citatus. Insuper actus voluntatis, quo quis complacet in tali recognitione est propria adoratio. Quia vterq; iste actus est signum submissionis, seu animi humiliati, & alteri cedentis non minùs quàm in corporalib⁹, & exterioribus prosternatio, genu flexio, &c. ¶ Dices: prædicta cōplacentia est actus humilitatis: ergo non est propria adoratio. Respōdetur negādo cōsequētiā: quia actus elicitus ab vna virtute potest spectare ad aliā. Sicut contritio est actus elicitus à charitate, & tamen spectat ad virtutem specialis pœnitentiæ: vt dicitur *in tract. de Pœnitentia virtute*. De quo latiùs *n. 19.* ¶ Dices 2. prædicti duo actus intellectus, & voluntatis latent homines, animas separatas, & Angelos: ergo ex natura sua nō sunt nota, seu signū submissionis. Resp negando consequentiā: vterque enim ille actus est vera submissio, seu submissionis nota cuicūque cognoscēti tales actus. Quòd autem de facto talis actus lateant homines, animas separatas, & fortè Angelos, non tollit esse ex se notā submissionis. Vt patet de genu flexione in occultissimo facta, quę est vera adoratio, & nota submissionis; etiam si aliàs ex speciali Dei dispositione lateret etiā Angelos, quos solū sic latēt secreta cordiū. Recolantur, quæ diximus in tract. de Angelis *c. 4. diff. 4. à n. 17. & rursus à n. 30.*

DVBIVM V.

12 PEtes quintò, an quilibet actus virtutis sit materia apta adorationis? Respondetur negativè Quia non quilibet actus cuiuscūque virtutis est pra-

ctica recognitio, seu protestatio superioritatis illius, qui adoratur: vt patet in actu fortitudinis v. g. castitatis, &c. Ita Scotus *in 3. dist. 9. §. & versic. De primo*, quatenus pro materia adorationis solum assignat reverentiam, *Duran. Vazquez, Lorca, & Ragusa, quos citat, & sequitur G. Hurtad. disp. 20. diff 2.*

13 Sed *Albertus, & noster Corduba oppositum deffendũt. Quod probabile reputat Suarez. Nec desunt RR. qui hoc defendant, teste prædicto Hurtad. citante prædictos AA.* Pro qua sententia obijcies: non repugnat, quemlibet actum virtutis effici ex affectu adorandi; sicut effici potest ex affectu charitatis, obedientiæ, & gratitudinis. Immo secundùm Scotum *in 3. dist. 14. quæst. 2. §. Primus articulus versic. Ad illam ergo* vniversaliter videtur verum, vnam virtutem posse vti actu alterius, et posse vnam virtutem imperare aliam: ergo quilibet actus cuiuscumque virtutis est materia apta adorationis. Respond. (admisso antecedente quod aliqui dicunt, non in doctrina Scoti non esse vniversalitèr admittẽdũ) negãdo consequentiam: solũ enim infertur, quilibet actũ cuiuscumque virtutis posse esse materiam imperatã adoratione; (quamvis minùs convenientèr aliquãdo) nõ autem quod sit materia apta: qualis solũ illa, quæ est practica recognitio superioritatis alterius; qualis solũ est duplex actus intellectus, & volũtatis *n. 11.* explicatus: vel fortè alius secutus ad illos.

DVBIVM VI.

14 PEtes 6. vtrum saltèm actus virtutum Theologicarũ sint materia aptã adorationis? Resp. negativè. Quia nullus actus harũ virtutum, est propriè, & specialitèr submissio non solùm ex natura sua; sed neque ex institutione aliqua, vt saltẽ sunt genuflexio, inclinatio capitis, &c. ergo nõ sunt propria adoratio. Antecedens patet: quia actus fidei tantũ respicit Deum, vt veracẽ, & sapientẽ, qui nec possit fallere, nec falli: actus spei, vt omnipotentẽ ad implẽdũ promissa, aut secundũ aliam rationẽ distinctã à superioritate in excellẽtia, & dignitate, vt dicemus (Deo dante) in *tra. de Spe*: & actus charitatis, vt bonum, aut saltẽ vt ens diuinum.

15 Sed noster Alensis *3. p. q. 30. memb. 1. art 3.* oppositum defendit: pro qua sententia prædictus Hurtad. etiam citat Suarez *disp. 51. sect. 2.* cui citationi non satis fido; quia Suarez ibi non loquitur de adoratione strictè sumpta. Sed, quidquid sit de hac sententia, obijcies contra nostram D. Augustinũ *in Enchiridio cap. 3.* dicentem, *Deum maximè coli fide, spe, & charitate.* Respondetur *cum D. Bonav. Vazquez, & Hurt.* non loqui de peculiari cultu Religionis; sed de cultu communi quadam ratione: quia scilicèt

prædicti actus maximè placent Deo, dicuntur cultus Dei. Sicut etiam opera misericordiæ ab eodem Augustino 10. *de Civit.cap.* 6, dicuntur vera sacrificia: quia aliquando magis placent Deo, quàm propria sacrificia, iuxta illud *Oseæ 6. misericordiam volo, & non sacrificium.* ¶ Obijciunt secundò, quòd non repugnat nos exercere virtutes Theologales ex affectu recognoscendi Deum vt nobis superiorem quoàd excellentiam, & dignitatem: ergo actus harum virtutum possunt esse materia adorationis. Respondetur negando consequens: est enim falsum de materia elicita; & verum de imperata; vt diceba-mus *num.* 13.

DVBIVM VII.

16 PEtes septimò, an adoratio sit virtus moralis? Respondetur affirmativè. Sed, quia nonnulla involuuntur in hac dubitatione, claritatis gratia dico primò: adoratio est actus honestus, & virtuosus. Quia exhibere alicui reverentiam, seu honorem sibi debitū, *est consonum rationi rectæ: inquit Scotus in 3. dist. 9. §. De primo, versic. Sic ergo.* Secundò, extat præceptum de adoratione: *Dominum Deum tuum adorabis, Deut. 6. & Matth. 4.* præceptum autem solùm datur de actu virtuoso: ergo adoratio est actus virtuosus. ¶ Dico secundò: adoratio non est virtus Theologalis. Quia *non habet pro obiecto immediato bonum increatum; sed honorem deferendum Domino increato:* inquit Scotus ibi. Secundò, quia nulla virtus Theologalis respicit Deum, vt nobis superiorem quantùm ad excellentiam, & dignitatem: vt diximus *num.* 14.

¶ Dico tertiò: adoratio *est virtus moralis*; (prout virtus moralis distinguitur à Theologali, nempè à fide, spe, & charitate. Necnon & prout distinguitur à virtute intellectuali: sic vocantur prudentia, & alij habitus residentes in intellectu) *& potissimè continetur sub iustitia, qua redditur superiori, quod sibi debetur:* inquit Scot. ibi. Pro cuius clariori intelligentia notat Lorca *disp.* 86. *nu.* 3. *ex D. Thom.* 2. 2. *quæst.* 81. 101 *&* 102. quòd tres virtutes constituuntur à Philosophis moralibus, quarum proprium est reddere honorem, & reverentiam alicui debitam; nempè religio erga Deum; pietas erga parentes, & patriam; & observantia erga superiores, & constitutos in dignitate aliqua.

17 Vnde infero, quòd, cùm adoratio sit exhibitio honoris, & reverentiæ alicui debitæ propter eius superioritatem in excellentia, & dignitate; & nihil aliud includat in sua præcisa ratione. Item, cùm per tres relatas virtutes reverentia, seu honor alicui debitus propter su-

uperioritatem in excellentia, & ignitate possit ei attribui; adoatio potest esse actus elicitus ab naquaque ex his virtutibus.

18 Infero secundò, quod adoatio non continetur sub aliqua x virtutibus Cardinalibus, quæ rdinant hominem in seipso; (vt unt fortitudo, & temperantia) ed sub virtute cardinali, quæ orlinat hominem ad alium, & dicitur iustitia. Vt per se patet. Vnde lteriùs infero, quòd illæ tres virutes sunt partes potestativæ iustitiæ; hoc est, virtutes quædam ustitiæ annexæ, quæ ad ipsam reducuntur; eoquòd ordinant ad llum; & reddunt, quod alteri debetur. Non tamen completè participant rationem iustitiæ; quia non attingunt perfectam æqualiatem. ¶ Pro clariori intelligentia notant, præcipuè Suarez *disp. 51. sect. 1.* quòd quando dicitur, adorationem comprehendi, ub iustitia, iustitia sumitur generalitèr, id est, prout sub illa comprehenduntur virtutes omnes; quæ ad alterum ordinantur, seu quæ ordinant subiectum ad aium.

19 Dices: adoratio est exhibiio submissi cultus, & honoris debiti propter superioritatem in excellentia, & dignitate, quam quis recognoscit in alio respectu sui. (vt constat ex dictis in toto hoc capite) Sed iste actus est humilitatis: ergo non iustitiæ. Probatur minor: etenim nihil magis proprium est humilitatis, quàm submittere se alteri, quem recognoscit quis esse sibi superiorem. Respondetur præcipuè *cum Lorca ibi num. 5. & Suarez ibi §. Vnde*, quòd tàm humilitas, quàm iustitia possunt exercere eumdemmet actū materialitèr sub diversis motivis, seu rationibus formalibus. Itaque idem actus submissionis factus ex motivo moderandi nimium appetitum honoris est actus humilitatis, factus autē ex motivo reddendi alicui cultum, reverētiam, seu honorem debitum propter superioritatem in excellentia, & dignitate est actus adorationis. Sicut eadem pecuniæ elargitio facta propter moderandum affectū pecuniarum est actus liberalitatis: facta autem propter sublevādam miseriam pauperis est actus misericordiæ: facta verò propter solvendum debitum est actus iustitiæ. Et sicut idem dolor, seu detestatio peccati factus propter Deū est actus charitatis, factus autem propter metum inferni v.g. non est actus charitatis, aut contritio: sed attritio. Vnde constat, quòd idemmet actus materialitèr sumptus potest esse indifferens ad exercitium diversarum virtutum. Ex qua doctrina. Respondetur in forma distinguendo minorem: idemmet actus summissionis pertinere potest ad humilitatem, cōcedo de actu materialitèr sumpto: & nego de ipso sumpto formalitèr. Ad probationem dico, proprium esse humilitatis submittere se ex motivo moderandi nimium

mium appetitum honoris: non autem ex motivo reddendi alicui reverentiam debitam ob superioritatem in dignitatè, & excellētia.

20 Contra id, quod diximus *num.* 16. & 17. nempè esse actum virtuosum, (scilicèt virtutis observantiæ) veramque adorationem reddere honorem debitum superioribus in excellentia, & dignitate, solet obijci illud *Hester.* 13. vbi Mardochæus recusavit adorare Aman: *ne honorem Dei mei* (inquit) *transferrem ad hominem.* Itē *Actor.* 10. Petrus prohibuit Cornelium volentem adorare ipsum. Insupèr *Apocalipsis* 22. Angelus amovit Ioannē à sui adoratione: Ergo adorare creaturā, seu ei exhibere cultum non est virtus. Respondetur negando consequentiam. In reddendo autem rationem discordant AA. Multi enim existimant, in his locis solùm prohiberi adorationem antonomasticè sumptam, seu quæ soli Deo debetur: vt *n.* 7. explicavimus.

¶ Hæc tamen solutio meritò displicet Lorcæ *disp.* 86. *num.* 7. quia neque Aman ambiebat adorationem Dei: cùm tantùm exhiberetur ei veneratio, tamquam secundò à Rege. Nec Cornelius, aut Ioannes exhibebat Petro, & Angelo adorationem divinam: cùm enim hoc sine peccato facere non possent, de illis non est præsumendum. Quare cum erudito Lorca ad aliam solutionem est recurrendum.

21 Et quidem, quod attinet ad Mardochæum dicimus cum Lorca, (omissa illorum sententia, qui dicunt, eum imprudentèr egisse: & quòd licitè poterat adorare Aman: sicut cœteri) quòd meritò recusavit tribuere Aman illam adorationem, non quia divina: sed quia erat nimia respectu hominis indigni: & quia cedebat in ignominiam populi Israel, vt se submitterent homini descendenti de stirpe Agar: quam ipsi iussu Dei interfecerant, & totam eius terram desolaverant. Quod autem dicit, *ne honorem Dei transferrem ad hominem*, non est (inquit Lorca) in rigore accipiendum, quasi ille verè esset honor divinus; sed quasi dicat: Nolui talem exhibere homini isti honorem; qui, quantùm ad signum exterius, Deo solet tribui: est enim eademmet genuflexio v.g. communis ad adorandum Deū, & creaturas, seu ad manifestandum submissionem internam, qua volumus adorare Deum, & creaturas. ¶ De Petro, & Angelo, Respondetur cum Lorca prohibuisse adorationem, non quia illicitam, sed quia per illam videbantur referre beneficiū acceptum in ipsos; volueruntque ipsos edocere, gratitudinem potiùs circa Deum, quàm circa ipsos esse ostendendam. Addit Lorca, quòd Petrus humilitatis causa recusavit adorationem, licèt licitam. Et quòd Angelus ideò recusavit, vt ostenderet, propter Verbi divini Incarnationem homines factos esse æquales Angelis.

is. Vnde dixit: *Vide, ne feceris, conservus enim tuus sum*; id est, non me adores, quia æquales sumus.

DVBIVM VIII.

22 PEtes octavò divisiones adorationis. Respondetur multas esse: & ideo, ne confusio generetur, singillatim esse explicandas.

Prima divisio Adorationis.

PRimò diuidunt adorationem in veram, & fictam. Vera est, quæ ex vero animo, & intentione fit. Ficta autem est, quæ solùm exteriùs exhibetur sine aliqua intentione, aut animo adorandi. Ista verò potiùs est irrisio, quàm adoratio; atque adeò neque rationem adorationis participat; cùm non sit signum veri submissi animi: neque nomen adorationis meretur. Quare meritò hæc divisio adorationis omittitur in præsenti, præcipuè à Suar. disp. 51. sect. 3.

Secunda divisio Adorationis.

SEcundò, divitur adoratio in generalem, & particularem, seu in strictam, & latam. Adoratio, seu cultus generalis, seu latè sumptus idem est ac quodlibet opus virtuosum: quod, quatenùs placet Deo, dicitur adoratio, honor, cultus, aut reuerentia ipsius: (Huc spectat illud August. 12. *de Trinitate cap.* 14. dicentis, *Christianam Religionem maximè colere Deum fide, spe, & charitate.*) sicut è contrà quodlibet peccatum, seu opus malum, quatenùs displicet Deo, dicitur illius contemptus quadam generali ratione, provt distinguitur à peccato proprij contemptus. Particularis autem, seu stricta adoratio est actus, quo quis alteri se submittit in signum superioritatis, quam in ipso recognoscit quātùm ad excellentiam, & dignitatem. Igitur cùm in hoc tractatu solùm de propria, & stricta adoratione agamus: adoratioque generalitèr sumpta talis non sit: etiam hæc divisio est omittenda cum ipso Suar.

Tertia divisio Adorationis.

25 Tertiò dividitur adoratio in sacram, & civilem. Sacra est, qua adorantur Deus, & sancti. Civilem autem vocant venerationem illam, seu cultum, quem homines, aut creaturæ sibi invicem exhibent, vel vrbanitatis causa, vel in notam, & signum humanæ, aut creatæ superioritatis civilis. Quam divisionem putant aliqui esse in præsenti omittendam: cum solùm in hoc tractatu agatur (inquiunt) de adoratione sacra. Existimo tamen, non esse omninò prætermittendā: quia, vtraque est propria adoratio: necnon & quia, etsi principaliter

ter agamus de sacra, non semel civilis adoratio erit nobis obvia; de illaque nonnulla attigimus *numero* 21.

Quarta divisio Adorationis.

26 QVartò dividitur adoratio in internam, & externam. Interna est actus interior, quo quis se submittit alteri in signum superioritatis, quam in ipso recognoscit quantùm ad excellētiam, & dignitatem. Hunc cultū fore collocandum vel in actu intellectus, quo bona propria reputat quis parva respectu alterius, cuius bona reputat magna; vel in quadam complacentia voluntatis, qua complacet de propria inferioritate, & de superioritate alterius, constat ex *num.* 11. Immò *num.* 13. in fine insinuavim⁹, posse collocari hanc internam adorationem in alio actu interiori secuto ad prædictos actus. Adorationem verò externam vocant externa signa summissionis: vt sunt corporis inclinatio, genuflexio, prostratio, percussio pectoris, apertio capitis, accensio luminarium, thurificatio, (sed non sacrificium: quia hoc est quidam actus religionis; non tamen est adoratio) quæ sunt externa signa adorationis communia adorationi, qua adoramus Deum, & qua adoramus creaturas.

(.˙.)

DVBIVM IX.

27 PEtes nonò, an sit vniuoca divisio adorationis in interiorem, & exteriorem? Respōdetur affirmativè. Quia vtraque signa participant rationem, & nomen veræ adorationis. ¶ Dices, quòd Scotus *in* 3. *dist* 9. §. *De primo vers. Si ergo* affirmat, quòd *hoc nomen latria potest æquiuocè accipi*, scilicèt pro exteriori, & interiori, & habituali: ergo sentit, esse divisionem æquivocam. Respondetur distinguendo consequens: est enim verum, si comparetur adoratio (sive interior, sive exterior) actualis cum habituali: falsum autem, si comparemus adorationem interiorem cum exteriori. Hac ratione nomen *sanum* æquiuocum est ad sanitatem formalem, aut actualem, & ad causalem. Et nomen *scientia* v. g. ad actualem, & habitualem scientiā. ¶ Dices secundò, quòd adoratio interior habet pro subiecto aliquid spirituale: (nempè animā, vel Angelum) exterior autem aliquid corporeum: vt per se patet: ergo hæc divisio est accidentis in subiecta: sicut est divisio accidentis in subiecta divisio, qua dividitur album, seu albedo in hominē, & equum. Respondetur, ita esse, si hæc divisio sic cōsideretur. Hæc tamen consideratio est valdè extrinseca, & accidentaria rationi adorationis. Nec quando fit absoluta interrogatio de qualitate divisio-

visicnis adorationis in internā, externam, ista consideratio est bis offerenda. Sicuti quando errogamus, qualis sit divisio loris v.g. in album, & nigrum? pondemus, esse vnivocam, non endendo ad subiecta colorum.

Quinta divisio Adorationis.

Quintò dividitur Adoratio in latriam, duliam, hyperduliam. (quam divisionē mittunt PP. & D. D.) Latria est, im exhibemus Deo propter imam, & increatam excellen-n, & dignitatem illius. Dulia quam exhibemus sanctis prop-illorum sanctitatem, seu ex-entiam, & dignitatem. Quòd ta excellentia, & dignitas, aut ctitas creata sit singulari ra-ie excellens, adoratio illi ref-dens hyperdulia vocatur. Quæ nia constant ex vsu Theolo-um in 3. *dist.* 9. *& ex D. Thom.* *&* 2 2. *quæst.* 103. *art.* 3. *&* 4.

Notat autem Suarez *disp.* 51. 3. ex nostris D. Bonavent. & ito, has voces *latriam, & duliā* em est de hyperdulia) non so-i actibus, sed etiam habitibus ui, quamvis frequentèr signi-nt actus. Legatur etiam Lor-*disp.* 86. *num.* 8. vbi citat *secun* *synodum Nizenam, Augusti-i, Basilium, Isidorum, Bedam,* *nasc. & Ionam Aurelianensem* *ntes vocibus latria, & dulia.*

) Vnde constat, in hac divi-ie dividi adorationem ex parte obiecti, seu rei adoratæ. Et quia alia est excellentia increata, & alia creata datur duplex adoratio; nē-pe *latria*, per quam adoramus Deum ob increatam illius excellentiam; & *dulia*, per quam adoramus creaturas ob creatam illarum excellentiam, & dignitatem. (De hyperdulia non est multùm curandum in præsenti divisione: quia solùm secundùm magis, ac minus differt *à dulia*: cùm vtraque circà creatam excellentiam versetur.)

30 Notat autem præcitatus Lorca, hæreticos nostri temporis, & cum eis Ludovicum Vives, & Laurentium Valla irridere huiusmodi nominum approprietates: quia secundùm rigorem verborum Græcorum, à quibus derivantur *latria*, & *dulia*, non est cur magis cultus creaturæ debitus vocetur *dulia*, quàm *latria*: etenim tàm *latrevo*, ex quo derivatur *latria*, quàm *dulebo*, à quo derivatur *dulia*, significant servire, seu servitutem. Hoc tamen frivolum est: (inquit præcitatus Lorca) quia ad appropriationem vocum (quidquid sit de earum origine, proprietate, & radicali significatione) sufficit communis vsus: quia voces significant ad placitū. Hæc autem vocum accommodatio fuit valdè conveniens ad tollendum æquivocationem latentem inter reverentiam & honorem debitum excellentiæ & superioritati increatæ & creatæ.

31 Vnde etiam reijcitur Martinus

tinus de Ayalà *in opusculo de Traditionibus consideratione 7. cap. 1.* cui displicet appropriatio *duliæ*: eo quòd (sibi) signi ficat servitutem, & honorem, quem servi deferunt suis Dominis;&nos non sumus servi sanctorum, sed eorum cives. Fallitur tamen: quia (quidquid sit de proprietate vocis duliæ in sua primæva impositione) vsu PP.& Scholasticorum *dulia* sumitur pro cultu & honore, qui exhibetur sanctis propter eorum superioritatem, & excellentiam. Sed audiamus Augustinum *serm. 7. ad fratres in eremo* sic fantem: *Quando duliam damus Prælatis, & sanctis, Deo verò latriam reservamus; tunc dare nos, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.*

32 Advertunt, præcipuè Lorca ibi, quòd nomen *latria* numquam alteri, quàm adorationi diviņæ tribuitur. Nomen verò *dulia* aliquando strictiùs, aliquando latiùs accipitur. In qua latitudine tribuitur etiam adorationi Dei; fortè quia sicut in Deo eminentissimè continentur omnes tituli, & & excellentiæ, propter quas tribuimus creaturis honorem & reverentiam; ita etiam virtus, quæ Deo exhibet honorem, aliquando appellatur nominibus pertinentibus ad cultum creaturarum. Et ita religio (quæ virtus solùm circa Deum versatur) solet dici excellens pietas, observantia, dulia, &c. ¶ Aliquando autem *dulia* strictissimè sumitur, scilicèt pro cultu, & honore, qui redditur gubernatoribus, & his, qui propriè vocantur Domini: ¶ Igitur in præsenti ab vtraque ista *duliæ* acceptione abstinendum est; & stare debemus communi vsui Scholasticorum *in 3. dist. 9.* qui sumunt *duliam* in communi, & propria illius acceptione, scilicèt pro virtute, quæ reverentiam, & cultum exhibet quibuscumque creaturis superioribus in excellentia, dignitate, aut sanctitate. Et consequentèr propriè sumitur, quando accipitur pro Adoratione sanctorum. Et sic accepta solet in ipsa distingui illa excellentior *dulia*, quæ vocatur *hyperdulia*.

DVBIVM X.

33 PEtes decimò, an *hyperdulia* constituat membrum essentialitèr distinctum à *dulia*? Respondetur negativè. Quia vtraque versatur circa excellentiam creaturæ, solùmque differunt penes magis, ac minùs. Quæ autem versantur circa idem, & solùm differunt penes magis, ac minùs, nequeunt essentialitèr differre: vt patet in magis, ac minùs albo, calido, dulci, &c.

DV-

DVBIVM XI.

34 PEtes vndecimò an divisio Adorationis in *latriã* & *duliam* sit vnivoca? Responde affirmativè. Quia scientia, seu cognitio, qua cognoscimus Deũ, & cognitio, qua cognoscimus creaturam, vnivocantur in ratione scientiæ, aut cognitionis. Item amor, quo amamus Deum, & amor, quo amamus proximum, vnivocantur in ratione amoris. Et demùm fides divina, & humana in ratione fidei: ergo à simili idem dicendum est in Adoratione *duliæ*, & *latriæ*. Suarez *disp. 51. sect. 3. & Lor. disp. 87. n. 12.*

35 Sed esse divisionem analogam defendit *Petrus Bergomas*, *Author tabulæ aureæ* D. *Th. verbo Adoratio: quod insinuat D. Bonavent. in 3. dist. 9. art. 2. quæst.* Et obiicit, quòd excellentia Dei, & excellentia creaturæ non conveniunt vnivocè, sed analogè in ratione excellentiæ. Respõdetur negando: quamvis enim excellentia creata ab increata deriuetur, seu participetur, & ab illa infinitè excedatur; tamen vnivocè conveniunt in ratione excellentiæ. De quo dubitari nequit in materia constituente ens vnivocum Deo, & creaturis. Quam tradit Scotus *in 1. distinct. 3. q. 2. §. Secundò non, & quæst. Ad quæstionem, & distinct. quæst. 3. §. Teneo opinionem meam; & præter Scotistas vniformes, Ochamus, Gabriel, & Greg. citati à Merinero in Logica cap. de Æquinocis disput. 2. quæst. 3. num. 16.*

36 Vazq. *autem disp. 98. num. 10. & G. Hurt. disp. 20. diff. 5.* existimant, latriam, & duliam æquivocè, & solùm in nomine convenire. Et obijciunt: non est aliqua ratio nomine Adorationis significata, quæ sit communis vtrique Adorationi ergo illa diuisio est æquivoca. Antecedens probant: quia Adoratio Dei, vt hoc nomine significata habet pro genere proximo virtutem religionis; Adoratio autem creaturæ habet pro genere proximo virtutem observantiæ. Respondetur negando antecedens: vtraque enim Adoratio convenit tanquam in genere proximo in hoc, quod est esse quẽdam cultum religiosum, quo quis alteri se submittit in signum excellẽtiæ, & superioritatis. Ad probationem dico, nihil probari contra dictam convenientiam duliæ, & latriæ, ex eo quod *latria* conveniat, tanquam in genere proximo cum alijs spectantibus ad virtutẽ religionis, & dulia cum alijs spectantibus ad virtutem observantiæ. Sicut non tollit convenientiã fidei divinæ, & humanæ in ratione fidei, quod divina conveniat cum alijs divinis, (scilicèt cum spe & charitate) in hoc, quod est esse quid infusum, & supernaturale. Et humana cum alijs habitibus naturalibus in hoc, quod est esse

quid

quid acquisitum, & naturale. Quod autem convincit probatio antecedentis est, convenientiam *latriæ*, & *duliæ* in ratione Adorationis, non esse convenientiam in aliquo genere infimo: quod nos fatemur.

Sexta divisio Adorationis.

37 Sextò dividitur adoratio in absolutam, & respectivam. Absoluta est, qua adoratur res propter excellentiam, quam in se habet. Respectiva, qua adoratur res, non propter excellentiam, quam in se habet, sed propter excellentiam, quæ est in alia persona, ad quam res, quæ respectivè adoratur, dicit aliquam habitudinem, seu coniunctionem. ¶ Nota, quod absoluta Adoratione solùm est adorabilis res intellectualis: quia ista solùm est capax excellentiæ propter se adorabilis, seu honorabilis; vt sunt virtus, sanctitas, dominium, &c. Respectiva autem Adoratione sunt adorabiles res inferioris ordinis: quia, cùm non propter se, sed propter alterius rei dignitatem, & excellentiam colantur, honor eis exhibitus non sistit in illis, sed redundat in personam, propter quam adorantur. Quæ omnia fusiùs in toto hoc tractatu explicabuntur. Interim videantur RR. præsertim Suarez *disput.* 51. *sect.* 3.

DVBIVM XII.

38 PEtes duodecimò, qualis sit divisio adorationis (latriæ v.g.) in respectivam, & absolutam? Respondetur sub distinctione. Si enim loquamur de formali ratione Adorationis, est vnivoca. Quia tàm nomen, quàm formalis ratio adorationis per tale nomen significata verè, & propriè reperitur in vtraque. ¶ Si autem loquamur de ipsis actibus in quibus, tamquam in subiectis, reperitur tàm absoluta, quàm respectiva Adoratio, est divisio accidentis in subiecta, vt quādo dividitur adoratio respectiva in actum interiorem, & exteriorem. (Idem omninò est, si divisum sit adoratio absoluta respectu actus interni, & externi.) Sicut si dividatur albedo in hominem, & equum. ¶ Si demùm divisum sit idemmet actus in adorationem absolutam, & respectivam, erit divisio subiecti in accidentia: sicut quando dividitur idemmet subiectum in album, & nigrum.

CAPVT II.

De Adoratione Deo O. M. exhibenda.

DVBIVM I.

1 PEtes primò, qua adoratione sit adorandus Deus Om-

ptimus Maximus? Respondeatur quod Adoratione latria: vt constat *ex cap. 1. præcipuè num. 28.*

Adde, lumine naturali esse notum, Deum esse Adorandum latria. Quia ratio naturalis pertingit, quod si excellentia, aut dignitas est digna Adoratione, summa dignitas, aut excellentia est digna summa Adoratione.

Dices: ergo debemus Adorare Deum Adoratione infinita. Patet: quia ratio naturalis pertingit, quod infinita excellentia est digna infinita Adoratione. Respondetur ita esse. Immò sic Adoramus affectu saltèm implicito: sumus enim parati Adorare Deum eo affectu, quem à nobis exigeret: atque adeo debemus esse in ea præparatione animi, vt, si Deus à nobis exigeret qualemcumque Adorationem nobis possibilem, illam exhiberemus. Vnde, cùm nobis sit possibilis Adoratio in affectu infinita, (v.g. ista, si mihi esset possibilis absoluta Adoratio infinita in intensione, illam redderem Deo, saltèm tempore præcepti) debemus esse in præparatione animi ad exhibendum illam, saltèm si præciperetur.

2 Nota, quòd quamvis Adoratio sit vnivoca ad Latriam, Duliam, & Hyperduliam; (*ex capit. 1. num. 34.*) & aliàs nomen vnivocum non determinet aliquod ex vniuocatis: aliquando tamen Adoratio absolutè prolata supponit pro famosiori, seu sumitur prò Latria, seu antonomasticè. (vt notabamus *cap. 1 num. 7.*) Sicut quamvis nomen *ens* sit vnivocum ad Deum, & creaturas, (secundùm nos Scotistas) aliquando sumitur antonomasticè, seu pro famosiori, nempè prò Deo. Qualitèr sumitur *Exod. 3. num. 14.* illis verbis: *Ego sum, qui sum.* Igitur Adoratio antonomasticè sumitur *1. ad Chorinth. 1.* verbis illis *Soli Deo honor, & gloria;* & *Matth. 4. Dominum Deum tuum Adorabis.* Immo quoties de Deo est sermo, Adoratio illi tribuenda erit latria: quia hæc est illi debita. Recolantur dicta *c. 1. n. 7. & num. 32.*

DVBIVM II.

3 PEtes secundò, an Latria debeatur Deo solùm ratione summæ bonitatis, aut excellentiæ sibi intrinsecæ? An ratione summi dominij, quod habet super creaturam ratione creationis; & ratione redemptionis? Respondetur problematicè. Quia pro vtraque parte extant rationes probabiles. Ita Scotus *in 3. dist. 9. §. Respondeo vers. Si autem, Fabro ibidem disp. 22. num. 9. &* 11. *& Cavellus in Scholio ad §. Quantùm ad istum.*

4 Sententiam, quæ affirmat, præcisam rationem summæ bonitatis, & excellentiæ Deo intrinsecæ, esse rationem, cur Deo exhibenda sit Adoratio latria, defendunt *noster Alensis, Gabriel,*

Suarez, Vazquez, & Ragusa, quos citat, & sequitur G. Hurtado disput. 20. *diff.* 6. & in eam multùm inclinat Scotus, teste Fabro *ibi num.* 11. Et obijcit, quod nos Adoramus creaturam, in qua videmus aliquam dignitatem, & excellentiam relucere, quamvis aliàs nobis nullum contulerit beneficium: ergo à simili præcisa ratio increatæ excellentiæ Dei erit ratio, ob quam illum Adoramus. Respondetur negando consequentiam: quia suprema Adoratio (qualis est Latria) determinat titulum, propter quem est exhibenda, scilicèt supremum dominium: quod, cum non possit consistere sine creatione, (sicut enim supposita creatione, & non anteà, creatura fuit serva; ita solùm ex tunc Deus fuit verè, & propriè Dominus; & non ratione increatæ excellentiæ immediatè, vt indicat Augustinus 5. *de Trinit. cap. vltim.*) præcisa excellentia, seu bonitas intrinseca Dei nequit esse adæquata ratio, ob quam Adorare debeamus Deum Adoratione latria. Hinc Scotus *ibi vers. Respondeo* notat, quòd *si per impossibile essent plures Dij, & vnus creasset nos, & non alter*, tunc dicendum foret secundùm hunc modum philosophandi, *quòd teneremur Adorare vnum, scilicèt creatorem, & non alium, qui non creasset nos.*

5 Dices, quòd quamvis hoc totum ita sit; tamen non apparet, quomodo redemptio conducat ad supremum dominium Dei. Probatur: etenim supposita creatione, habet Deus supremum dominium super creaturam, quamvis illam non redemisset: ergo ratione redemptionis non debetur Deo Adoratio, adhuc in sententia, quæ affirmat, summam bonitatem, & excellentiam sibi intrinsecam non esse præcisam rationem, ob quam Deo sit exhibenda Adoratio *latria*. Respondetur negando assumptum. Ad probationem negatur consequentia: quia etsi Deus titulo perfecti dominij, seu creationis debeat adorari adoratione *latria*, quamvis aliàs non redemisset nos: tamen per redemptionem acquisivit novum titulum ad tàm perfectum dominium super creaturam, vt si per impossibile cessaset supremum dominium, quod Deus habet titulo creationis, haberet æquale dominium; eo quòd principalitèr nos redemit. Nota ly *principalitèr*: nam Christus Dominus solùm meritoriè nos redemit. Legatur Scotus *in 3, dist. 9. §. Respondeo*.

6 Faciliùs adhuc defenderet hanc partem problematis, responderetque argumento *num.* 4 facto qui diceret præcisam rationem summæ bonitatis, & excellentiæ Deo intrinsecæ esse sufficientem rationem, cur Deo exhibenda sit Adoratio latria: non tamen eam esse solam, sed etiam ra-

rationem supremi domini esse sufficientem ad excitandam hanc Adorationem. Sicut de titulis supremi dominij, & redemptoris super philosophabamur. Et sicut ad producendum calorem v. g. sufficit alius calor, ignis, vel Sol, vnusquisque seorsim. Itaque propter solam summam bonitatem, & excellentiam Dei debemus eum Adorare Adoratione latria. Item propter solum supremum eius dominium, (etiam præscindendo ab eius summa bonitate, & excellentia, imò etiam si per impossibile eam non haberet) debemus ei Adorationem latriæ. Insupèr, & propter titulum redemptionis. ¶ Imò addo quamcumque rationem attributalem (sapientiam v. g.) esse sufficientem rationem ad hoc, vt propter illam solam à quacumque alia præscindendo Deum Adoremus Adoratione latria: in quacumque enim relucet summa, & increata excellentia: quæ est ratio, propterquam Deo Latria exhibetur.

7 Sententiam, quæ affirmat, Deo deberi Latriam ratione supremi dominij, quod habet super creaturam ratione creationis, & redemptionis, defendit noster Corduba *lib. 1. quæstion. 5. dub. 2.* quamvis à Scoto meo videri in duobus differat. Primò, quia putat Corduba, certum esse, Deum esse Latria Adorandum ratione supremæ excellentiæ in se. Hoc autem non est Scoto adeò certum: cùm oppositum probabiliter defendat: vt constat ex *num.* 4. Secundò, differt Corduba à Scoto, quia existimat, Deum esse Latria Adorandum propter vnam ex tribus rationibus seorsim simptam, nempè quia habet supremam excellentiam in se; quia nos creavit; & quia nos redemit.

¶ Sed quidquid sit de discrimine reperto inter Cordubam, & Scotum in explicando prædictam opinionem, pro sententia, quæ affirmat Deo deberi Latriam ratione supremi dominij, quod habet super creaturam ratione creationis, & redemptionis, obijcitur contra aliam partem problematis. Dominis creatis debetur cultus, reverentia, & adoratio ratione dominij: ergo Deo debetur suprema adoratio ratione supremi dominij. Sed seclusa creatione, & redemptione non habet Dominium etiam stante suprema illius bonitate, & excellentia: ergo Latria, seu suprema Adoratio ei debetur ratione supremi dominij, & non præcisæ excellentiæ. Respondetur distinguendo minorem: est enim vera de dominio formali, quod accrescit Deo ratione creationis, & redemptionis: falsa autē de dominio radicali, aut substantiali, quod consistit in suprema eius excellentia, & potestate creandi omnia, & redimendi creaturas rationales. Igitur Adoratio latria debetur

Ii 2 Deo

Deo ratione dominij radicalis, & substantialis; non autem ratione dominij formalis: atque adeò seclusis creatione, & redemptione actuali, esset Adorandus Adoratione *Latria*. ¶ Dices: ergo nihil debemus Deo, quia nos creavit, & redemit. Respondetur concedendo, si loquamur de Adoratione: nullam enim adorationem debemus Deo propter ista, aut alia beneficia: debemus tamen ei immensam gratitudinem, aut gratiarum actionem. Quod patet instantia benefactorum nostrorum: nulli enim propter aliquod beneficium (quātumvis immensum sit) debemus Adorationem, benè tamen gratitudinem, seu gratiarum actionem.

8 Sed *Alensis, & alij A.A. num. 4. citati opponuntur nobis in hac parte problematis*, & obijciunt: creatio, & redemptio sunt quædam beneficia Dei respectu nostri. Sed beneficia non movent ad affectum Adorationis, sed ad gratitudinem, aut gratiarum actionem: ergo Deus non est adorandus Latria, quia habet supremum dominium acquisitum per creationem, & redemptionem; sed quia habet summam bonitatem, & excellentiam. Minor probatur instantia aliorum beneficiorum, quæ nos movent non ad Adorationem, sed ad gratitudinem. ¶ Respondetur distinguendo minorem: est enim vera de alijs beneficijs, immò & de his duobus, quando memoria recoluntur: falsa autem de his duobus quatenùs fuerunt posita in rerum natura. Itaque creatio, & redemptio sunt quidem quædam grandia beneficia: cùmque alia beneficia, quando memoria recoluntur, sint incitamenta, & occasiones eliciendi actum gratitudinis, seu gratiarum actionem: ita creatio, & redemptio memoria retēta excitant gratitudinem. Tamen cùm aliàs creatio, & redemptio seorsim sumpta, vt posita in rerum natura, fuerint quid necessarium ad hoc, vt in Deo resultaret supremum dominium; propter quod ei debetur Adoratio *Latria*; fit, vt creatio, & redemptio, vt posita in rerum natura, spectent ad supremum dominium Dei: & consequentèr ad specificandum Adorationem. ¶ Vnde constat, quòd creationi, & redemptioni est quid accidentale, quòd sint beneficia creaturarum: quamvis enim hoc non haberent, spectarent ad supremum dominiū Dei.

¶ Dices: vt Deo debeatur Latria sufficit quòd habeat dominium radicale *num.* 7. explicatum: ergo creatio, & redemptio non pertinent ad dominium, propter quod Deus Adoratur Latria. Respondetur negando: quamvis enim sic sit philosophandum secundùm aliam partem problematis, non tamen secundū istam; sed est dicēdū supremū dominiū formale esse requisi-

quisitum, vt Deo debeatur latria Adoratio: sicut enim quoadvsque media creatione resultavit in Deo formale dominium, non fuit formalitèr Dominus; (Idem dico de novo titulo dominij, qui non fuit formalitèr in Deo nisi media redemptione.) ita non fuit ei debita latria quoadvsque in rerum natura poneretur creatio, nec ei fuit debita latria novo titulo, quoadvsque in rerum natura poneretur redemptio.

DVBIVM III.

9 PEtes tertiò, an in Deo vnica sit ratio, propter quam sit Adorandus Adoratione latria? Respondetur negativè. Qui enim defendat sententiam asserentem increatam excellentiam præcisè non esse rationem, propter quam Deus Adoratur latria, sed requiri, quòd quasi modificetur per formale dominium resultans ex creatione, aut redemptione; dicet consequentèr duas rationes quasi inadæquatas esse, propter quas Deus Adoratur latria, nempè increatam excellentiam illius, & dominium supremum ortum sivè ex creatione, sivè ex redemptione. ¶ In sententia autem Cordubæ (præcedenti affini, & mihi satis probabili) affirmantis tàm increatam excellentiam Dei, quàm titulum creationis, necnon & titulum redemptionis (etiam si seorsim sumantur) esse sufficientem rationem Adorandi Deum Adoratione latria; dicendum est, esse plures rationes adæquatas, propter quas Deus est Adorandus. Sed audiamus prædictum Cordubam (aptè, & merito mihi) sic loquentem. Si gratia declarationis fingantur tres Dij, quorum primus habeat suam infinitam, & supremam excellentiam in se, qui Deus nullo modo sit creator, aut redemptor. Secundus autem omnia naturalia creet, conservet, & gubernet; ita vt nullomodo sit redemptor, aut glorificator. Tertius demùm solùm sit redemptor, aut independens benefactor omnium: dico, quòd cuilibet illorum ratione suæ supremæ, & independentis excellentiæ in suo genere debetur honor, & Adoratio *latria*. Et ita nunc ipsi vnico Deo hac triplici ratione *latria* debita est. ¶ In communiori demùm sententia (quæ affirmat, Deo deberi latriam propter præcisam excellentiam, aut bonitatem quam in se habet) dicendum est, non esse vnicam, sed plures rationes, proptèr quas Deum debemus Adorare Adoratione *latria*; nempè eius sapientiam, bonitatem, iustitiam; vt *n.* 6. dicebamus.

10 Sed Alensis, & alij AA. *n.* 4. *relati* etiam opponuntur huic conclusioni præcipuè in vltimo modo Philosophandi: & obijciunt, quòd ex omnibus Dei attributis, & perfectionibus vna conflatur excellentia primi principij, aut supremi dominij: ergo

Deo propter omnia, & singula illa vnica debetur Adoratio. Respondetur negando suppositum antecedentis: in hac enim sententia latria non debetur Deo ratione dominij; sed ratione perfectionis infinitæ, & indepēdētis. Vnde si per impossibile Deꝰ esset impotens ad producendum ad extra, & ad redimendum, adhuc esset dignus Adoratione latria. ¶ Respond. 2. (admisso, quòd Deo debeatur latria; eo quòd est primum principium) negando antecedens: solùm enim ab attributo omnipotentiæ habet rationem primi principij: ab illo enim præcisè provenit, quòd Deus possit omnia creare, & conservare; atque redimere, & glorificare homines, & Angelos. Quare omnia hæc posset, etiam si aliàs per impossibile Deus non esset iustus, fidelis, &c. Sicut præcisè quia Deus habet summam authoritatem (quæ cōflatur ex summa bonitate, & summa sapientia: ab hac enim provenit, quòd Deus non possit falli; & ab illa, quòd fallere non possit) est dignus, quòd ab omnibus credatur, & debemus credere omnia, quæ nobis revelat; etiam si aliàs per impossibile supponatur impotens ad creandum, immisericors, &c. ¶ Resp. tertiò, cum Corduba (etiam admisso, quòd Deo debeatur Latria; eo quòd est primum principium) negando antecedens: etenim etsi esse primum principium sit sufficiens ratio, aut causa Adorandi Deum Adoratione Latria: non tamen est illa sola; sed præcisa summa, & independens perfectio Dei est etiam sufficiens ratio, aut causa Deum Adorādi latria. Immò addo, quodcumque attributū seorsim sumptum esse sufficientem rationem tribuendi Deo latriam; vt expendebamus *num. 6.*

11 Obijciunt secundò: perfectiones, aut attributa divina, non distinguuntur in Deo: ergo sunt vnum: ergo omnibus eis vnica debetur Adoratio. Respondetur antecedens esse verum de distinctione reali; & falsum de formali; vi cuius fit, quòd Adoratio tributa Deo sub ratione sapientis v.g. præscindat ab alia *latria* ipsi exhibita, quia immensus v.g. Sicut eadem distinctio formalis (sivè ponatur ante, sivè post operationem intellectus) sufficit; vt persona divina dicatur generare, & non essentia: vt Deus, quatenùs habens summam authoritatem, (quæ ex infinita sapientia, & bonitate præcisè consurgit) dicatur esse obiectum fidei divinæ; non autem quatenùs habet omnipotentiam, immensitatem, &c.

12 Obijciunt tertiò: ratio, sub qua Adoratio tendit in omnes, & singulas perfectiones divinas, est eadem formalis in omnibus: ergo attributa divina respectu Adorationis solùm se habent, vt obiecta materialia: ergo ab illis nequit diversificari Ado-

doratio. Probatur antecedens: quia ratio *sub qua*, seu propter, quam Deum Adoramus, est, quia habet summam, & infinitam perfectionem, & excellentiam: ergo Adoratio semper attingit Deum sub eadem ratione, sivè ipsum Adoremus, quia est omnipotens, sivè quia est immensus, &c. Respondetur, antecedens esse verum de ratione formali in communi; falsum autem de particulari. Itaque quamvis per singulas divinas perfectiones transcendat hoc, quod est includere infinitam perfectionem, & excellentiam: atque adeò ex hoc capite omnes Adorationes debeant esse eiusdem rationis: sufficit tamen, vt hæc perfectio respectu huius, vel illius attributi diversificetur, (& consequentèr Adoratio, quæ hoc, vel illud tangit attributum) quòd specialis ratio huius, vel illius attributi sit perfectio diversa, seu quòd communis illa excellentia, aut perfectio diversificetur per hanc, vel illam in particulari. Quod apertè convincit instantia coloris: quamvis enim album, & nigrum conveniant in ratione coloris: atque adeò ex hac parte visiones albi, & nigri diversificari specie non possint; tamen quia ratio coloris contracta per talem differentiam constituit album, & per talem nigrum, fit, vt ratio coloris per hanc, vel illam differentiam contracta sit potens ad diversificandum specificè visiones, quæ attingunt album, & nigrum.

DVBIVM IIII.

13 **P**Etes quartò, an sit aliqua exterior adoratio ita Deo propria, vt creaturæ communicari non possit? Respondetur negativè. Quia omnia, quæ communitèr censentur signa Adorationis (vt sunt prosternatio, genuflexio, &c.) sunt communia Deo, & creaturis; determinaturque iuxta affectum, & æstimationem Adorantis. Atque adeò frequentèr indifferentèr tribuuntur Deo, & creaturis. Ita Suarez *disp. 51. sect. 4. & Lorca disput. 87. num. 29.* ¶ Dices, quòd tunsio pectoris est signum Adorationis divinæ determinatè. Respondetur negando: (quidquid aliqui dicant) quamuis enim ad Deum tantùm tendat pectoris tunsio; non tamen est signum Adorationis, sed contritionis, seu non est signum, quòd quis adorat, sed quod conteritur de peccatis. ¶ Dices secundò, quod saltèm potest ab hominibus deputari, aut assignari aliquod signum exterius, per quod solùm Deum veneremur: ergo est aliquod signum Adorationis proprium Dei. Respondetur negando consequentiam: solùm enim sequitur, quòd ex hominũ institutione potest dari aliquod signũ

per quod Deus tantùm colatur, seu Adoretur. Hanc autem signi deputationem non esse factam, constat authoritate negativa: non enim constat, ab aliqua natione, seu gente hucusque fuisse factam. ¶ Nota tamen, quòd, facta dicta deputatione, esset idolatria, tale signum exhibere creaturæ. Quia quamvis dictum signum ex hominum institutione haberet esse proprium Deo: hoc tamen iam habebat: est autem idolatria tribuere creaturæ cultum Deo debitum. Quod convincit instantia professionis præcipuè solemnis Voluntate quippè mea emisi professionem: ista tamen supposita, sic maneo dicatus Deo, vt sacrilegium sit transgredi castitatem, paupertatem, aut obedientiam.

DVBIVM V.

14 PEtes quintò, an saltèm sacrificium sit signum Adorationis Deo proprium? Respondetur sub distinctione. Quare dico primò. Sacrificium est ita propriũ Dei, vt ei solùm possit offerri Quia sic sentiunt omnes nationes, quæ solùm Deo offerunt sacrificia. Et ideò Licaonici (*Actorum* 14.) voluerunt sacrificare Paulo, & Barnabæ; quia existimaverunt, eos esse Deos. Et ratio est, quòd sacrificium per occisionem significat, eum, in cuius honorem fit esse authorem vitæ, & mortis. Quod soli Deo potest convenire. Hùc spectat illud *Exodi* 22. *immolans, vel sacrificans nisi Domino soli eradicabitur.* Legantur Augustinus 8. *de Civit. cap.* 27. *& alibi, Theodoretus lib.* 8. *de Græcorum affectionum ratione, &* D. *Thom.* 2. 2 *quæst.* 84. *&* 85. ¶ Dices: mactatio vituli, aut hostiæ de se non significat, Deum esse authorem vitæ, & mortis: ergo sacrificium non est proprium Deo. Respondetur negando consequentiam: solùm enim infertur id, quòd notat Augustinus citatus à Suar. *disp.* 51. *in fine*, nempè quòd sacrificiũ non habet hanc significationem à natura, seu de se; sed ab impositione hominum; qua remota, non continet divinum cultum; tamen postquam imposita est, iam habet esse proprium Deo & consequentèr divino cultui opponeretur, qui creaturæ offerret mactationem vituli, aut alterius hostiæ. Hanc conclusionem tenent Lorca *disput.* 87 *num.* 29. *& Suarez disp.* 51. *sect.* 4. qui pro illa citant diversos PP. dicuntque absque dubio esse communem mentem omnium nationum.

15 Dico secundò: sacrificium non est proprium signum Adorationis. Quia non est signum submissi animi, sed protestatio, quòd Deus, cui offertur, est Dominus vitæ, & mortis: vt enim nupèr dicebamus, ad hoc significandum fuit ab hominibus primariò, seu ex primaria intentione institutum. ¶ Dices, quòd in Scriptura verbum *adoro* substituitur pro

pro verbo *sacrifico*: ergo quia sacrificium est vera, & propria Adoratio. Antecedens constat ex illis verbis *Genes. 22. Postquam adoraverimus, revertemur ad vos*; hoc est postquam sacrificaverimus: ad sacrificandum enim ibat Abraham cum Isac. Quod etiam constat ex illo *Ioan. 4. Patres nostri in monte hoc adoraverunt*. Respondetur negando consequentiam; seu causalem: substituitur enim, quia tàm sacrificium, quàm Adoratio sunt actus religionis: & ideò cùm sacrificiū participet rationem genericam Adorationis, seu genericè sit Adoratio, pro illa aliquando substituitur, non propriè, sed largè loquendo, sicut cùm fidem, spem & charitatem; imò & quodlibet opus virtuosum vocant cultum Dei; iuxta dicta *capit.* 1. *num.* 15. *&* 24.

16 Nota, quòd, cùm sacrificium soli Deo offeratur, (etsi aliàs non sit propria Adoratio) quidquid ad sacrificium pertinet, aut refertur, soli Deo primariò dicatur. Vnde colligitur cum D. Augustino citato à Suar. ibi, quòd sacerdotes, templa, delubra, altaria, & aræ per se primò soli Deo dicari possunt. Quare si templa aliquando in sanctorum honorem dedicantur, hoc non est per se primò. De quo latiùs *cap. 4. num.* 12.

DVBIVM VI.

17 PEtes sextò, an extet præceptum adorandi Deū? Respondetur affirmativè. Quia *Deuteron. 6. & Matth. 4.* dicitur *Dominium Deum tuum Adorabis*. Et rationem reddit Scotus *in 3. d.* 9. §. *& versic. De 2.* dicens: *rationabile enim est, creaturam intellectualem obligari ad aliquando recognoscendum summum Dominum*.

¶ Vnde constat, hoc præceptum esse affirmativum: & consequentèr obligare quidem semper, sed non ad semper, seu pro semper; id est, non obligamur ad incessantèr, & pro quocumque tempore eliciendum actum Adorationis. Benè tamen obligamur pro quocumque momento ad nō faciendum aliquid contra præceptum Adorationis, id est, ad non faciendum aliquam irreverentiam Deo.

18 Notat Scotus ibi, non solùm extare præceptum affirmativum adorandi Deum; sed etiam negativum non adorandi alium; (vtrique adoratione latria) vt cōstat ex præcitatis locis Deuteron. & Matth. vbi additur; *& illi soli servies*. Vbi expēdit Scotus, poni *præceptum affirmativum de Adoratione cum exclusione Adorationis, seu servitutis exhibendæ alij, sicut & ibi*, non Adorabis Deos alienos *prohibetur idolatria*. ¶ Notat etiam Scotus citatus posse præceptum istud reduci ad primum præceptum decalogi. Sic enim loquitur. *Potest poni, quod obligatio ad istum actum pertinet ad primū præceptum primæ tabulæ*, Non habebis Deos alienos, &c. *Quod præceptum*

tū non est tantùm negativum de prohibendo Adoratione exhiberi alicui, cui non convenit, sed affirmativum, vt habeatur Deus verus, & vt tāquam Dominus Adoretur. Quod benè exprimit illud Deut. 6, quod allegat Saluator Matth. 4. Dominum Deum tuum Adorabis, & illi soli servies: vbi ponitur præceptum affirmativum de Adoratione, & cum exclusione Adorationis, seu servitutis exhibendæ alij.

DVBIVM VII.

19 PEtes 7. quo tempore obligat præceptum Adorandi Deū? Scotus in 3 dist. 9. §. De 2. art. à versic. Et pro tempore respondet distinguendo tempora, & affirmat, quòd tempore legis Mosaycæ obligabat die sabbati: quia obligatio præcepti Adorandi fuit determinata per tertium illud præceptum primæ tabulæ, sabbatum sanctifica. Et addit Scotus quòd etiā fuit præceptum tempore legis naturæ, vt scilicèt aliquo determinato tēpore vacaret homo ab operibus servilibus. Et in hac sola negatione nō esset observatio præcepti, sed in actu positivo in sanctificando, id est magnificando Deum.

20 Pro tempore verò legis Evangelicæ obligat præceptū Adorandi die Dominico, & diebus festis, in quibus tenemur audire Missam: cuius auditione impletur præceptum: quia cultus Deo debitus exhiberi pro Adoratione determinatus est per præceptū audiendi Missam: vt docet Scotus ibi versic. Pro tempore. ¶ Dices: ergo qui aliqua necessitate excusatur ab auditione Missæ, non tenebitur Adorare Deum. Imò, si per totam vitā legitimè excusaretur ob infirmitatem, vel aliam causam, numquā teneretur Adorare. Resp. concedendo totum. Neque hoc est cōtra Scotum nupèr citatum. Quāvis enim oppositum videatur expressè docere: dicit enim, necesse est implere illum (actum audiendi Missam) in aliquo æquivalente; loquitur tamen de necessitate congruentiæ; non autem de stricta necessitate præcepti: vt docent Ovādus, & Angles, quos citat, & sequitur Cavellus in Scholio ad §. De 2. ¶ Instabis, explicationem istam esse contra Scotum in Versic. Pro tempore dicentem: Hoc est certum, quòd istis diebus saltèm videtur Adoratio aliqua necessariò exhibenda. Respond loqui de illis qui non habēt aliquam excusationem audiendi Missam.

CAPVT III.

De Adoratione exhibenda Christo D. quatenus homo est.

CVM Christus D. sit Deus simul & homo; consteتq; ex capite præcedēti, qua Adoratione Deus sit venerandus: constat consequentèr, quā Adorationem

tionem, aut cultum debeamus Christo D. quatenùs Deus est. Quare in hoc capite solũ restat examinandũ, quẽ cultum debeamus illi exhibere, quatenùs homo est.

DVBIVM I.

1 PEtes 1. quæ sint certa de Adoratione Christo D. Exhibẽda? Respond. primò esse certum, quòd humanitati Christi D. secũdùm se consideratæ, aut ipsi Christi D. secundùm humanitatem, aut quatenùs homo est, vel ratione humanitatis, aut secluso omni ordine ad Verbum, non est debita adoratio *latria*, neque potest licitè tali Adoratione adorari. (Sic omnes Catholici cõtra Vvicleph, qui in hoc erravit.) Quia *latria* soli Deo est debita; eique soli potest tribui per se primò; & per se secũdò, aut associativè, seu per concomitantiam naturæ, quæ ei vnitur substantialitèr; necnon, & rei, in quam ratione specialis contactus derivat suã dignitatem, & excellentiam: (qualitèr derivatur in reliquias, quæ aliqualitèr Christum Dominum attingerent) ergo, si ab humanitate secludamus vnionem, & omnem ordinem ad Verbum, latria ei exhiberi non potest. Sed de hoc redibit sermo *à numero 15.*

2 Item est certum, Christum Dominum absolutè esse Adorandum Adoratione *latria*. Quia absolutè est Deus, seu includit personam divinam. Quare omnes authoritates, quæ dicunt, Christum Dominum esse Adorandum ab omni creatura, intelligendæ sunt de Adoratione *latria* eidem debita saltèm ratione personalitatis, & naturæ divinæ. Huius generis sunt illud *ad Philipp. 2. In nomine Iesu omne genu flectatur, &c.* necnon, & illud *ad Hebræ. 1. Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, Et Adorent eum omnes Angeli ei⁹.* Et passim tàm in Scriptura, quàm in Patribus reperiuntur similes authoritates. De quo præsertim legatur Suarez *disputat. 53. sectione 1.*

3 Insupèr est certum, (si ad modum loquendi sit attendendum) quòd homo Christus dicendus est Adorari Adoratione *latria* saltèm per communicationem idiomatum. Quia propter vnitatem, quam divina, & humana natura habent in eadem personalitate Verbi, sibi adinvicem cõmunicãt sua prædicata: vt dixim⁹ *in tract. de Incarnat. cap. 5. diff. vn. à num. 1.* Quare prædicata propria naturæ divinæ dicuntur de humanitate in concreto, nempè de homine, qui est Christus; & è contra propria prædicata naturæ humanæ similitèr dicuntur de natura divina in concreto, seu de Deo. Vnde constat, testimonia *num. 2.* relata posse intelligi de Christo D. non solùm, quatenùs Deus est; sed etiam de illo, quatenꝰ ho-

homo est: (sumpto ly *quatenùs* specificativè)qua ratione per cõmunicationem idiomatum adorari dicitur eadem adoratione *latria*,qua Adoratur Deus,seu divinum Verbum, ex quo simul atque ex humana natura resultat, seu componitur Christus D.

DVBIVM II.

4 PEetes secunstò, an *latria*, qua Christum D. Adoramus, per se non solùm ad divinũ Verbum, sed etiam ad humanitatem terminetur? Respondetur affirmativè. Quia, vt aliquod totum adoretur secundùm omnes suas partes, non est necessarium, quòd in singulis eius partibus sit excellentia, aut ratio, propter quã Adoratur;sed sat est, quòd illi cõpetat secundùm aliquam sui partem:ergo vt Christus D terminet Adorationem secundùm vtramque naturam, non est necessariũ, quòd increata excellentia, aut supremum dominium(illa enim, præcise,vel saltèm illud simul secundũ diversas sentẽtias est ratio, propter quam Deus Adoratur Adoratione latria. De quo *cap.2. à num.3.*)sit in vtraque eius natura, sed sufficit, quòd sit in natura divina. Antecedens probant efficacissimæ instantiæ, seu exempla. Primum sit, quod adducit Scot9 (statim citandus) ex Damasceno *lib.3.cap.8.* de ligno ignito, quod timemus tangere propter ignem immixtum. Itaque quamvis timor verè terminetur ad lignum; seu quamvis hìc, & nunc fugiam attingere lignum ignitum; forma tamen ligni non me movet ad hunc timorem, aut fugam, sed ignis,qui immixt9 est ligno Alias instantias adducit Scotus, (statim citandus quibus communitèr vtuntur AA. in hac materia. *Aliud exemplum est*(inquit) *de toto,& partibus. Si enim revereor hominẽ propter sapientiam, vel virtutes, totum revereor, corpus, scilicèt,& animã, non animam excludendo corpus ab ipso reverito. Similitèr cùm totum hominem adoro, non honoro præcisè caput excludendo alias partes ab illa adoratione.*

5 Alia instantia, quam facit Scotus,est de Rege, & purpura: sed quia hæc est frequens in præsenti materia, vt maiori authoritate fulciatur, placuit aliquem ex Patribus, qui ipsa vtuntur, in mediũ proferre. Igitur D. Epiphanius *in Anchorato post folium 7.* Sic loquitur. *Quomodo non Adoravero? Si enim non Adoravero, non habebo vitam. Ecce igitur creaturam adorat ipsum corpus: ingens autem est vesania eorum, qui talia dicunt. Nã Rex purpura indutus ab omnibus Adoratur. Numquid purpura Adoratur, an Rex? Manifestum est, quòd Rex: coadoratur autem cùm ipso ipsa purpura, quam gestat. Vbi autem Rex hanc exuit, & in locum reposuit, non ampliùs purpura Adoratur.* Hùc etiam spectat illud Athanasij *Epist. ad Eupsichium: Caro postquam facta fuit Regis tegumentum*

mentum, cum ipso Rege eiusdem sit dignitatis, quamquam natura non fuerit talis.

6 Manet ergo ratum, & stabilitum, quòd humanitas Christi D. non debet excludi, à termino Adorationis, quamvis ipsa non sit ratio, propter quam Adoratur. Hanc conclusionem defendunt Scotus *in 3. dist. 9. §. De tertio art. Magister sent. D. Th. Albertus, Ricard. Almainus, Maior, Capreolus, & Argentina, quos citat, & sequitur Lorca disp. 88. num. 9. Idem tenent Vazquez, Suarez, & Ragusa, quos, citat, & sequitur G. Hurtad. disp. 20. diff. 11. dicens, esse sententiã Caietani, & Thomistarum Recentiorum. Quibus adde Philippũ Fabrũ, Pitigianum, & Ovandum, quos citat, & sequitur Castillo disp.* 20. *q.* 3. *num.* 2. ¶ Scio, inter AA. nostræ sententiæ non convenire in illa explicanda, & propugnanda. Nostri enim D. Bonav. Ricardus, & Thomas de Argentina dicunt, (teste Castillo *ibi num* 5) humanitatem Adorari quidem eadem Adoratione, qua Deus; de consequenti tamen. Scotus autẽ dicit, humanitatem Adorari associativè. Lorca *ibi num*. 15. dicit, quòd humanitas adoratur per se secundo. Et alij aliter locuntur. Quorum disconvenientia fortè solùm est in voce: volunt enim significare, quòd humanitas (quã multi carnem appellant) non est ratio, propter quam Adoratur Christus Dominus Adoratione latria.

7 Sed *nostri Alensis, & Corduba, & cum eis Gabriel, & Paludan' citati à Lorca disp. 88. num.* 2. oppositum nostræ conclusionis defendunt: (sive, quia existimant, humanitatem Verbi non Adorari eadẽ Adoratione latria, quâ ipsum Ver- Adoratur, sed alia, quæ etsi latria sit, non tamen est ita perfecta, teste Castillo *ibi num*. 2. sivè, quia existimant, non Adorari Adoratione latria, propriè loquendo, teste Lorca *ibi num*. 2.) & obijciunt diversas authoritates, quibus dicitur, humanitatẽ non esse Adorandam Adoratione latria. Respondetur loqui de humanitate prçcisè sumpta; non autem de ipsa prout vnita Verbo. Respondetur secundò solùm velle significare humanitatem non esse rationem præstandi Christo D. Adorationem latriam: sed solùm Adorari ipsam humanitatem hoc Adorationis genere de consequenti, associativè, aut per se secundariò: vt *num*. 6. dicebant diversimodè hanc Adorationem explicantes. ¶ Obijciunt secũdò quòd Latria soli Deo debetur, & potest tribui: ergo humanitas non Adoratur Latria. Respondetur distinguendo antecedens: solùm enim est verum de obiecto, quod primariò terminat Adorationem: falsum autem de obiecto quod terminat Adorationem de consequenti, associativè, aut per se secundariò.

8 Obijciunt tertiò, *propter quod vnumquodque est tale, & illud magis*: Sed humanitas Adoratur propter

tet Verbum Adoratione latria: ergo magis Adoratur Verbum, seu Latria, quæ respicit Verbum, est magis perfecta. Respondetur præcipuè cum Castillo *ii num.* 15. quòd illud axioma positum pro maiori sic explicāt aliqui; & *illud magis*, id est, *& illud priùs*. Et sic nullam vim habet consequentia: quia tantùm debet inferri, quòd quamvis tàm Verbum, quàm eius humanitas Adorentur eadem numero Latria: tamen hæc priùs terminatur ad Verbum, quàm ad humanitatem. Verbum enim est causa Adorationis humanitatis.

¶ Respondetur secundò quòd ly *magis* æquivalet ly *potiori ratione*. Et sic concedenda est consequentia: etenim potiori ratione adoratur Verbum Adoratione latria, quàm humanitas: cum Verbum Adoretur propter intrinsecā excellentiam, aut dominiū, quod in se habet; humanitas autē propter coniunctionem, quam cum illo habet. ¶ Respondetur tertiò concedendo axioma, vt sonat, & concedendo minorem, & consequentiam. Eadem enim numero adoratione potest duplex terminus Adorari taliter, vt vnus magis intensè, quàm alius Adoretur. Sicut vna, & eadem Illuminatione illuminatur idem spatium; & tamen pars spatij propinquior luminoso intensiùs illuminatur, quàm pars remotior. Cum ergo Verbū sit Adorabile Adoratione latria, tamquam obiectum formale, & & per se primarium: humanitas autem tamquam obiectum materiale, & per se secundarium: magis intensa erit Adoratio latria, prout terminatur ad Verbum, quàm eademmet, prout terminatur ad humanitatem.

¶ Respondetur quartò axioma esse absolutè verum: sed solùm est intelligendum, quando multiplicātur actus circa vnū, & aliud extremum: v. g. amo finem, & propter finem amo medium actu distincto, ac amavi finem: causatur enim amor medij ab amore finis. Tunc amor, quo amo medium, debet excedi (fortè non in intensione, sed in appretiabilitate, aut æstimabilitate) ab amore, quo amo finem. Quod in præsenti non tenet: etenim eadem numero Adoratione latria Adorantur Verbum, & humanitas.

9 Obijciunt quartò Angelus eodem numero actu adorat nunc Verbum, ac Adorabat ante Incarnationē. Sed tūc Adorādo Verbū, non Adorabat humanitatem: ergo modò illam nō Adorat eadem latria: ergo non Adoratur humanitas in Verbo eadem Adoratione, ac Adoratur Verbum. Respondetur negādo consequentias: solùm enim infertur, quòd illa Adoratio aliquomodo fuit variata propter novam extensionē ad humanitatem, quæ est novum obiectum materiale. Sicut Beatus videt novam creaturam sibi ostēsam per præcedentem visionem Beatam ad illam creaturam de no

Bea-

vo extensam: neque ad hoc est necessaria elicientia novi actus, vt communior fert opinio. De quo præsertim videatur Felix *tract. de Visione cap. 11. diffic. 3. num. 3.*

¶ Respondetur secundo posse negari maiorem: cessavit enim Adoratio, qua Angelus Verbum Adorabat ante Incarnationem; & loco illius alia successit non min⁹ perfecta essentialitèr & intensivè; extentivè tamen perfectior: cùm etiam attingeret aliud obiectum, (nempè humanitatem) quod illa prior non attingebat. Nec affert aliquod incommodum hæc nova successio Adorationis magis extensæ. Sicut sine incommodo cõceditur, quod ab instanti resurrectionis Christi D. successit nova vnio Verbi ad totam humanitatẽ loco duplicis vnionis, quibus in triduo mortis Verbum mansit vnitum partibus inter se separatis. Et sicut sine inconvenienti concedimus, in morte cessasse vnionem Verbi ad totã humanitatem, & successisse duas vniones, quibus mansit vnitum ad corpus, & animam.

DVBIVM III.

10 PEtes tertiò, an sit certũ certitudine fidei divinæ humanitatem Christi D. vt vnitam Verbo esse Adorandam Adoratione, qua Adoratur Verbum? Respondetur negativè. Quia multi AA. Catholici oppositũ defendunt, & ab Ecclesia toleratur. Proptèr quam rationem addo, neque hoc pertinere ad fidem, tamquam cõclusionem Theologicam evidenter deductam ex principijs fidei, seu ex diversis concilijs, quæ de hac materia loquuntur. Est enim mihi incredibile, quòd si ex prædictis concilijs ita evidentèr deduceretur nostra conclusio *nu. 4.* posita à tot gravissimis authoribus defenderetur oppositum; & ab Ecclesia toleraretur. AA. antẽ, qui oppositum defendunt, citavimus *num. 7.* quibus fortè potest addi Durand, *in 3. dist. 9. q. 2.* quatenùs affirmat, humanitatẽ Christi D. solùm per accidens Adorari Adoratione Latria.

11 Sed *cum Vvalderfi Vazquez disp. 95. cap. 2. n. 11. & Castillo disp. 20. quæst. 3. num. 16.* dicunt, de fide esse humanitatem Christi Domini esse Adorandã Adoratione, qua Adoratur Verbum: & obijciunt diversa concilia adducta à recentioribus, precipuè à Lorca *disp. 88. num. 11.* quæ contra Nestorium definiunt in Christo Domino non esse duo supposita: & addunt: *Sed vnus intelligitur Christus Iesus filius vnigenitus, qui vna Adoratione propria cum carne Adoratur.* Ita habetur *in concilio Alexandrino in Epistola ad Nestorium, quæ est decima inter Epistolas Cyrilli; necnon & in Concilio Ephesino in octavo anathematismo, & in alijs concilijs.* Respondetur præsertim cum Lorca *disput. 88. num. 17.* quòd concilia magis intendebant definire, Christum D.

non esse Adorandum tamquam duo supposita; quàm quod eius humanitas esset per se Adoranda Adoratione latria. Adde, quòd cõcilia non ita clare loquuntur, vt res ista possit haberi pro definita; præsertim cùm Ecclesia multis ab hinc annis permittat, oppositum ab authoribus Catholicis affirmari ¶ Vnde etiam reijcio præcitatum Lorcam, qui etsi nobiscum doceat, hoc non esse de fide, addit tamen pertinere ad fidem, tamquam conclusionem Theologãm evidentèr deductam ex principijs fidei, seu ex verbis cõciliorũ debitè intellectis, Hoc (inquam) etiam reijcio proptèr rationem nostræ conclusionis. Præterea si concilia locuntur contra Nestorium, (vt est certum, & fatetur Lorca) longè sunt à præsenti disputatione, in qua agimus de Adoratione exhibenda naturæ substãtilitèr vnitæ supposito Verbi, & subsistenti in eodem supposito divino; neque in Christo D. duplex suppositũ, aliud creatũ, & increatum aliud admittimus. Insupèr si necessariò humanitas in Verbo foret Adoranda eadem Adoratione latria, ac Adoratur Verbum numquam liceret illam adorare alia inferiori Adoratione: cuius oppositum docent gravissimi AA. *n.* 14 citandi, quibus subscribemus.

12 Igitur concludendum nobis est, quòd etsi nostra conclusio *num.* 4. posita meritò præferenda sit oppositæ sententiæ: hæc tamen nulla censura est inurenda. Cùm nec sit hæretica, aut erronea, sive errori proxima: vt constat ex dictis: neque temeraria; cùm ipsam defendant aliquot AA. haud infimæ notæ cum sufficiẽti fundamento: vt constat ex adductis *à num.* 7.

13 Infertur ex dictis, in quo sensu sit vera, vel falsa hæc propositio. (*Adoratio latria debetur Christo D. solùm, vel solũmodò secundùm naturam divinam*) cõstat (inquã) quòd si ly *solùm*, vel *solũmodò* excludat naturam humanam à termino, vel obiecto materiali Adorationis, propositio est falsa. Quia constat ex dictis, non solùm Adorari Verbum Adoratione latria, sed etiam (associativè, de consequenti, aut per se secundariò) humanitatem sibi vnitam. Si tamen ly *solùm*, aut *solũmodò* excludat naturam humanam à formali motivo Adorationis latriæ, seu neget in humanitate reperiri excellentiam aut rationem aliquam, vel causam, propter quam ipsa humanitas sit adoranda Adoratione latria, propositio est vera. Quia cõstat ex dictis, quòd in sola natura divina, aut in Verbo (Patre, aut Spiritu Sancto) reperitur excellẽtia, aut ratio motiva Adorationis Latriæ. Et hoc docet Scotus *in* 3. *dist.* 9. §. *De tertio art.* Nec immorandum est in declarãdo id, quod Scotus ibi docèt, scilicèt quòd ly *solumodò* potest accipi categorematicè, & etiam syncategorematicè. De quo legatur ipse Scotus *in* 1. *dist.* 21. §. *& versic. Ad quæstionem*

nem. Legantur etiam Lichetus, & Tartaretus super distinctionem illam. 9.

DVBIVM IV.

14 **P**Etes 4. an humanitas Christi D. considerata vt præcisa à Verbo possit Adorari? Respond. affirmativè. Quia quãvis præscindatur à Verbo, & ab omni dignitate ab illo sibi communicata, imò etsi fingamus dimitti à Verbo, nullamque excellentiam aut dignitatem à preterito cõtactu physico (vt sic loquar) Verbi sibi fuisse derivatam; habet tamen humanitas illa, haberetque in prædicta suppositione summã gratiam sanctificantem, & multos alios habitus, & perfectiones creatas. (Recolantur, quæ diximus *tract. de Incarnat. cap.* 7. & 8.) ergo propter horum excellẽtiam debetur ei aliqua Adoratio. Patet cõsequentia à simili aliorum sanctorum, quos Adoramus propter excellentiam gratiæ sanctificantis, & aliarum virtutum, quæ in ipsis relucent. Ita Scotus *in 3. dist.* 9. § *Ad argumenta versic. Ita etiam* & §. *Quantùm ad istum art. D. Th. Caiet. Sotus. Durand. Cansf. & Corduba citati à Lorca disp.* 89 *num.* 5. quatenùs affirmant, humanitati præcisæ à Verbo deberi Adorationem duliæ, aut hyperduliæ. Idem tenent *Henriq. Palud, & Almaynus, quos sequitur Suar. disp.* 53. *sec.* 2. § *Dico* 3. quatenùs affirmãt humanitati pręcisæ à Verbo deberi quamdã Adorationem, quę est supra duliam, & infra Latriã. Quæ autem contra hanc cõclusionem possunt obijci soluta manebunt ex dicẽdis pro toto dubio sequẽti: vnde etiam magis roboranda erit præsens conclusio.

DVBIVM V.

15 **P**Etes 5. qualis sit Adoratio debita humanitati Christi D. prout pręcisæ à Verbo consideratæ? Respondetur esse hyperduliam. Quia excellentissima, & summa gratia sanctificans Christi D. alijque habitus, & dona supernaturalia in heroico, immo, & in summo gradu in ipso reperti exigunt, vt hyperdulia Adoratione veneretur prædicta humanitas, Relantur dicta *cap.* 1. *num.* 28. & 33. Ita *Scotus & reliqui AA. numero præcedenti citati.* In duobus enim conspirant. Primum est, humanitatem à Verbo præcisam posse licitè Adorari. Aliud est, Adorationem humanitati prædictæ debitam non esse Latriam, sed illã inferiorem. Vnde planè infertur, quòd, cùm præter Latriam solùm sint dulia, & hyperdulia; vna ex his duabus est Adoranda. Imò cùm dulia, & hyperdulia solùm accidẽtalitèr differant, id est, secundùm maiorem excellentiã creatam in obiecto Adorabili repertam, fit, vt prædicta humanitas possit dici Adoranda Adoratione hyperdulia, aut dulia: vt locuntur Scotus, & multi ex Authoribus *num.* 14. citati.

KK

tati. Henricus autem & alij (etiā ibi citati) qui non determinant, aut nominant Adorationem prædictæ humanitati exhibendam nō propterea sūt nobis oppositi: eo enim quòd negāt prædictæ humanitati deberi Latriā, nobiscū cōvenire debēt, quāvis aliàs nominibus differamus. Scopus enim huius difficultatis est, vtrùm humanitas à Verbo præcisa possit Adorari Adoratione latriæ? Ad quod præcitati AA. nobiscum conveniunt in conclusione negativa.

16 Hinc reijcio Vviclephi; qui erroneè docuit, (vt ex Vvaldensi refert Lorca *disp.* 89. *num.* 2.) humanitati Christi Domini secundùm se, & Christo Domino ratione humanitatis deberi Adorationem latriæ, secluso omni ordine ad suppositum divinum. Fallitur tamen, quia in illa consideratione solùm habet humanitas excellentiam creatā à gratia sanctificante, & ab alijs habitibus creatis sibi communicatam. ¶ Reijcio etiam Vazquez qui *disp.* 95. *cap.* 4. *num.* 19. affirmat, humanitatem Christi Domini non solùm non posse Adorari Adoratione, quæ sit inferior, quàm Latria; sed addit, hoc esse expressè definitum à Concilijs, & Patribus. Tamen fallitur in vtroque vt constat ex dictis in præsenti dubio; atque *n.* 10. & 11.

17 Sed objicit Vviclephus: non minus debemus titulo redemptionis, quàm creationis. Sed Deo proptèr creationem debemus Adorationem latriæ: ergo & Christo Domino proptèr redemptionem. Sed redemit nos quatenùs homo: (subsumit) ergo hac ratione, & secluso omni respectu ad Verbum ei debemus Adorationem latriam. Respondetur distinguendo maiorem: est enim vera solùm de illo, qui nos redemit principalitèr seu vt causa principalis; (vt est Deus) non autem de illo, qui meritoriè tantùm nos redemit: qualitèr nos redemit Christus Dominus quatenùs homo involvens divinam personam Verbi. Et ideò negamus consequentiam: solùm enim infertur, quòd Christo Domino quatenùs Deus est, debemus Latriam propter redemptionem; non autem quatenùs est homo adhuc involvens personam Verbi. ¶ Respondetur secundò negando minorē subsumptā: quia Christus D. non redemit nos secundùm humanitatem præcisam à Verbo, sed quatenùs hypostaticè vnitā cùm illo. Si enim consideretur præcisa, seu separata à Verbo, nec redemit nos; nec ei debetur Latria. Hùc spectat illud Aug. *ser.* 58. *si hominē separes à Deo neque illi credo* (vtique fide infallibili) *neque illi servio.* (servitio, seu Adoratione soli Deo debita)

18 Vazquez autèm objicit cōtra nostram conclusionem diversas authoritates conciliorū, & Patrum, in quib⁹ clarè habetur, quòd in Adoratione Christi D. non est separandum Verbum à carne; (car-

(carnis nomine significant humanitatem) neque carnem à Verbo sed vtrumque simul eadem Adoratione latriæ esse Adorandum: ergo non licet Adorare humanitatem alia inferiori Adoratione. Antecedens autem probant, & confirmant PP. & concilia adducta à Recentioribus, & à nobis notata num. 11. Respond. negando consequentiam: quia PP. & concilia locuntur contra Nestorium; negantque in Christo D. esse duo supposita, aliud increatū, cui debetur Latria, & aliud creatum, cui nō possit exhiberi Latria; sed necessariò alia inferiori Adoratione Adorandum foret. Nos verò in Christo D. vnicùm suppositum fatemur subsistens in natura diuina ab æterno, & in humana ab instanti Incarnationis: dicimusque humanam naturam Christi D. considerata, vt est à parte rei, seu cum vnione ad Verbum, aut quatenùs cum ipso vnita componit Christū D. fore Adorandam eadem Adoratione, qua Adoratur Verbum. In quo sensu locuntur PP. illi, & concilia. Si tamen consideremus illam humanitatem, vt præcisam à Verbo diuino, & sine aliquo respectu, aut ordine ad illud, neque ei debetur Latria; neque ei licitè potest exhiberi. Quia, vt sic, nō est Deus adhuc associatiuè, seu per vnionem: cum ab ista præscindat; imò & ab omni dignitate sibi deriuata à Deitatis cōtactu physico. (vt si loquar)

19 Obij. 2. quòd sicut actiones sunt suppositorū, ita & passiones: ergo sēper Adoratur persona Verbi, quando Adoratur humanitas. Resp. negādo cōsequētiā: quia sicut potest concipi humanitas: & laudari præcisa à Verbo, & ab omni respectu ad illud; ita potest Adorari. Illud autē axioma (*actiones sunt suppositorum*: quod admittimus extendi ad passiones) intelligendum est denominatiuè; non autē formalitèr, seu elicitiuè. Exēplo rē declaro: quando currit Petrus, totus seu suppositum Petrus denominatur currens: tamē reuera cursus nō elicitur à suppositalitate, aut subsistentia, quæ terminat naturam Petri, & cum ipsa cōstituit vnum subsistens, suppositū, aut personam: sed cursus efficitur, elicitur, aut causatur à natura Petri, suppositalitate, seu subsistētia se habente, vt conditione, seu termino complente, aut quasi sustētāte naturam, quæ efficit cursum. Ad modum, quo substantia sustētat accidentia, (albedinem v. g.) vt operentur. Idem dico de passionibus: cùm enim Petrus v. g. flagellatur; totus Petrus, aut suppositum hoc *Petrus* flagellari dicitur: re tamen vera suppositalitas Petri nō recipit flagella, sed ei humanitas, aut corpus, suppositalitate se habente, vt cōditione, seu termino prædictæ naturæ.

20 Obij. 3. esse indecens, quòd qui habet duos titulos, Adoretur propter minùs principalem, principaliori relicto. Respond. negando: solùm enim esset in-

decens, quòd tribueretur honor debitus ratione inferioris tituli, si simul nagaretur honor debitus ratione tituli superioris. Nos verò non negamus, humanitati vnitæ deberi Latriã; sed dicimus, quod ipsi, vt præcisæ à Verbo, & ab omni ordine, seu respectu ad Verbum, & considerata sub gratia sanctificante, & alijs donis debetur hyperdulia, & licitè potest hoc cultu, & veneratione Adorari. Imò vt sic præcisæ illicitè ei exhiberetur Latria: vt *num*. 18. expendebamus.

21 Obijciunt 4. quòd nũquam apud concilia, & PP. reperitur ista Adoratio tributa humanitati: ergo non est admittenda Respond. (omisso antecedenti) negando consequentiam: parùm enim vrget argumentum ab authoritate negativa, præsertim in hac materia: cùm enim concilia, & PP. agerent contra Nestorium, qui dicebat Adorandam esse humanitatẽ alia Adoratione inferiori, quàm Latria; quia hæreticè existimabat, humanitatem in Christo esse suppositalitèr, aut personalitèr distinctam à supposito divino; quamcumque Adorationem distinctam à Latria, qua in Christo D. Adoratur Verbum, meritò præcavebãt, ne simplicibus esset occasio errãdi cũ Nestorio. Apud Catholicos autem, & doctos, qui errorem Nestorij execramus, loquimur que solùm per præcisionem intellectus, & voluntatis, hoc præcavere non est necessarium. Scimus enim, & toto corde, atque ore fatemur, humanitati, vt vnitæ debere Adorationem Latriæ, qua Verbum Adoratur. Cum quo etiam affirmamus, quod si per intellectum ipsam separemus à Verbo, & ab omni ordine, quem dicit ad illam; & ipsam consideremus ornatam summa gratia sanctificante, & alijs supernaturalibus donis; ei solùm hyperdulia est debita; potestque licitè, & meritoriè per hyperduliam Adorari. Sicuti in hac ipsa præcisione potest licitè, & meritoriè amari, & laudari, vt per se patet, & fatentur omnes; quamquam nonnulli intendant (frustra quidẽ) assignare aliquod discrimen inter Adorationem ex vna parte, & amorem, laudemque ex alia.

22 Consultò autem omisi antecedens præcedentis argumenti; (nempè quòd apud concilia, & PP. numquam reperitur ista Adoratio tributa humanitati) quia quamvis non passim id reperiatur: tamen D. Damasc, *lib*. 4. *cap*. 3. (apud D. Th. 3. *p*. *q*. 25. *artic*. 2. *ad* 1.) sic loquitur. *Caro ipsius suapte quidem natura, si subtili quadam cogitatione id, quod in oculis incurrit, ab eo, quod in animo tantùm, ac ratione intelligitur, distinxeris, haud quaquam Adoranda est* (vtique Adoratione latria) *vtpotè condita. Et tunc sic intellecta vt separatè à divino Verbo, debetur sibi Adoratio dulia, nõ cuiuscũq; sed* cu-

cuiusdam excellentioris, quam hyperduliam vocant. Immeritò ergo nobis objicit Vazquez, quòd hæc Adoratio numquam apud PP. invenitur.

DVBIVM VI.

23 PEtes 6. an possit concedi, quòd Christo D. debeatur inferior Adoratio, quā Latria? Resp. secundū quòd homo est, affirmativè. Quia sicut cōcedūtur propositiones istæ, *Christus D. secundùm humanitatem, aut secundùm, quòd homo est, est filius Dei adoptivus:* De qua latè egi *in tract. de Incarnatione per totum caput 15. Christus D. in quantùm homo, est creatura. Christus D. inquantùm homo, incæpit esse:* vt dixi *in illo tract. cap. 18. à num. 34.* ita videtur concedenda ista, *Christo D. in quantùm homo, debetur inferior Adoratio quàm Latria.* Ideò enim concedūtur prædictæ propositiones, quia humanitas, seu aliqua pars huius concreti *Christus* verè fuit ornata gratia sanctificante, seu media infusione huius gratiæ fuit Adoptata: verè fuit creata, seu genita; verè incæpit in tempore, nempè ab instanti Incarnationis: sed etiam prædictæ humanitati præcisſę à Verbo debetur alia Adoratio inferior Latria: ergo cōcedi potest, quòd Christo D. in quantùm homo est, debetur Adoratio inferior Adoratione latria. ¶ Dices: ergo etiam sine illa, aut simili restrictione, *secundùm quòd homo est* potest concedi, quòd Christo D. debetur Adoratio inferior Adoratione Latria. Patet: quia prædictę propositiones absolutè, & sine addito possunt concedi, iuxta dicta à nobis *in tractat. de Incarnatione capit. 15. num. 18. & cap. 18. num. 34. & num. 41.* Rėspond. concedē do assumptum propter eius probationem: necnon & quia absolutè, & sine addito concedimus has, & similes propositiones: *Christus est mortuus; Christus est flagellatus, &c.* eo precisè quia natura humana illius fuit mortua, & flagellata; aut quia Christus D. secundùm naturam humanam fuit mortuus & flagellatus.

DVBIVM VII.

24 PEtes 7. an Christo D. debeatur aliqua Adoratio, eo quòd redemit nos? Resp. problematicè. Quia vtrimque sunt rationes probabiles. Est enim in præsenti philosophandum, sicut *c. 2. à n. 3,* philosophabamur de Adoratione Latria Deo debita. Vbi tres retulimus, imò & probabilitèr defendimus sententias de Latria Deo exhibenda. Prima affirmabat, Deo deberi Latriam solū ratione propriæ excellentiæ, aut bonitatis sibi intrinsecæ. In qua sententia dicendum est, Christo D. deberi Adorationem hyperduliæ solùm ratione summę gratię sanctificantis, & aliorum habituum, seu donorum, quibus eius anima ornatur: non autē ratione redēp-

toris: quãvis eo quòd nos redemit (non principaliter, sed meritoriè) debeamus ei immensam gratitudinem, seu gratiarum actionem. ¶ Dices, hoc esse contra Martinum quintum, qui motus per nostros D. Bernardinum, & Ioannē Capistranum de sanctissimo nomine Iesu altè prædicantes, & publicis concertationibus propugnantes eius debitam reverētiam, decrevit, hoc sanctissimū nomen esse populis ostendendum depictum, vt ab omnibus Adoretur. Quo decreto stāte, videtur, in nulla sententia esse negādū Christo D. esse debitam Adorationē, eo quòd redemit nos: etenim Iesus significat Salvatorem, seu Redemptorem. Et prædictum nomen *Iesus* esse Adorandum propter excellētiam salvatoris, quem significat, est certum apud AA. & est, quod prædicaverunt ipsi Bernardinus, & Capistranus. Resp. in hac sententia dicendum esse, Adorari quidē sanctissimum nomen *Iesus* proptèr excellentiam Christi D. aut salvatoris, sive Redemptoris, quem significat. Tamen tunc Salvator, aut Redemptor non est sumendus formaliter, vt talis, sed materialitèr: qua ratione supponit pro Christo Domino qui est Deus, & homo summa sanctitate ornatus: ex quo capite ei debetur hyperdulia, etiam si non fuisset redemptor. Sed de Adoratione sanctissimo nomini *Iesu* debita redibit sermo cap. vltimo.

25 Secunda sententia probabilis affirmat, Deo deberi Latria non præcisè propter eius intrinsecam excellentiam, & dignitatem, sed simul propter supremum dominium, quod habet super creaturam ratione creationis, & redēptionis. In qua sentētia *dicendū est*, (inquit Scotus *in 3. dist. 9. §. & versic. Respondeo*) *quod, si per impossibile, essent plures Dij, & vnus creasset nos, & non alter, teneremur Adorare vnum, scilicet creatorem, & nō alterum, qui non creasset nos*. Idem dicendum est de illo Deo, qui nō redemisset nos, iuxta dicta *cap. 2. num. 5*. In hac ergò sententia dicēdum est, Christo D. deberi Adorationem hyperduliam, eo quòd meruit nostram redemptionem: per quam acquisivit supra nos quoddam dominij genus, propter quod ei dictam Adorationem tenemur exhibere.

26 Tertia sententia nobis probabilis affirmabat, Deo deberi Latriam triplici titulo, nempè ratione supremæ, & independentis excellentiæ, quam habet in se, & quā habet vt creator, & quam habet, vt Redemptor; taliter tamen, vt quæcumque ex his excellentijs sit sufficiens ad movendum affectū Adorationis Latriæ Deo exhibendæ. In qua sententia dicendum est in præsenti, Christo D. secundùm quòd homo est, deberi hyperduliam duplici titulo, (saltèm) nempè quia habet summam gratiam sanctificantem cum alijs donis supernaturalibus; & quia meritoriè redemit nos. ¶ Notetur ly sal-

saltem: cum enim mihi sit persuasum, Deum decrevisse creare Angelos, & homines propter merita Christi D. prævisa; existimo, etiã titulo creationis meritoriæ esse debitam Christo D. hyperduliam. Addo, faciliùs adhuc nõc esse loquendo de hominibus, qui nati sunt, postquam merita Christi D. habuerunt esse non solùm in prævisione divinã, sed etiam in reali existentia: ægrè enim negaretur mihi, quòd propter ista merita nõ creavit Deus homines Christo D. posteriores. Si ergo quia Deus nos creavit, ei debemus Latriam; & Christo D. hyperduliam, quia nos meritoriè redemit: debemus etiam illi eãdem hyperduliã, quia nos meritoriè creavit.

CAPUT IV.

De Adoratione sanctis exhibenda.

NOMINE sanctorum intelligimus in præsenti omnes, qui cum Deo in cœlo assistunt, sive sint Angeli, sive homines.

DUBIUM I.

1 PEtes 1. an sancti sint Adorandi Adoratione sacra? Resp. affirmativè. Quia in sanctis apprehendimus magnam illam excellentiam, & indecibilẽ dignitatem filiorum Dei filiatione Adoptiva, per quam perpetua gaudent, & in perpetuum felicitate gaudebunt: dignum ergo est, vt eis submissum cultum, & honorem (in quo Adoratio consistit) exhibeamus. Hanc conclusionem defendunt *omnes Catholici, tradunt multi PP. testatur Ecclesiæ perpetua traditio, & definiunt diversa concilia. De quo legantur RR. præcipuè Lorca disp. 96. à n. 4. & Vazq. disp. 97. cap. 2.*

2 Nota hanc Adorationem sanctorum esse maiorem, quã civilem cultum; & reverentiã, quã homines sibi invicem præstant. Quia Adoratio est maior, vel minor (non intensivè, sed appreciativè) ad mensuram dignitatis, & excellentiæ illius, qui Adoratur. Sed dignitas sanctorum excedit omnes alias dignitates, aut excellentias creatas: ergo Adoratio sanctorum est maior quacumque alia creata. ¶ Insupèr nota, quòd Adoratio sanctorum est inferior Adoratione Latria. Quia ista respicit infinitam excellentiam, & maiestatem Dei: & consequentèr quæcumque Adoratio creata est infinitè inferior (apretiativè) quã Latria.

3 Fuit antẽ quidã error cõmunis tàm Gentilibus, quã Mahumetanis, necnon, & Iuliano Apostatæ, diversisque Imperatoribus, vt fuerũt Leo Isauricus, & Constantinus Capronim⁹; atq; multis hæreti-

reticis, vt sunt Vvicleph, Calvinus, & Centuriatores; vt communitèr referunt, præcipuè Lorca *disp.* 96. *à num.* 1. Vniversi ergo isti omnē cultū, aut Adorationem sacram sanctis denegarunt, eis solùm cōcedentes cultum, seu Adorationem civilem. Et obijciunt aliqua testimonia scripturæ, in quibus prohibetur, Adorationē sacram tribui alteri quàm Deo. Sufficiat illud *Matth.* 4. *Dominum Deū tuū Adorabis, & illi soli servies*, id est, Deum tantùm Adorabis; vt cōmunitèr exponitur. Resp. quòd tunc Adoratio sumitur antonomasticè, nempè pro Adoratione, quæ est Dei propria, & dicitur Latria: vt notabamus *cap.* 1. *num.* 7.

¶ Obijc. 2. Concilium Laodicenum *can.* 35. cuius verba referunt *Lorca disp.* 97. *num.* 12. *& Vazquez disp:* 97. *num.* 25. quibus Adoratio videtur denegari Angelis. Resp. cum dictis Lorca, & Vazq. quòd cùm Concilium *can.* 34. admittat cultum sanctorum Martyrum, incredibile est, eumdem cultū prohibuisse sanctis Angelis; sed malis, dœmonibus, quos aliqui tunc tēporis arte magiæ invocabant, & venerabantur: vt refert Tertul. in apologetico *cap.* 23.

4. Obijciunt 3. quòd Adrianus *in Epistola ad Constantinum, & Irene* circa finē sic loquitur: *Qualis est iste Adorationis honor? Profectò non est alius, quàm is, quo nos peccatores, quoque invicem prosequimur salutātes nos inter nos per honorem & dilectionē*: ergò sentit, quòd sanctorū Adoratio non est sacra, sed civilis & politica tantùm. Resp. negando cōsequentiam: quia Adrianus satis indicavit Adorationem sanctorum esse sacram, dùm paulò ante dixit, eis exhiberi ob iustitiam, & sanctitatem. Vnde cùm comparavit Adorationē sanctorū cum civili, tātùm voluit, illam non esse Latriā, & quam soli Deo exhibemus; sed duliā, qua veneramur sanctos, non vt Deos, sed vt domesticos Dei. Sicut cùm cives nostros civili cultu honoramus, illos quidem veneramur nō vt Regē, aut Principem; sed vt concives, & fratres nostros.

5. Solutis iam hæreticorū argumentis, restat aliud, quòd à Catholicis potest effo rmari contra sanctorū sacrā Adorationē. Dicet ergo aliquis: probabile nobis est, Deo non deberi Latriam propter eius excellentiam, aut dignitatem præcisè, sed propter dominium, quòd supra nos habet ratione creationis, & redēptionis: ex dictis *c.* 2. *à n.* 3. *& c.* 3. *à n.* 24. ergo saltē secūdū hāc sententiā nulla debetur sanctis Adoratio. Patet cōsequentia: quia quāvis habeant tantā illā excellentiam, & dignitatē filiorū Dei; tamen nullum dominiū habent supra nos ratione creationis, & redēptionis. Respond. negando consequentiā: quia in nulla sentētia excludenda est excellentia, aut dignitas rei Adoratæ à motivo Adorationis: etenim prædicta excellentia est quid commune Latriæ, duliæ, & hyperduliæ. Neque de

ioc nos, aut Scotus sumus pro-
matici; sed circa hoc, vtrùm
excellentia, seu dignitas sit
cisa ratio motiva Adoratio-
latriæ? An etiam præter illam
uiratur supremum dominiū?
are vbi hæc quæstio nequit ha-
ē locum, (vt contingit in A-
atione sanctorum) absque du-
excellentia, seu dignitas rei A-
atæ erit præcisa ratio totaliter
vens ad actum Adorationis.

Ex dictis in hoc dubio, &
cipuè ex nostra conclusione
rtur, quòd quo maior, aut ex-
entior fuerit sanctus aliquis,
ellentior, aut maior Adoratio
illi debita. Quia *sicut se habet
liciter ad simpliciter, ita magis
agis*. Sed Adoratio sacra de-
ur sanctis propter sanctitatem:
propter maiorem sanctita-
maior Adoratio erit illis de-
. Vnde fit, vt B. Virgo excel-
ori Adoratione præ omnibus
tis est Adoranda: cum enim
nctitate, & merito excellat
tes, (Recolantur, quæ dixi
in tract. de Incarnat. cap. 6. dif-
n. 82. præsertim authoritas
ernardini.) etiam in adorabi-
debet omnes superare.

DVBIVM II.

Etes secundò: an gloriosis-
simæ Virgini debeatur a-
tio non solùm ratione sancti-
, sed etiam ratione mater-
is, seu quia est mater Dei?
ondetur affirmativè. Quia
ista dignitas, & excellentia est om-
ni veneratione digna. De quo le-
gatur Lorca *disp. 97. num. 8.*

¶ Sed hæretici nostri temporis conantur subtrahere Virgini cultum, & reverentiam huius tituli maternitatis asserentes, nullius momenti fuisse in ipsa hanc prærogativam, vt sibi aliqua Adoratio sacra exhibeatur. Hoc tamen hæreticum est (inquit Lorca *disp. 97. num. 9.*) propter diversa testimonia quæ *ibi num.* 8. adducit, & expendit. Primum est illud *Lucæ 1. Invenisti gratiam apud Dominum Ecce concipies, &c.* Quod est dicere, hanc gratiam, & hanc felicitatem consequuta es à Deo, vt concipias filium eius. Secundum est ibidem verbis illis: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui*; id est, propterea inter omnes es maiori benedictione insignis; quia fructum benedictum concepisti. Vltimum testimonium, quod adducit, & expendit Lorca, (dicitque clariùs ex illo colligi, esse hæreticū, negare Virgini gloriosæ Adorationem sacram propter titulum maternitatis Dei) est illud *Lucæ 1. quia fecit mihi magna, qui potens est, &c. Ecce enim ex hoc beatam me dicent, &c.* Igitur propter hæc testimonia dicit Lorca, hæreticè negari Virgini Adorationem titulo maternitatis debitam. Ego autem clariora testimonia desiderarem. Sed ab hoc supersedeamus, videamusque quid hæretici nobis obijciant.

8 Obij-

8 Obijcies primò, illud *Matt.* 12. *& Lucæ* 8. vbi Christus Dominus dicenti sibi, *Ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te alloqui*; cum aliqua specie indignationis respondit: *Qui sunt mater mea, & fratres mei? Qui fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis est, ille meus frater, soror est, & mater.* Quibus verbis ostendit nullius momenti esse apud ipsum titulum maternitatis, & consanguinitatis carnalis. ¶ Item *Lucæ* 11. mulieri dicenti, *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti*, respondit Christus Dominus. *Quinimmo, beati, qui audiunt Verbum Dei, & custodiunt illud*; quasi diceret: mater mea non est beata, quia me concepit; sed tantùm, quia audit Verbum Dei, & custodit illud. Respondetur cum Lorca *disp.* 97. *num.* 10. ex communi Patrum expositione his, aut alijs locis Christum Dominum numquam negare voluisse excellentiā Virgini debitam ob titulum maternitatis. Sed in primo loco solū docuit, non esse intermittendas occupationes spirituales, & quæ ad vtilitatem proximi, & Dei honorem sunt necessariæ propter affectus consanguineorum. Et sic sensus est: *Qui sunt mater mea, & fratres mei?* id est, præ solicitudine, & desiderio, quod habeo circa salutem animarum, & doctrinam discipulorum, paruipendo colloquium matris, & fratrum: & tunc me alloquutum matrem, & fratres appretiabo, si induxero aliquos, vt voluntatem patris mei exequantur. Non ergo voluit ostendere despectū matris, aut excellentiæ maternitatis, sed desiderium salutis proximi, & doctrinæ discipulorum. ¶ In secundo, autem loco solùm voluit docere, beatitudinem non esse consequēdam præcisè per hoc, quod est esse matrem Dei; sed alium esse modum consequendi beatitudinem omnibus communem, qui est obseruantia mandatorum Dei.

9 Dices contra conclusionē: etsi excellentissima sit dignitas maternitatis Dei; tamen ipsa maternitas non sanctificat formaliter, aut non constituit filium Dei adoptiuum, aut amicum Dei: ergo etsi titulo maternitatis debeatur Virgini gloriosæ incomparabilis cultus, & Adoratio ciuilis, aut politica, nō tamen debetur ei propter hunc titulū Adoratio Sacra. Respondetur negando consequētiam: quia etsi Dei maternitas nō sit formalis sanctitas, filiatio Dei adoptiva, aut amicitia Dei; & cōsequentèr neque proximè tribuat ius ad gloriam: tamen hoc totum habet radicalitèr, & remotè; quatenùs scilicèt maternitas Dei debito congruentiæ expostulat collationem gratiæ sanctificantis, & innumerabilium aliarum perfectionum, quæ Sacratissimam Virginem exornant. Itaque de hac excellentissima dignitate matris Dei philosophamur ad modum, quo de vnione hypostatica philosophabamur *in tract. de Incarnat.* *præ-*

fertim cap. 7. diffic. 1. à num 4. are sicut statuimus, prædictam onem formaliter non esse san- átem; benè tamen radicaliter, damentalitèr, & remotè, qua- us scilicet de congruo ei de- a erat gratia sanctificans, nec- n, & reliquæ aliæ perfectiones ernaturales, immò, & natura- , quæ illi subiecto *Christo homini* terant convenire, aut non re- gnabant. Ita dicimus in præsen- quòd etsi Dei maternitas non formalis sanctitas; est tamen ctitas radicalis, fundamentalis, remotè, quatenùs scilicet de ngruo debentur huic subiecto *tri Dei* gratia sanctificans, & re- uæ perfectiones tàm supernatu- es, quã naturales, quæ eius per- tioni non repugnant, seu expe- unt. Quare cùm hæc Dei mater- tas sit fundamentalis sanctitas, dicat ordinem ad illam, non irum, quòd afferat subiecto a- rabilitatem sacram.

DVBIVM III.

P Etes tertiò, an sit laudabi- le, & pium venerari, aut erum cultum exhibere eis, quos hac vita piè credimus esse san- os, & iustos? Respondetur affir- ativè. Quia in istis apprehendi- us dignitatem filiorum Dei. Ita pressè Augustinus *lib. 20. contra austum cap. 21.* sic fatus. *Colimus go Martyres eo cultu dilectionis, societatis, quo & in hac vita co- ntur sancti Dei homines: sed illos tantò devotiùs; quantò securiùs, post incerta omnia superata.* Nota quod, vt publicè (id est, vt persona publica, aut minister Ecclesiæ) ali- quem sanctum veneremur, neces- sarium est, vt authoritate publica Ecclesiæ de eius sanctitate nobis constet. Secùs autem: vt ipsos ve- neremur, tamquam personæ par- ticulares.

DVBIVM IIII.

11 P Etes quartò, ad quam vir- tutem spectet Adoratio sanctorum? Respondetur specta- re ad virtutem observantiæ: quia huius munus est reddere honorẽ seu reverẽtiã debitã superioribus crea- tis in aliqua dignitate constitutis; eius autẽ motivũ est prædictá ex- cellentia creata: vt notat Lorca *disp. 86. n. 3.* ex D. Th. Recolantur dicta *c. 1. à n. 16.* Hanc conclusio- nem defendunt *D. Th. Vazq. Lorca Suar. & Ragusa, quos citat, & sequi- tur G. Hurt. disp. 20. diff. 8.*

12 Sed Marsil. *in 3. quæst. 8.* do- cet, Adorationẽ sanctorũ specta- re ad virtutẽ religionis qua ado- ratur Deus. & obijcit: eisdem re- bus, seu signis exterioribus coli- mus sanctos, ac Deũ: ergo sancto- rũ Adoratio pertinet ad religionẽ, qua adoratur Deus. Antecedens constat: colimus enim sanctos de- dicatione templorũ, sacrificiorũ oblatione; sacris hymnis; & divi- nis officijs. Vnde Damasc. *lib. 4. c. 16.* sic fatur: *Quibus rebus Deus colitur, eisdem sancti eius oblec- tãtur. Quapropter Psalmis, hymnis, & cãtibus spiritualibus eos colimus.*

Res-

Respondetur distinguendo antecedens: eodem modo, nego: diverso, concedo. Vt enim notat Lorca *disp.97.num.6.* templa, & sacrificia non dicantur sanctis, sed Deo ad invocationem ipsorum, & sub eorum intercessione. Quo etiam fine hymnos, & canticos sanctis exhibemus. Hoc autem propriùs est adorare, seu venerari Deum in sanctis; quam ipsos sanctos. Nec aliud voluit Damasc. ibi. Cùm autem templa, &c. Deo dicamus, talis oblatio est quædam practica protestatio supremi dominij illius, ob quod res illa submisso animo exhibetur. ¶ Respondetur secundò negando consequentiam: quamvìs enim omnia illa forent communia Deo, & sanctis, non inferretur identitas cultus, seu reverentiæ: sicut non infertur ex genuflexione, & alijs signis externis, quibus tàm Deum, quàm sanctos, immo & homines veneramur. Et ratio est, quòd Adoratio non consistit formalitèr in illis signis externis, sed in interiori actu submissionis: qui distinguitur in Latriam, duliā, & hyperduliam penes diversas excellentias, propter quas elicitur. Signa autem exteriora dicuntur Latriæ, Duliæ, & Hyperduliæ signa penes cōnotationes ad diversos actus internos, qui sunt formalitèr Latria, Dulia, & Hyperdulia.

13 Obijcies secundo: PP. non semel cultum sanctorum vocant religiosum; præsertim August. *lib.20. contra Faustum cap.22.* ergo quia pertinet ad virtutem religionis. Respondetur negando cōsequentiam: quia tunc PP. non loquuntur strictè, sed largè. Adorationem enim sanctorum vocant cultum religiosum propter aliquam similitudinem, quæ est inter religionem, & observantiā: vtraque enim ista virtus reddit cultum debitum alteri. Differunt tamen si strictè accipiantur, quia religio respicit Deum, seu habet pro motivo Adorandi Deum, eius increatam excellentiam præcise, aut simul eius supremum dominium: observantia autem respicit sanctos, seu habet pro motivo Adorandi sanctos, eorū creatam excellentiam, seu sanctitatem. ¶ Respondetur secundò, PP. qui Adorationem sanctorum vocant religiosum cultum, sic loqui propter connexionem; quam observantia habet cum virtute religionis: frequentèr enim honoramus sanctos ex motivo religionis, seu ex motivo honorandi Deum.

14 Obijcies tertiò: ad eādem virtutē charitatis pertinet diligere Deum, & proximū: ergo & ad eādē virtutem religionis venerari Deum, & sanctos. Patet consequentia: quia ideò charitas extenditur ad proximum, quia habet proximus aliquā participationem bonitatis divinæ, & aliquā cōmunicationē in bonis supernaturalibus Dei: sed similitèr sancti habent participationē excellentiæ divinæ, & communicationem sancti-

tatis

is eius: ergo ad eamdem virtu-
n pertinet exhibere Adoratio-
m illis, & Deo. Respondetur
tinguendo antecedens: solùm
im potest esse verum de virtu-
imperante, non autem de eli-
nte. Itaque dilectio proximi in
entitate, aut substantia nequit
e elicitivè actus charitatis Dei;
t per se est manifestum) sed est
ædam amicitia, quæ dici potest
nevolentia proximi, cuius pro-
um motivum est propria enti-
, aut bonitas ipsius proximi.
ii tamen aliquando illa proxi-
dilectio imperativè oritur à
ritate Dei, (id est quando amo
ximum propter Deum, seu
pter Deum volo proximo ali-
od bonum) dicitur actus cha-
itis; non quia in sua substantia
charitas, sed quia ab illa impe-
ur. Non secùs ac martyrium,
gitio eleemosynæ, &c. dicun-
actus charitatis, quando fiunt
pter Deum. Pariformitèr ergo
præsenti dicimus, quòd Ado-
o sanctorum in sua entitate, &
stantia spectat ad virtutem ob-
vantiæ; (cuius munus est red-
e cultum, & honorem debitũ
eriori creato in aliqua dignita-
onstituto: eius autem motivũ
dicta excellentia creata) ad
utem autem religionis solùm
perativè potest spectare; eo
uòd aliquando veneramur
sanctos ex motivo, aut
voluntate hono-
rãdi Deum.

***

DVBIVM V.

15 PEtes quintò, an eadem in specie virtute veneremur sanctos, Principes, & alios in politica dignitate constitutos? Respondetur affirmativè. Quia non apparet vnde posint distingui diversæ species duliæ: ista enim est virtus inclinans ad præstãdum reverentiam, & honorem debitum creaturæ rationali: atque adeò motivum duliæ est excellentia creaturæ: quòd autem ista excellentia sit sacra, vel politica; naturalis, vel supernaturalis; (si esset dabilis substantia supernaturalis) corporea, vel incorporea, est quid materiale, aut accidentale huic virtuti. Sicut fidei divinæ, quod mysterium creditum sit naturale, aut supernaturale: & sicut accidit virtuti pœnitentiæ, quòd peccatum de quo habeo displicentiã, sit proprium, vel alienum. Quod & in multis alijs virtutibus reperitur. Secundò probatur à simili latriæ, in qua non distinguimus diversas species, quamvis possimus Adorare Deum quia bonum; quia infinitum; quia sapientem; &c. non alia ratione, nisi quia motivum latriæ est excellẽtia increata, & independens: quod autem illa sit sapientia, bonitas, &c. est quid materiale, & accidẽtarium. Ita D. *Bonav. Almaynus, Gab. & Albertus, quos citat Vazquez disp.* 98. *num.* 2. & videtur expressa sententia D. Thom. 2. 2. *quæst.* 102. *art.*

art. 2. ad 3. quatenùs asserit, ad observantiam pertinere exhibere honorem omnibus hominib⁹ studiosis citra Deum.

16 Sed Vazquez *disp.98.num. 5. & Lorca disp.97. num.4.* affirmant, diversum esse habitum virtutis observantiæ, seu duliæ, qui inclinat ad venerandum Principes, & alios in politica dignitate constitutos ab habitu virtutis, qui inclinat ad venerandum Sanctos, & Sacerdotes. (addit Vazquez) Putant enim, virtutem observantiæ, seu duliæ non esse vnam in specie athoma, atque adeò posse continere sub se alium, & alium habitum specificè distinctum. Immo Paludanus apud præcitatum Vazquez tres species hyperduliæ distinguit. Prima est, qua adoratur Christi Domini humanitas. Secunda adoratur Virgo. Tertia adorantur cœteri Sancti.

¶ Igitur contra nostram conclusionem obijcitur, quòd excellentia sanctorum est sacra, & supernaturalis; excellentia autem Principum, & aliorum in dignitate constitutorum est naturalis, & civilis: ergo diversificant specificè actus, qui tendunt in illas. Respondetur negando consequentiam: quia naturale, & supernaturale nō differunt specificè: seu non distinguunt naturam alicuius in se; sed tãtùm in comparatione ad agens: vt loquitur Scotus *in 4. dist. 10. quæst. 8. §. Respondeo vers. Contra rationem. Et quodlib. 17. §. & vers. De tertio principali* affirmat Scotus, quòd actus dilectionis naturalis, & meritoriæ sunt eiusdem speciei. Itaque quòd excellentia creata sit naturalis, aut supernaturalis, est quid accidentale Adorationi: vt *num. 15.* probavimus.

17 Obijcies secundò: actus quo Adoratur sanctus specie differt ab Adoratione Regis: ergo & habitus, à quibus illi actus procedunt. Respondetur negando antecedens propter nupèr dicta.

¶ Respondetur secundò (omisso antecedenti) negando consequentiam: quia nullum est inconveniens, quòd ab eodem habitu virtutis specificè infimæ proveniant actus specificè diversi. Sicuti neque quod ab eadem specificè & numericè potentia proveniant actus numericè, & specificè diversi. Immò posse eumdem in specie habitum esse principium activum specificè diversorum, satis colligitur ex Scoto *in 3.d. 31. §. Respondeo vers. Quantùm ad istud* vbi docet, posse concedi, quòd actus spei in via, & tentionis in patria eliciūtur ab eodem habitu. Recolantur quæ diximus *in tract. de Incarnat. c.7. diff.4. à num. 22.* Videatur etiam Scotus *in 4. distinct. 49. q 5. § Ad quæstionem à vers. Sed est hic,* vbi vt probabilius defendit fruitionem beatam, & non beatam specificè differre. Et tamen eliciūtur ab eodem habitu charitatis, qui fuit in via, & perseverat in patria: quia *charitas numquam excidit 1. ad Chorinth. 13.*

DV-

DVBIVM VI.

8 PEtes sextò, an sint eiusdem speciei Adorationes, [illegible]ibus veneramur Sanctos existentes in cœlo; & Adorationes, [illegible]ibus veneramur Sanctos existentes in terra, de quorum sanctitate prudentem habemus existimationem. Respondetur affirmativè. Quia infertur ex dictis: dictis enim *num.* 10. constat, [qu]òd vtrobique est idem motiv[u]m, nempe excellentia creata, [qu]a creatura constituitur amica [De]i, & per adoptionem filia: quòd [aut]em talis creatura existat in [cœ]lo, aut in terra est quid acci[den]tale: vt constat ex dictis *à n.* 15.

DVBIVM VII.

9 PEtes septimò, an iniuriam, seu contumeliam [infe]rre personis sanctis sit propriũ [sacr]ilegium? Respondetur negativè. Quia hoc non opponitur [virt]uti Religionis, sed observan[tiæ], ad quam spectat venerari San[ctos]: vt constat ex dictis *à num.*

¶ Dices esse proprium sa[cril]egium, quando contumeliam [infe]rens intẽdit iniuriare Sanctos, [tanq]uam templa Dei, aut imagines [eius]. Respondetur ita esse; sed nõ [ad r]em: nos enim solùm loqui[mur] de contumelia facta Sanctis [cons]ideratis sub sanctitate, & ex[celle]ntia creata: sicut enim veneratio, aut Adoratio illis exhibita sub ista consideratione non spectat ad virtutem religionis, sed observantiæ: sic contumelia, seu iniuria illis illata non est proprium sacrilegium. Si tamen considerentur sub aliqua increata, & independenti excellentia respectiva, seu cum aliquo speciali respectu ad Deum; sicut veneratio illis præstita spectat ad virtutem religionis; ita est proprium sacrilegium illos iniuriare sub hac consideratione. Hoc tamen nõ est quid speciale in Sanctis; sed commune omnibus creaturis: quare quamcumque minimam (formicãv g.) conviciari, quatenùs in ea resplendet aliquod attributum Dei, est proprium sacrilegium.

20 Ex nostra conclusione infertur, iniuriam factam Sanctorũ imaginibus non esse proprium sacrilegium. Quia sicut imagini non debetur maior reverentia, quàm prototypo: ita illius iniuria nõ est deterioris naturæ, quàm iniuria, quæ fieret eius prototypo. Loquor tamen de imagine considerata, quatenùs est imago alicuius Sãcti. Si enim præter hoc habeat, quòd specialitèr sit dicata cultui divino in templo, vel alteri: tunc irreverentia illi facta esset contra virtutem religionis: & consequẽtèr proprium sacrilegium.

DVBIVM VIII.

21 PEtes 8. an irreverentia facta Sacerdotibus, & aliis ministris cultus divini (idem est

de

de religiosis, & monialibus) verè sit contra virtutem religionis? & consequentèr proprium sacrilegium? Respondetur affirmativè. Quia quatenus sunt specialiter deputati, aut consecrati divino cultui respiciunt Deum, seu habent excellentiam respectiuam; vi cuius eis debetur reverentia respectiva non minùs, quàm vasis, & vestibus sacris: ergo sicut impossibile est, quòd irreverentèr tractētur vasa sacra sine peccato sacrilegij vere opposito virtuti religionis: sic impossibile est, quod Sacerdotes, &c. irreverentèr tractentur sine peccato sacrilegij propriè opposito virtuti religionis. Ita Lorca *disp. 98. num. 14.*

22 Sed Vazquez *disp. 93. cap. 4. num. 14. & G. Hurt. disp. 20. diff. 8. num. 28.* dicunt, talem irreverentiam esse quidem sacrilegium, & in confessione explicandum; non tamen opponi virtuti religionis, sed observantiæ: & objiciunt, quod Sacerdotibus, &c. eoquòd arationales sint, debetur cultus absolutus: secùs autem sacris vestibus, & vasis: ergo solis istis; non autem illis potest tribui Adoratio latria: & consequentèr irreverentia facta sacris vasis, & vestibus erit proprium sacrilegium, & cōtra virtutem religionis; secùs autem, quæ fit Sacerdotibus, &c. Respondetur negando consequētias: quia ex eo quòd res aliqua habeat vnum titulum, vt ametur, obsecretur, colatur, adoretur, &c. non infertur, quòd excludat alium: atque adeò bene stat, quòd Sacerdotes, &c. eoquod rationales sint, sint adorabiles Adoratione absoluta (scilicèt duliæ) propter propriam sanctitatem, & excellentiam; & quod, aliàs eo quòd sint specialitèr Deo dicati, & consecrati, sint etiam Adorabiles Adoratione latriæ propter excellētiam respectivam, qua respiciunt Deum, non secùs ac vasa sacra, ornamenta, &c. Ac per consequens, quòd irreverentia Sacerdotibus facta sit contra virtutem religionis, & proprium sacrilegium: sicut est irreverentia facta contra vasa sacra, &c. Non enim est in illis minor consecratio, quàm in istis. Nec minus obligat præceptum negativum non faciendi irreverentiam rebus sacris respectu illorum, quàm respectu istarum.

23 Dices: ergo iniuriosè tractare homines, immò & quamcumque rem mundi erit contra virtutem religionis, & sacrilegiū strictè. Patet, quia in quacumque re existit Deus, & in quacumque possumus eum Adorare: ergo iniuriando illam possumus etiam Deum iniuriare. Respondetur concedendo totum, si id directè, aut expresse intendatur ab operāte: vt *num. 19.* notabamus: negando tamen si indirectè, aut implicitè id intendat operans: vt contingit in communi modo operandi. ¶ Instabis: vt irreverentia facta Sacerdotibus, & alijs personis, aut rebus Deo dicatis sit proprium

oprium sacrilegium, non requitur, quòd directè intēdatur, illos honorare tamquam personas ecialitèr Deo dicatas; (quòd alii vocant voluntarium, seu voū directè, formalitèr aut expres) sed sufficere præcognoscere, le personas specialitèr dicatas eo; & aliàs quod extat præcepm non irreuerendi res speciali r dicatas Deo: (quod vocant vo ntarium, seu volitum indirectè, terpretativè, aut virtualitèr) er similitèr, vt sit sacrilegiū proium iniuriosè tractare quamcūie rem mundi, nō requiritur dictè id velle, sed sufficit indirea volitio. Respondetur negando nsequentiam, seu paritatem. isparitas autem est, quòd non tat præceptum affirmativum æcipiens, quòd rebus omnibus verentiam, exhibeamus; aut netivum prohibens, (ex motivo ligionis, seu quia res omnes mū sunt specialitèr Deo dicatæ) ne iuriosè tractētur. Benè autē ext vtrumque præceptum (vtrūie inquam, si est duplex, aut, si est iicum, explicatum vtroque mo) erga res specialitèr Deo dicas. Vnde fit, quòd quamvis Deus ssit Adorari in homine, aut quamque alia re, si consideretur vt istens ibi; (& tunc homo satis usivè, & impropriè dicitur Arari) necnon, & iniuriari: hoc men non contingit in commumodo operandi.

24 Sic respondent communitèr ad instantiam num. præcedentisfactam. Ego autem alitèr respōderē consequentèr ad id, quod dixi *in tract. de Peccatis* (typis nō mādato) *disp*. 4 *q*. 5. *à num*. 6. Vbi statui, & mihi efficacitèr probavi, quòd aliquid esse directè, aut indirectè volitum nequit ipsum specificè diversificare: & consequētèr, quòd scandalum, (de quo ibi erat sermo) aut quęcumque alia circūstantia generalis (ingratitudinis, inobedientiæ, &c.) eamdem malitiam refundebant in actum, sive essent directè, sivè indirectè volitæ. Vnde inferebam, in quocumq; peccato propriam ingratitudinē inobedientiam, &c. reperiri non solùm quando ingratitudo v. g. est directè volita, (vt fatentur omnes) sed etiam quando est volita indirectè. Rationem ibi à me allatam accipite: Ratio voluntarij, aut voliti non est, quæ refundit speciem bonitatis, aut malitiæ in actum; sed quædam conditio generalitèr petita, vt obiectū suam specificam bonitatem, vel malitiam communicet actui: ergo ab obiectis sumenda est specifica bonitas, vel malitia. Quòd autem ratio ista voluntarij, aut voliti sit directa, aut indirecta, magis, aut minùs perfecta, parùm refert, dummodo indirecta ratio voluntarij sit sufficiens, vt obiectum communicet actui suam obiectivam bonitatem, vel malitiam: (vt fatētur omnes sufficere in tractatu de Bonitate, & malitia, saltèm loquen-

do de malitia.) Igitur cùm ingratitudo, inobedientia, & cæteræ circumstantiæ generales in peccato repertæ deriventur ab obiectis & non à ratione voluntarij, aut voliti, eodemmodo reperiuntur, sivè ingratitudo v. g. sit directè, sivè indirectè volita : & consequenter, si est speciale peccatum ingratitudinis, quando ista est directè volita, (vt fatentur omnes) erit etiam speciale in gratitudinis peccatum quando est volita indirectè. ¶ Notabamus autem *ibi num.* 7. quòd si Scotus, aut aliquis probatus Author alicubi affirmet, scandalum, aut aliquam circumstantiam generalem indirectè volitam, aut voluntariā non distinguì à peccato (furti v. g.) à quo oritur, seu in quo includitur, explicandi sunt de indistinctione in ordine ad confessionem. Itaque intendunt, illam circumstantiam generalem, quæ explicato peccato, cum quo coniungitur, innotescit confessori, (v. g. circumstantia ingratitudinis ad divina beneficia) non esse necessarium in confessione explicare.

25 Ex qua doctrina responderem ad instantiam *num.* 23. allatam, proprium sacrilegium reperiri in contumelia facta homini, aut cuicumque rei mundi, non solùm quando directè volo iniuriare creaturam, vt est templum Dei, aut ipsum Deum existentem in creatura; (vt fatentur omnes) sed etiam quando id volo indirectè, nempè quoties præcognoscendo ibi esse Deum, illi creaturæ infero contumeliam, aut iniuriam. AA. autem, qui absolutè negant, tunc ibi sacrilegium proprium reperiri, explicarem ego de sacrilegio in confessione explicando. Cùm enim innotescat confessori, semel explicato peccato contumeliæ, aut iniuriæ proximo illatæ, quòd simul iniuriatus est Deus in creatura existens, id confessori explicare non est necessarium.

¶ Nec hoc opponitur conclusioni *num.* 19. allatæ: ibi enim negamus, contumeliam personis sanctis factam esse proprium sacrilegium, proùt iniuria terminatur ad creatam sanctitatem illius personæ: cum quo benè stat, simul ibi reperiri proprium sacrilegium, prout iniuria illa terminatur ad increatam sanctitatem Dei existentis in creatura iniuriata. Sicut nullus ex Authoribus nostræ sententiæ negabit, in contumelia facta creaturæ reperiri proprium, & improprium sacrilegium, si expressè intenderem simul iniuriare, & creaturam, necnon & Deum ibi existentem, aut ipsam creaturam, vt est templum Dei ibi existentis. Omnes (inquam) AA. nostræ sententiæ faterentur, hanc contumeliam esse sacrilegium improprium, proùt terminatur ad sanctitatem creatam hominis,

, vel Angeli; proprium aū... sacrilegium, prout termi... tur ad increatam sanctitatem ...i ibi existentis.

CAPVT V.

De Adoratione Imaginum.

EST res ista, & antiquis, & nostris temporibus tùm cum hæreticis, ...m inter Catholicos valdè con...oversa. De quo videantur PP. AA. quos citant RR. præci...è Vazquez *disput.* 102. *per to...m*, *Lorca ante disputationem* 90. *Suarez disp.* 54. *sect.* 1. vbi e...m referunt innumeros, qui cir... hoc errarunt.

DVBIVM I.

PEtes primò, an vsus sacrarum imaginum sit licitus? ...spondetur, quòd conclusio af...mativa est definita in diversis ...ncilijs, & novissimè in Triden...o *in* 2. *decreto fidei*; vbi reno...itur aliorum conciliorum de ...aginibus decreta, & definitur ...um vsus. Constatque ex per...uo vsu, & traditione Ecclesiæ. ...quo præsertim legantur Sua... *disput.* 54. *sect.* 1. *& Lorca* ...90. *num.* 8. Et ratio est, quòd vsus iste nullum affert incommodum: (vt patebit ex solutione sophismatum, quæ efformant hæretici) immo affert multas vtilitates. Primo enim erudiunt rudem, & indoctam plebem, quæ Scripturas percipere nequit. Vnde D. Greg. *lib.* 9. *Epist.* 9. dixit: *Quòd legentibus Scriptura, hoc præstat idiotis pictura.* Secundò excitant memoriam gestorum Christi D. & Sanctorum: & consequenter excitant virtuosos affectus in videntibus, scilicèt gratitudinis, amoris, compassionis, admirationis, imitationis, &c. Est quippè pictura quidam efficacissimus orator, qui mutus exteriùs, interiùs efficacissimè loquitur, & vtilissimè movet. Quare dicebat Nissenus *orat. de Sancto Theodoro*, *solet etiam figura tacens in pariete loqui, maximèque prodesse.* In quibus vtilitatibus communiter æquiparantur picturæ, scriptura, & verba. Et quamvis efficaciùs moveant verba, quàm scriptura, & pictura; ista tamen citiùs, quàm verba, & Scriptura movet, iuxta illud Horatij vulgare: *Segniùs irritant animos immissa per aures, Quàm quæ sunt oculis obiecta.* Quare sicut fatuum esset reprehendere vsum Scripturarum, & verborum; & dicere esse invtilem; ita & reprehendere imaginum vsum, atque esse in vtilem asseverare. ¶ Denique erectio imaginum, vel statuæ fuit semper, & vbique signum

honoris exemplarium, testibus experientia, & Arist. 1. *Reth. cap.* 4. *necnon, & Plinio lib.* 35. *cap.* 2. Vnde omnes nationes, quarum historiæ ad nos pervenerunt, quasi dictante natura, hoc signo honoris vsæ sunt erigendo statuas, vel imagines in signum excellentiæ, & honoris præstantissimorum virorũ, atque in eorum virtutis testimonium: vt eruditè observant Lorca *disp.* 90. *num.* 10. *& Suar. disp.* 54. *sect.* 1.

2 Vnde infertur contra Calvinum, imagines esse admittendas non solùm vt repræsentent aliquã historiam; sed etiam ad personas repræsentandum. Item infertur contra ipsum, imagines non solũ in alijs locis, sed etiam in templo esse collocandas. Insuper infertur artem faciendi imagines ex se non esse illicitam, sed esse ad minus indifferentem, & licitam; & eius vsum posse esse moraliter bonum, si in bonum finem referatur ab operante.

3 Sed contra vsum sacrarum imaginum multa congerunt hæretici. Igitur obijciunt primo, quod in antiqua lege erat prohibitus imaginum vsus: ergo est illicitus. Antecedens constat ex illo *Exodi* 20. *Nõ facies tibi sculptibile, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, neque in terra deorsum, neque in aquis sub terra.* Respondetur (omisso antecedẽti: de quo est lõga inter AA. concertatio: & pro vtraque parte sunt multi, & graves. Præsertim legatur G. Hurt. *disp.* 20. *diff.* 14.) negando consequentiam: solum enim infertur, in illa lege fuisse illicitum propter illud præceptum; (quod fuit cæremoniale: sicut prohibitio carniũ, & multa alia præcepta; & sic cessavit: sicut cessaverunt cætera omnia præcepta cæremonialia) Fuit autẽ tunc prohibitus vsus imaginum propter propensionem illius populi ad idolatriam. ¶ Sed contra: iuxta communem expositionem Patrum omnia præcepta decalogi (præter tertium quoad determinationem de observatione Sabbati) sunt moralia, & non cæremonialia: vt docent August. *lib.* 19. *contra Faustum c.* 18. *Irinæus, & Clemens Alex.* Sed prædictis verbis Exodi continetur primum præceptum decalogi: ergo non cessavit: ergo nunc etiam est prohibitus vsus imaginum. Resp. *cum Suar. disput.* 54. *sect.* 2. *& cum Catharino* ibi contineri duplex præceptum, vel vnum mixtũ, quod partim est morale, (nempè quatenùs idolatriam prohibet; explicaturq; verbis illis: *non facies tibi sculptile*) & partim cœremoniale. (scilicet quatenùs simpliciter prohibet omnẽ vsum imaginum: explicaturque illis verbis; *neque omnem similitudinem, &c.*) Extat ergo etiam nunc illud præceptum (si est vnicum) quoad partem moralitatis: cessavit autem cum alijs cæremonialibus quoad partẽ cæremonialitatis

4 Obi. 2. vsus imaginum est ab ethnicis accept⁹. qui solebãt honorare viros ægregios imaginum & sta-

tuarum dedicatione: (vt testan- r Eusebius *lib. 7. historiæ c. 14. &* icephorus *lib. 6. cap. 16*) ergo re- jâdus est ab Ecclesia iuxta illud: *olite communicare Gentilium o- ibus: ad Ephes. 5.* Respondetur gando consequentiam: nullum ippè est incommodum com- unicare cum Gentilibus in his, æ ab ipsis rectè, & rationabili- r fiunt. Aliàs non liceret carmi- componere, & canere in ho- rem Dei: quia ethnici id facie- nt. Apostolus autem solùm ve- communicare operibus Gen- ium infructuosis, aut pernicio- : qualis non est vsus imaginum, amvis ab illis dimanaverit.

5 Obijcies tertiò: multa incō- nientia, quæ sequi videntur ex aginum vsu. Respondetur nul- m sequi per se: sed, si aliquod se- itur, est per accidens; & facilè test ei occurri Magistrorum do- rina Catholica: qua quia care- nt ethnici prolapsi sunt in ali- os errores immeritò ab ipsis ductos ex vsu imaginum.

Sed specialitèr videamus di- a inconvenientia. Primum est, nquiunt) quòd vsus imaginum æbet occasionem idolatriæ; æ ortum habuit ex hoc, quòd ectæ sunt statuæ, & imagines ali- orum, qui propter adulationē, t insipientiam cœperunt coli, haberi pro Dijs. Secundum in- onveniens est, (inquiunt) quòd nagines præbent occasionē ig- orantibus, & pusillis, existimandi as vivere, dum humana forma figurantur exteriùs; necnō & exi- stimandi illas habere aliquid numi- nis. Tertium incommodum est, (inquiunt) quòd imagines viden- tur provocatrices lasciviæ, & in- centivæ voluptatum. Et propte- reà videntur damnatæ, & prohibi- tæ *in 6. synod. can. 108.* Sed hæc pa- rùm vrgent; si enim aliquod istorū sequitur, est per accidēs, (vt nupèr dicebamus) & facilè potest ei oc- curri Magistrorum doctrina. Pro- ter, quòd Trident. *sess. 25. in 2. de- creto* præcipit, vt populus instrua- tur, admittendas esse imagines; sed non ita vt credatur, in eis esse aliquam virtutem; neque in eis ha- beatur aliqua fiducia: neque ab eis aliquid petatur. Vnde patet solu- tio primi, & secūdi incommodi. Ad tertium respondetur, falsum esse, quòd imagines debita mode- ratione factæ, & debita propor- tione correspondentes prototy- pis provocent ad lasciviam, vel aliquem turpem affectum. Nec canon ille citatus hoc asserit; sed prohibet illas imagines, quæ, quia sunt turpitèr pictę, possunt hoc fa- cere. Idem habetur in Trid. loco citato, vbi præcipitur, vt in pictu- ra imaginū vitetur omnis super- stitio, & omnis lascivia, &c.

6 Obi. quartò duo Concilia Constantinopolitana, in quibus v- sus imaginum est damnatus. Alte- rum celebratum est tēpore Leo- nis tertij. Alterum tempore Con- stantini Copronimi: quod ab alijs vocatur secunda synodus Ephesi- na. Resp. cum Lorca *disp. 90. in fin.*

non fuisse vera concilia, sed conciliabula hæreticorum Iconomachorum, qui vsum imaginum abolebant. Idem docet, & eruditè probat Vazquez *disp.* 106. *cap.* 7. *num.* 45. de posteriori concilio. De priori autem affirmat *nu.* 40. nullum tale fuisse concilium.

7 Obijcies quintò, Conciliũ Francfordiense, in quo dicunt, damnatam fuisse septimam synodum generalem; (quæ fuit Nicæna secũda) atque adeò cultus imaginum videtur omninò sublatus. Respondetur, magnam esse inter AA. controversiam de facto Concilij Francfordiensis circa damnationem septimæ synodi. ¶ Alanus Copus *dialogo* 4. *c.* 18. *&* 19. *& Sanderus cum alijs* affirmãt, cõcilium Francfordiense non damnasse Concilium Nicænum secundum, aut septimam synodum generalem; sed conciliabulum Constantinopolitanum habitum sub Constantino Copronimo. Quod suadetur ex eo quód gravissimi AA. antiqui concilium ibi damnatum vocant pseudosynodum, id est, falsam synodum: quòd de septima synodo nullus Catholicus auderet affirmare. Appellatur autem pseudosynodus *à Chronico sub anno* 792. *& à Regino in lib.* 2. *sub anno* 794. ¶ Genebrard. *in suo Chronico sub anno* 794. duo affirmat. Primum est, Concilium Francfordiense non errasse in materia aliqua fidei definienda. Secundùm est condemnasse septimam synodum, (quæ est Nicæna secunda) eo quòd eius definitionem non satis perspectã haberet. Putavit enim, in ea ita definitum fuisse pro cultu imaginum, vt eas, sicut Deum Adorare oporteret. ¶ Vazq. *disp.* 107. *c.* 6. *num.* 27. duo affirmat. Primum est, concilium Francfordense contra septimam synodum nihil decrevisse contra veram imaginum Adorationem. Secundum est, quòd si aliquid contra septimã synodũ definivit, illius definitio nullius momenti esse debet: quia tale Concilium nec fuit generale, neque in ea parte approbatum: & propterea nullum remansit vestigium, aut charta illius decreti. Sicut mansit de decretis adoptionis, & servitutis Christi D. contra Elipandum, & Felicem: de quibus articulis authoritas huius concilij debet esse indubitata. Quia quamvis non fuerit generale, congregatum fuit authoritate Adriani primi, & præsidentibus eius legatis; & demùm prædicti articuli de Adoptione, & servitute fuerunt cõfirmati ab ipso Pontifice authoritate peculiari, & epistola ad hoc conscripta. ¶ Constat ergo, argumentum ex authoritate concilij Francfordiensis deductum secundùm nullum horum authorũ nos vrgere. Quia si solùm damnavit conciliabolum Iconomachorum, nihil omninò nobis nocet. Sicuti neque nocet, si deceptũ relatu aliorum damnavit septimam synodum generalem: eo quòd putavit in septima synodo fuisse statutũ, imaginibus Sanctorũ exhibẽdã esse

ffe Adorationem latriæ. Quilibet
nim Catholicus, & multò potiori
ratione Côcil. debebat hoc deliriū
amnare. Nec est inconveniens,
oncilium Francfordiēse errasse,
ut fuisse deceptum in rebus, quæ
on spectant ad fidem, sed ad facti
ontingentiā: vt in simili notaba-
us *in tract. de Incarn. c. 15. n. 16.*
26. ¶ Demùm non vrget argu-
entum ex concilio Francfordiē-
deductum, si non damnavit sep-
nā synodum. Aut dicendo cum
azq. quòd si illam damnavit, hoc
it renuentibus legatis Pontifi-
; neque ab illo fuit approbatum
c decretum.

8 Obi. 6. (præsertim Caluin.)
tos, quos appellant Carolinos,
quibus Iconomachia pro viri-
s defenditur, & omnis imaginū
tus damnatur. Igitur cōminis-
ntur hæretici, libros istos fuisse
mpositos à Christianissimo Frā-
rum Imperatore Carolo Mag-
Vnde inferunt, ipsum adversa-
ultui imaginum. Dicunt etiam
etici, pro ipsis stare Ludovicū
m Caroli Magni filium, & qui
ccessit, eo quòd suo tempore
udius Taurinensis imagines è
plis deleverit. Tamen quā in-
s mendaciū sit, libros Caroli-
cōpositos fuisse à Carolo Mag
vel ipso approbante, aut fuisse
ius Authoris, cui fides debeat
beri, optimè demonstrant *Sā-
s lib. 2. de Imag. c. 5. & Alanus
s dialog. 4. c. 19.* Qui sanè fatē-
ibrū esse antiquū & cōpositū
re Caroli Magni. Sufficiat no-
ro refutatione huius menda-
cij, quòd extat cōfutatio huius li-
bri ab Adriano primo ad Carolum
Magnum conscripta: quæ habe-
tur in tomis conciliorū post 7. sy-
nodū. Vnde Vazq. *disp. 106. c. 6.
n. 37.* benè côiecturat, librū illum
missum fuisse ab ipso Carolo ad A-
drianū, non alia causa, nisi, vt ipse
Pōtifex sua Authoritate diffiniret,
quid esset tenēdū. Difficile enim
creditu videtur, ignorasse Carolū,
7. synodū (cōtra quā liber ille cō-
criptus fuit) paulò anteà fuisse ap-
probatā ab ipso Adriano. Quòd si
Carolus contenderet, vi illius libri
damnandam fore 7. synodū, non
illū mitteret ad Pōtificē, à quo ap-
probatā fuisse noverat. ¶ Nec cre-
dibile est pro hæreticis stare Ludo
vicū Piū: siquidē Ionas Aurelian.
author illius tēporis in Epist. ad Ca
rolū Calvū filiū Ludovici Pij (quæ
habetur *ante lib. ipsius 5. to. Biblio-
thecæ Patrū* laudat Ludovicū Piū
Imperatorē; quia imitatus paren-
tis sui Caroli Magni fidē, & pieta-
tē librū illius Claudi Taurinienſis
dānaverit. De quibus omnibus le-
gatur præcitatus Vazq. vbi meri-
tò cōcludit, quòd si contra nos ha
beremus prædictos Carolū Mag-
nū, & Ludovicū Piū, parùm nobis
obesset: quia rerum fidei vltimum
iudicium non ad Imperatores, sed
ad summum Pontificem spectat.

9 Obi. 7. vsum imaginū esse dā-
natū à Concilio Eliberitano. *can.
36.* dicente: *Placuit, picturas in Ec-
clesia esse nō debere, ne quod colitur,
aut Adoratur, in parietibus depin-
gatur.* Resp. cum Alano, Sandero,
& Francisco Turriano, (quos citat

Vazq. *disp.* 105. *cap.* 2. *n.* 10.) id fecisse conciliũ propter circũstantiã temporis: imminẽte enim Gẽtiliũ persecutione, (quam tunc perseverasse constat ex multis canonibus illius concilij) oportebat, Christianos imagines secum deferre, & occultare, ne in templo depictæ ludibrio Gentium manerent expositæ. Propterea ergo prohibet conciliũ, ne in templo depingantur: non autem prohibuit, quòd in tabulis, aut in alia materia portabili, & occultabili pingerentur. Videatur præcitatus Vazquez, qui defendit authoritatem huius concilij contra Canum *lib* 5. *de locis cap.* 4. *post conclusionem* 6. dicentem, concilium Eliberitanum ea parte, qua erravit, semper à Catholicis explosum fuisse. Immo aliqui RR. existimant, concilium istud in hoc, & alijs rebus errasse. Nec mirum (inquiunt) quia fuit Provinciale: neque approbatum.

10 Obi. 8. quòd D. Epiphanius *in Epist. ad Ioan. Episcop. Hierosolymitanum circa finem* narrat, se rupisse quãdam imaginem pictã. Vnde inferunt hæretici, Epiphanium malè sensisse de imaginum vsu. Verba Epiphanij sunt. *Pergebam ad sanctum locum, &c. Inveni velum pendens in foribus cuiusdam Ecclesiæ tinctum, atque depictum, & habens imaginem quasi Christi, vel Sancti cuiusdam. (non enim memini cuius imago fuerit) Cùm ergo hoc vidissem in Ecclesia Christi contra authoritatem Scripturarum hominis pendere imaginem, scidi illud; & magis dedi consilium custodibus eiusdem loci, vt pauperem mortuum eo obvolverent, &c.* Respondetur *cum Mariano Victorino, quem citat, & sequitur Vazquez disp.* 105. *cap.* 4. imaginem illam non fuisse alicuius Sancti, sed profani cuiusdam hominis, qui honoris causa ante fores templi pendebat: vt colligitur ex verbis, quæ statim addit Epiphanius: *Illi contra murmurantes dixerunt: si scindere voluerat, iustũ erat, vt aliud daret velum, & mutaret.* Quo audito, Epiphanius promisit, se aliud daturum, & cessavit murmuratio. Vnde planè infertur, murmurationem non fuisse excitatam contra D. Epiph. eo quòd malè sentiret de vsu imaginum: alioqui populus ille Anablatanus (cuius Prælatus non erat Epiphanius) non sic facilè quietaretur, audita promissione de redditu alterius veli in satisfactionem cæsi, sed potiùs illi obijceret crimen Iconomachiæ. Plura hùc spectantia lege apud Vazq. ibi; *vbi n.* 30. notat, dixisse Epiphanium, esse cõtra Scripturam imaginem in foribus templi collocare; non quia in nova lege hoc sit expressũ in Scriptura: sed quia contra Scripturam est profanum hominem iudicare sanctum, eique aut suæ imagini pluſquam civilem cultum adhibere. Cùm ergo ea, quæ in templo suspenduntur honoris gratia, tamquam sancta ibi debeant constitui, vt sacer honor sibi deferatur, videtur contra doctrinam Sacræ Scripturæ esse profani ho-

hominis imaginem in templo ponere, quæ animos ingredientium moveat, vt sibi sacrum cultum, & Adorationem exhibeant.

11 Quæ solutio sufficiens quidem mihi est: placuit tamen monere, longam esse, & antiquam inter AA. concertationem pro prædictis verbis Epiphanij admittendis, & explicandis. Etenim septima synodus, & Damascenus *orat.* 2. ad ea testimonia Epiphanij, quæ ibi citabantur, & in quibus videbatur, imagines de medio tollere, (inter quæ tamen prædictum testimonium non referebatur) respondent, non esse ipsius, sed suppositititia. Hanc enim fuisse consuetudinem hæreticorum constat ex septima synodo. Vbi Macharius confessus est, se mutasse testimonia Sanctorum ad suam opinionē adstruendam: vt notat Fabro *in* 3. *disp.* 22. *num.* 55. Qua etiam ratione fortè posset responderi ad dictum testimonium: & sic respōdent *Alanus Copus dialogo* 5. *cap.* 21. *Fabro ibi, & Sanderus lib.* 2. *de Imaginibus cap.* 4. Imò Alanus ibi id existimat, non solùm de præcitatis Verbis, sed etiam de tota illa Epistola, quā dicit neque esse Epiphanij; neque à D. Hieronymo translata.

12 Sixtus Senensis *lib.* 5. *Bibliotecæ Patrum annotatione* 247. respondet, eodem pactò posse excusari Epiphanium, quo ipsum excusat Damascenus *orat.* 1. *de Imaginibus* in aliquibus testimonijs, quæ *in septima synodo tract.* 6. referebātur nomine ipsius Epiphanij: (inter quæ tamen istud non referebatur) quibus videbatur condēnare vsum imaginum, Excusat ergo eum Damascenus dicens, quod eadem ratione imagines prohibuit, qua D. Athanasius Sanctorū reliquias in vrnis collocari vetuit; & humi condendas esse decrevit; vt scilicèt absurdum Ægiptiorum morem abrogaret, qui mortuos suos non sub terra condebant, sed in lectulis, & scimpodijs collocabant. Sic ergo Epiphanius vt abusum aliquem reprimeret, imagines de medio auferri curavit.

¶ Hæc tamen solutio non placet Vazquez *ibi num.* 21. qui de hac re videndus est *per totum cap.* 3. *disp.* 105. Vbi contra hæreticos benè notat *num.* 18. infirmum nimis esse argumentum illorum cōtra Imaginū vsum, quamvis certū esset, fuisse ab Epiphanio reprobatum. Vt enim dicit Aristoteles 1. *Ethic. cap.* 7. *vna hirundo non facit ver.* Quod ex ipso sumpserunt *Damascenus orat.* 1. *de Imaginibus post num.* 20. *& Nazianzenus orat.* 39. Quid ergo, si Epiphanius imagines impugnet? Numquid vniversalis Ecclesiæ consuetudo, & definitio corruet? Minimè sanè: etenim dicebat Damascenus ibi: *Vna hirundo non facit ver: neque enim vnius Doctoris authoritas totius Ecclesiæ consuetudinem debet evertere.*

DV-

DVBIVM II.

13 PEtes secundò, an licitus imaginum vsus possit extendi ad imagines Dei, & Angelorum? Respond. affirmativè. Quia ex diversis locis scripturæ constat, Deum, & Angelos apparuisse sub forma, corporea: ergo licitum erit illos sic depingere, vt tali pictura recordemur talium apparitionum, atque beneficiorum inde in homines resultantium, vt sic excitemur ad Dei, & Angelorum reverentiam, gratitudinem, & amorem. Ita *Alanus, Sanderus, Bellarminus, Vualdensis, Caietano, Medina, Catharinus, Vazquez, & Ragusa, quos citat, & sequitur G. Hurt. disp. 20. diff. 15. Quibus adde Lorcam disp. 101. n. 5.*

14 Sed oppositum defendunt *(præter multos hæreticos) Abulensis super caput. 4. Deuter. quæst. 5. Durand. in 3. distint. 9. quæst. 24. Henricus quodl. 10. quæst. 26. & Martinus de Ayala de traditionibus 3. part. de Imaginibus cap. de eorum antiquitate. Quod tradidisse videntur Laurentius lib. divinarum institutionum cap. 2. & Augustinus de fide, & symbolo cap. 7. atque Damascen. 4. de fide cap. 17.* Et obijciunt aliqua Scripturæ loca, in quibus videntur prohibitæ huiusmodi imagines. Sufficiat nobis illud *Deuter. 4. Non vidistis aliquam similitudinem in die, qua locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis, ne fortè decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi, vel fæminæ &c.* Respondetur solùm pro illo tempore, aut lege prohibitam esse imaginem Dei, sicut & cuiuscumque alterius Sancti, ne ille populus idolatriæ acclivis sumeret occasionem idolatrandi: vt latiùs diximus *num. 3.* ¶ Contra, quòd etiam in novo testamento videtur prohibitus vsus imaginū. *Actor.* enim 17. *num.* 30. dicebat Paulus Atheniensibus: *Genus ergo cùm simus Dei, non debemus æstimare auro, vel argumento, aut lapidi artis sculpturæ, aut cogitationis hominum divinum esse simile.* Quod dixit reprehendens statuam, quæ erat dicata Ignoto Deo; & propterea Athenienses vocat superstitiosos. Respondetur negando assumptum: quia vt notat Lorca *disp.* 101. *num.* 15. expressè loquitur de imaginibus Deorum Gentilium: quas affirmat nihil habere divinitatis; quia omnes, quos repræsentabant fuerunt homines mortales.

15 Obijc. 2. Deus, & Angeli sunt puri spirit⁹, id est, nihil corporeitatis involventes: ergo falsa est imago, quæ ipsos, vt corporeos repræsentat. Respondetur negando consequentiam, imago enim non repræsentat rem, vt est in se, seu à parte rei; sed vt concipitur ab hominibus, quibus repræsentat, & quibus apparuit aliquādo. Et hoc est, quòd dicunt multi, imagines non repræsentare Deum

Deum, & Angelos vnivocè, sed analogicè, aut metaphoricè: hoc est, non repræsentant Deum, aut Angelos, vt sunt in se, sed vt à nobis concipiuntur, aut sicut sunt in apprehensione hominum; qui cũ corporei simus, res alitèr apprehendere non possumus. Vt autem imago sit vera, sufficit conformitas cum apprehẽsione cognoscentis: sicut, vt loquutio mea sit vera, non requiritur conformitas verborum cum re prolata, prout est in se, seu à parte rei, sed prout est in apprehensione loquentis. Quare nemo de mendacio damnatur, si dicat id, quod existimat esse verum, quamvis aliàs falsum dicat, aut in apprehensione fallatur.

16 Obijciunt 3. Imagines Dei sunt inutiles: ergo non sunt admittendæ. Antecedens probatur: quia vtilitas imaginis est repræsentare rem absentem: sed Deus semper, & vbique est præsens: ergo imago Dei inutilitèr admittitur. Respõdetur negando antecedens: ad probationem dico, Deum esse quidem semper, & vbique præsentem realitèr, aut secundùm suam substantiam: nõ autem intentionalitèr, seu movendo nostras potentias ad cognitionem, & amorem sui. Et ideò ad has motiones imagines sunt vtilissimæ. ¶ Obijciunt 4. vsus imaginum Dei, & Angelorum est periculosus: ergo non debet admitti. Antecedens probatur: præbet enim occasionem existimandi Deum, & Angelos esse corporeos. Resp. negando antecedens. Ad probationem dico, facile posse instrui fideles, per imagines non repræsentari Deum, & Angelos vnivocè, sed analogicè, seu per quamdam proportionem ad apprehensionem nostram, quæ cùm corporea sit, res spirituales apprehendit modo corporeo.

17 Ex dictis à fortiori infertur, licitum esse imaginem Christi D. depingere. Quod ostendit traditio, & vsus Ecclesiæ à tempore ipsiusmet Christi D. ipse enim Redemptor misit ad Agabarum Regem Edessæ suam imaginem. Item est notissima historia de effigie, quam ipsemet Salvator, dũ crucem vaiulans progrediebatur moriturus impressit in linteo à pia fœmina oblato, quam effigiẽ Hispanè Veronicam vocamus à prædicta fœmina sumpto nomine. Et *in 7. Synodo act* 4. recipitur historia de imagine crucifixi, quam fecit Nicodemus. ¶ Vnde reijcio quosdam Iconomachos, qui non improbaverunt generalitèr vsum imaginum, dixeruntque specialitèr, non esse licitum imaginem Christi D. pingere: quia non potest figurari divinitas, sed tantùm humanitas illius. Falluntur tamen, quia sufficit, quòd figuretur humanitas, quam credimus subsistere personalitate Verbi, in qua divina, & humana natura copulantur. ¶ Demũ observat G. Hurtado *disp. 20. diff. 16. cum Vazquez quòd etsi in 5. Synodo can. 82. recepto à 7. Synodo act* 4 iu-

iusta aliqua de causa prohibitum fuerit, imaginem Christi D. sub forma agni depingi: iam tamen vsus Ecclesiæ fert, vt sub forma agni depingatur Christus D.

DVBIVM III.

18 PEtes tertiò, an imagines sacræ sint Adorandæ? Respondetur affirmativè. Quia ita convenit inter Catholicos: cōstatque ex perpetua traditione, & vsu Ecclesiæ. Imò hæc veritas definita est in diversis concilijs *In 7. enim act.* 4. vocantur hypocritæ, qui admittunt imagines, & eis negant Adorationem. Et *act.* 7. expresse dicitur, imagines recipiendas esse non solùm ad memoriam & instructionem, sed etiam, ad Adorationem. Et demùm *in Trid. sess.* 25. *in decreto de reliquijs, & veneratione Sanctorū* definita est hæc veritas.. Et ratione probatur, quia prototypon continetur in imagine; sicut repræsentatum in repræsentante: ergo honor, seu Adoratio debita prototypo tribui potest eius imagini. De quo redibit sermo. Plura hùc spectātia vide apud RR. præsertim Lorcam *disp.* 92. *à n.* 5.

19 Contra hanc Catholicam doctrinam duplex fuit error. Alter est illorum hæreticorum (quos refert Damascenus *lib. de hæresibus*) qui dixerunt, imagines Christi D. & Sanctorum Latria esse Adorandas. Qui error in præsenti est omittendus cum errore Gentiliū, & idolatrarum: etenim modò potiùs cum Iconomachis, quàm cū idolatris disputamus. Igitur Iconomachi supra relati, qui imaginum vsum abijciunt, earum etiam venerationem execrantur. Et quāvis illorum quidam aliquarum imaginum vsum recipiant; nullatenùs tamen eas venerari patiuntur: vt AA. libri Carolini *apud Adrianum cap.* 50. & 51. *sui rescripti*, Calvinus, & sequaces. Nec solū verbis, & doctrina Adorationē imaginū impugnabāt sed etiā factis: nā vbique eas cōtumelijs afficiunt, & demoliuntur. Quod cōmune est hæreticis tàm antiquis, quàm nostri temporis, teste Lorca *disp.* 92. *n.* 1.

20 Igitur obijcitur contra Catholicam doctrinam de imaginū Adoratione, quòd *Exodi* 32 legitur, filios Israel reprehensos fuisse, vt idolatras, quia fecerunt, & Adoraverunt vitulum. Sed imaginem illam fecerunt in cultum veri Dei, & in ipsa verum Deum Adorabāt ergo non licet Adorare imagines. Minor probatur primò, quia dicebant: *Hi sunt Dij tui Israel, qui eduxerunt te de terra Ægipti*, Secūdò, quia Aaron prædicens solemnitatem, & festum, quod in honorem illius imaginis erant celebraturi, præcepit dicens: *Sanctificamini: cras enim solemnitas Domini est*

¶ Item *Iudicum* 17. legitur, mulierem nomine Nicham, & filium eius fecisse sculptile quoddam, & imaginem, & eam Adorasse: qui tamen ibi reprehenduntur,

tur, vt idolatriæ; quamvis simulacrum illud erexerant in cultum Dei, & nomine ipsius illud colebant: vt patet ex illis Verbis: *Consecravi hoc argentum Domino, vt faciam sculptile.* Respõdetur cùm Lorca *disp. 92. num.* 11. admittendo, quod vtrobique Adorabatur Deus in illis simulachris. Quod est satis verisimile propter argumentum factum. Meritò tamen reprehenduntur, vt idolatræ: quia (vt diximus *num.* 3.) ne populus ille acclivis idolatriæ in illam deflueret, fuit illi prohibitus simulachrorum, & imaginum vsus. Igitur reprehenduntur, tùm quia fecerunt rem prohibitam (quamvis aliàs de se non illicitam) nempe erectionem simulachri. Tùm, quia etsi in illa occasione non cõmiserunt idolatriam, propter nimiam inclinationem idolatrandi exposuerunt se periculo idolatrię in alio tempore, vel occasione: propter quod vt idolatræ reprehẽdũtur. Quod efficacitèr suadet illud 4. *Regum. cap* 18. vbi laudatur Ezechias confringens serpentem æneum, quẽ erexerat Moyses ex dispositione Dei, vt morsi ab ignitis serpentibus aspicientes in eum sanarentur: vt dicitur *Numerorum* 21. *num.* 6. Laudatur enim Ezechias, quia iam populus idolatrans ipsum tamquam Deũ Adorabat. Vnde infero, quod etsi populus ille in vitulo Adorasset verum Deum in illa occasione, & tempore; tamẽ propter eius propensionem in idolatriam exposuit se, aut saltèm suos successores periculo idolatrandi existimando in vitulo esse aliquid numinis, aut divinitatis, & ideò illi Adorationem exhibendo. Propter quod vt idolatræ reprehenduntur.

21 Respondetur secundò cũ eodem Lorca *ibi num.* 12. negando minorem: vtrobique enim intendebant Adorare, non verum Deum, sed vel ipsas imagines, vel aliquem falsum Deum, per ipsas repræsentatum. Ad probationem minoris respondetur, sensum illorum Verborum (*Hi sunt Dij tui, &c.*) esse, iste Deus, quem nobis fecimus, est, qui eduxit nos de Ægipto, non ille, quem nobis Moyses prædicat. Nec obstant verba illa Exodi: *cras solemnitas Domini est*; aut illa Iudicum, *consecravi hoc argentum Domino*: quamvis vtrobique habeatur in Hebræo *Iehova* (quod Hebræis est nomen proprium Dei veri omninò incommunicabile alteri) transtulerunt enim nomen veri Dei ad Deos falsos, quos ipsi veros existimabant. Quod non inefficacitèr colligitur ex illo loco Exodi, ex eo quod non erexerunt quamcumque imaginem, aut simulachrum, sed determinatè imaginem vituli: quia Ægiptiorum Deus *Apis* imagine vituli figurabatur: & ita assueti ritui, & vlui Ægiptiorũ crediderant quod *Apis* erat verus Deus, à quo beneficium egressionis ab Ægipto acceperant; & in illũ nomen veri Dei tran-

transtulerunt, eumque in propria sui imagine vituli Adoraverunt.

22 Obijciunt secundo multos PP. quorum authoritates singillatim sunt solvendæ. Igitur obijciunt, quòd Irinæus *lib. 1. adversus hæreses cap.* 24. inter hæreses Carpocratis numerat, quòd imaginem Christi D. colebat. Respōdetur *cum Lorca ibi num.* 15 *& cum G. Hurtad. disp.* 20. *diff.* 19. solùm reprehendere Carpocratē; quia Adorabat imagines Christi D. ritu Gentilico, & tamquam Ethnicorum idola, vt satis probat Fevardentis *annot.* 15. ¶ Obijciunt, quòd Epiphanius *hæresi* 19. numerat inter hæreticos eos, qui Romæ imaginem B. Virginis circumducebant, & Adorabant. Respondetur solùm damnare quasdam mulieres Adorantes imaginem Virginis tamquam Deam: vt apertè colligitur ex illis verbis Epiphanij: *Revera Sanctum erat corpus Mariæ, sed non Deus, &c.*

¶ Obijciunt, quod Augustinus *lib. de Moribus Ecclesiæ cap.* 34. numerans aliquos abusus dicit: *Novi aliquos esse sepulchrorum, & picturarum Adoratores.* Respondetur solùm reprehendere eos, qui superstitiosè imagines Adorabant: & ideo in antecedentibus dicit, se non approbare eos, qui in religione Christana superstitiosi sunt.

¶ Obijc quod idem August. *Epist.* 119. expresè asserit, imagines nō esse Adorandas. Idē docent Greg. & Hieronym⁹ citati à Lorca *disp.* 92. *n.* 3. Respond. solùm intēdere, imagines nō esse Adorandas more Gētilico, id est, existimādo in eis esse aliquid numinis, vbi sistat Adoratio. ¶ Obij. quòd D. Hieronymus *in caput.* 3. *Danielis* dicit: *cultores Dei imagines Adorare non debent.* Respond solùm loqui de imaginibus, & statuis Regum, & de Adoratione divina, qualem exigebat Nabucodonosor. ¶ Obijc. quòd D. Amb. *orat. de Obitu Theodosij* dicit: *Helena crucem invenit; Regē Adoravit, non lignum: vtique quia est error Gentilium.* Respond: solū velle non Adorasse lignum in eo sistendo more gentilico. ¶ Obij. quod Eusebius Cęsariensis *in Epist. ad Constantiam Augustam* expresè negat cultum imaginum. Resp. quòd Epistola illa connumerata est inter impia illius anthoris scripta, & vt talis reiecta fuit à 7 synodo *act.* 6. vt cum Sixto Senensi notat Lorca *disp.* 102. *num.* 15. ¶ Obij. quòd concilium Maguntinum modernum *tom.* 4. *cap.* 4. dicit, Admonendū esse populū, ne imagines Adoret. (Hoc conciliū fuit provintiale, & nō approbatū.) Respond. solùm velle non esse Adorādas eo modo, quo Adoratur Deus, & propter se ipsas.

23 Obijciunt tertiò, quòd Adoratio imaginum nihil distare videtur ab idolatria: Adoratur enim res inanimis, & nullius excellentiæ. In quo errabant Ethnici idola colentes. Quòd si quis respondeat, imagines non coli propter se, sed propter eos, quos repræsentant. Contra hoc est, quòd etiā Eth-

Ethnici Adorabant imagines, non propter se ipsas, sed propter eos, quos repræsentabant; & tamen passim reprehenduntur in scriptura; quia Adorabant imagines, & simulachra. ¶ Confirmatur; quia in Adoratione imaginum est magnum superstitionis periculũ: quamvis enim incipiant Adorari propter aliud, statim affectus adhæret ipsis imaginibus. Quod experientia probatur: etenim hac de causa aliqui propensiùs colunt vnam imaginem, quàm aliam; & omissis, quas apud se habent, peregrinantur ad alias distãtes: quod nequit fieri sine superstitione: cùm imaginibus eiusdem exẽplaris eadem competat Adorandi ratio. Resp. negando antecedens: multũ enim distat Adoratio Christiana ab idolatria.

24 Pro cuius clara intelligentia nota, quòd Ethnici, aut Gentiles dupliciter Adorabãt suos Deos, aut simulachra, aut imagines. Quidam enim illas Adorabant non propter se ipsas, sed proter aliquã rẽ repræsentatam, quæ tamen nõ erat digna Adoratione sacra: Adorabant enim vt Deum aliquã creaturã, nẽpè Iovem, Martẽ Venerẽ, &c. Imò aliqui in idolis dæmonia Adorabãt, quæ potiùs execratione, quàm Adoratione sunt digna. Alij autem Adorabant idola, & imagines propter se ipsas ibi sistẽdo, seu vlteriùs non respiciendo. Hoc autem duplex genus Adorationis Gentilium notarunt D. Augustinus *lib. 3. de Doctrina Christiana c. 6. & 7. Tertul. Cyprianus, Athanasius; & Eusebius citati à Lorca disp. 92. n. 16.* Imo ex scriptura satis constat: etenim quòd Gentiliũ aliquot Adoraverint imagines, seu simulachra propter se ipsa, declarãt verba illa, *simulachra gẽtiũ argẽtum; & aurum, opera manuum hominum Psalm. 117.* atque illa *Appellaverunt Deos opera manuum hominum: Sap. 17.* Quod autem alij ex Gentilibus Adoraverint aliquã rem repræsentatam indignam tamen cultu, & Adoratione sacra, declarant verba illa *Psalm. 91. omnes Dij gentium dæmonia*: atque illa *1. ad Chor. 8.: Quæ gentes immolant, dæmonijs immolant.* ¶ Dices: verba illa, *Omnes Dij gentium dæmonia*, excludunt aliud genus Adorationis: ergo sine fundamento assignamus duplex genus idolatrandi. Resp. negando antecedens: constat enim ex scriptura & Patribus nupèr relatis, esse aliud genus idolatrandi, nempè Adorando simulachra ibi sistendo, & eis tribuendo aliquid numinis, & divinitatis. Aptè tamen dicitur, *omnes Dij gentium dæmonia*; eo quòd dæmon author fuit totiùs generis idolatriæ; non solùm suggestione; sed etiam quia ingerens se idolis, præstrigijs, & illusionibus decipiebat homines, vt crederẽt, in idolis esse aliquid virtutis divinæ, præbens oracula, & responsa, & faciens aliqua ficta miracula: vt latè tradit Divus Augustinus, 8. *de Civitate capit. 23. & 24.*

Vn-

25 Vnde constat differentia Adorationis nostræ, ac Gentiliũ. Nos enim Adoramus imagines non sistendo in ipsis, quasi habeãt aliquid divinitatis, sed propter aliud, nempè movemur ad Adorationis affectum propter excellentiam prototypi, ad quem tandem affectus terminatur. Vnde patet ad argumentum *num.* 23. factum. Ad confirmationem dico, nullũ superstitionis periculum intervenire in Adoratione imaginũ per se, & ex natura rei. Si autem aliqua superstitio inde oriatur, erit per accidẽs orta vel ex ignorãtia, vel ex malitia adorantium. Nec vrget illa superstitio, quæ objicitur de maiori veneratione vnius quàm alterius imaginis eiusdem prototypi. Seclusa enim omni superstitione optimè potest vna imago haberi in maiori reverentia, quàm alia propter aliquã circumstantiam: v.g. ratione artificis; quia fuit facta à D. Luca, vel à Nicodemo; aut quia per ipsam, vel circa ipsam aliquod miraculũ fecit Deus; aut propter eius antiquitatem; &c. Igitur quoties in populo Christiano est maior devotio circa vnam, quã circa aliam imaginem, semper adest aliqua ex his causis sine superstitione.

26 Notant, præcipuè G. Hurtado *disp* 20. *diff.* 19. *nu.* 69. quòd quamvis pium sit, & honestum sacras imagines Adorare; sitque præceptum negativum naturale non inferendi illis iniuriam, seu contemptum; quia redundat in prototypum: tamen nõ extat præceptum affirmativum Adorandi illas, non solùm positivum; (vt patet; cum nullibi assignetur) sed neque naturale; (cum non sint adstruenda præcepta sine vrgenti ratione) nisi aliquando per accidẽs: vt quando in occasione aliqua sit contemptus imaginis non Adorare illam; aut in aliqua occasione ob confessionem fidei; aut ob aliã circumstantiam. Quod rarissimè contingit.

26 Demùm nota differentiam harum vocum *simulachrum, idolũ, & imago*. Quidquid enim sit de vi, aut rigore Grammatico, ex communi Patrum acceptione, *simulachrum, & idolum* sumuntur in malam partem, nẽpè pro imagine falsa, & Dijs Gentiliũ. Nomẽ autem *imago* sumitur in partẽ bonã, scilicèt pro vera imagine, seu propriùs loquendo pro imagine veri Dei, aut alicuius veri Sancti. Vnde *ad Collos.* 1. Christus Dominus dicitur imago Patris, & alibi.

De modo, quo imagines sunt Adorandæ.

Constat ex dictis, nullum Catholicum posse negare sacras imagines esse Adorandas: de modo autem est inter illos non modica controversia. Quæ vt meliùs percipiatur, præmittam quæ ab aliquibus hæreticis sunt dicta, atque hùc possunt aliqualitèr spectare.

DV-

DVBIVM IV.

27 PEres quartò placita hæreticorum, quæ cũ modo Adorandi imagines habent aliquam affinitatem. Respondetur, quod tẽpore Septimæ synodi (quæ est secunda synodus Nicæna celebrata anno Domini 781. sub Adriano 1. imperatoribus Constantino, & Irene eius matre) fuerunt quidam ex Iconomachis, qui non solùm ad ornatum vbique imagines posse retineri putarunt, (quod alij Iconomachi, seu Iconoclastæ non admittebant) sed etiam ad excitandum in fidelibus memoriam exemplaris, vt corã eis ipsum veneraretur exemplar; illis verò imaginibus nullum signum honoris, aut submissionis exhibendum dicebant: nam hoc esse idololatriã existimabant. Quare neque osculabantur imagines, nec ipsis corpus inclinabant, nec thurificabant; sed recti coram eis in memoriam exemplaris excitati, in ipsum mẽte sola referebantur, seu submissione interiori ferebantur. ¶ De his Epiphanius Diaconus (quem longo tẽpore præcessit D. Epiphani⁹ Episcop⁹ Salaminæ: floruit enim ad annu 370.) *in septima synodo act. 6. in breui quadã demõstratione pro imaginibus, quæ habetur in fine actionis,* sic loquitur. *Qui verò dicunt, sufficere vsum imaginum ad memoriam solùm, non verò ad salutationes eas habendas, illud quidem recipientes, hoc verò recusantes, semiprobi, & falsoveri (vt ita dicam) deprehenduntur; altera quidem parte veritatem confitentes; ex altera vero perverse agentes.* ¶ Dicuntur autem hi hæretici ab Epiphanio Semiprobi, & Falsoveri; quia non omnino imagines respuebant; (sicut alij Iconomachi, de quorum numero fuerunt duo illi imperatores Leo Isauricus, seu Iconomacus, & Constantinus 5. dictus Copronimus) sed eas vtiles, & necessarias esse dicebant. Quare ex hac parte veri erant, & probi. Tamen quia salutationem, & Adorationem illis negabant, ex hac parte falsi erant, & pravi. Et ideò Falsoveri, & Semiprobi ab Epiphanio sunt appellati.

28 Sed contra omnes Iconomachos, aut Iconoclastas hæreticos non solùm convenit inter Catholicos, imagines sacras esse Adorandas; (vt vidimus *à num.* 18.) sed specialiter contra istos, quòd imaginibus deferenda est Adoratio per signa exteriora, nempe per submissionis amplexum, osculationem, capitis nudationem, fructuum oblationem, &c. Et ratio est ibi adducta, nempè quòd imago continet prototypum in esse repræsentativo: ergo aliqualitèr participat eius excellentiam: ergo Adoratio debita prototypo aliqualitèr debetur imagini: ergo si illa signa exteriora genuflexionis, deosculationis, &c. licitè exhibentur prototypo, licitè etiam exhiberi possunt imagini. Hinc ortum habuit sententia illa Basilij *lib. de*

Spiritu Sancto cap. 17. Athanasij orat. 4. contra Arianos, & aliorum PP. toties in Septima Synodo repetita: *Honor imaginis in prototypum redundat: & qui Adorat imaginem, Adorat quoque in ea descriptum argentum.* Qui est communis omnium sensus: semper enim honor imaginis censetur honor prototypi; & è converso iniuria imaginis censetur prototypi iniuria. Vnde populus Romanus in contumeliam Domitiani eius imaginem deiecit, teste Suetonio in eius vita: Quod & alibi contigisse legitur in probatissimis historijs. ¶ Quæ autem contra hanc veritatem obijciunt hæretici, soluta manent ex dictis *à num.* 19. ¶ Constat autem ex dictis, Adorationem imaginum non esse absolutam, sed respectivam, propter aliud. Solùm enim Adorantur propter habitudinem, quam dicunt ad exemplaria: etenim in imaginibus nihil est dignum absoluta Adoratione; cùm sint res exanimes, & non habeant aliquam absolutam excellentiam, quæ sit Adorationis obiectum:

DVBIVM V.

29 PEtes quintò quid dixerint AA. Catholici de modo Adorandi imagines. Respondetur, multas de hoc esse Catholicorum sententias. Prima affirmat, imagines absolutè, & simpliciter esse Adorandas: negat tamen Adorari per se, & vt rem verè terminantē Adorationem; sed solùm *vt quo*, per accidens, abusivè, & impropriè; quatenus scilicet serviunt ad recordationem, & repræsentationem exemplarium; ad quæ tantùm terminatur Adoratio. Quia tamen imagines sunt, quibus mediantibus exēplaria Adorantur, dicuntur Adorari, *vt quo*, *per accidens*, *&c.* Ita *Durandus in 3. dist. 9. quæst. 2. noster Castro Verbo* Imago; *& Picus Mirandulanus*; solentque pro ipsa citari. *Gerson, Holchot, & noster Corduba apud Lorcam disp. 93. num.* 1. vbi notat falsò imponi hanc sententiam nostro Alensi. ¶ Nota, quòd dicitur imago Adorari, *vt quo*, quia est occasio, seu medium, quo excitatur affectus Adorandi prototypum: proxima autem ratio motiva Adorandi non est imago, sed excellentia prototypi.

¶ Dicitur autem imago Adorari *per accidens*, quia prototypon (quod propriè Adoratur) habet coniunctionem accidentalem cum imagine. Sicut inventio thesauri dicitur effectus per accidens effossionis terræ: quia inter vtrumque datur coniunctio accidentalis. ¶ Dicitur imago Adorari abusivè, & impropriè; quia, quod propriè Adoratur, solùm est exemplar; imago autem, quæ solùm fuit Adorationis occasio, seu excitatio, impropriè tantùm, & abutendo vocabulo, potest dici Adorari. Sicut metaphoricè tantū, & impropriè di-

dicitur, quòd finis est physica causa; (sanitatis v.g.) eo solùm, quòd movit volũtate operantis ad ponẽdum mediũ, quod physicè causat sanitatem.

30 Secunda sententia tria affirmat. Primum est, imagines nullo modo posse licitè, & sine crimine fatuitatis, aut superstitionis Adorari per se, nisi simul Adoretur, non solum *vt quo*, & vt ratio motiva Adorandi, sed etiam *vt quod* ipsum exemplar. Secundò dicit, actum interiorem submissionis ita terminari ad solum exemplar, vt ad imaginem nullo modo terminetur *vt quo*, aut *vt quod*. Tertiò dicit, exteriorem Adorationem versari circa imaginem immediatè; mediatè vero circa exemplar, quatenus actus exterior per actum interiorem dirigitur ad exemplar media imagine. Addit tamen, versari circa imaginem simplicem quamdam voluntatem exhibendi imagini signa illa exteriora. Ita Vazquez *disp.* 108. *à cap.* 3. vbi non paucos AA. pro se refert: quamvis Lorca *disput.* 94. *num.* 2. dicat, nullum Theologorum posse adduci, qui expressè concedat id, quod secundo, & tertio loco dicit Vazquez, nisi solùm Paviam *in libro Orcodoxarum explicationum* §. *Kennitius* Immo ipse Lorca *ibi num.* 7. sic de ista sententia loquitur: *Sententia hæc eò mihi semper magis displicuit, quò magis illam considerari.* Probatque in re non differre à sententia Durandi, &c. qui dicunt, imagines solùm abusivè, & impropriè Adorari: quia hi AA. numquam negarunt, signa exteriora (scilicet, oscula, genuflexionem, &c.) imaginibus esse exhibenda: Quæ signa tantùm imaginibus concedit Vazq.

31 Tertia sententia affirmat, Imaginem Christi Domini Adorandam esse Adoratione latriæ. (Idem proportionalitèr dicit de imagine cuiuscumque sancti, quæ Adoranda est Adoratione duliæ illi sancto debita) Ita *nostri D. Bonavent. in* 3. *part. quæst.* 10. *memb.* 3. *art.* 3. *&* Ricadus *disp.* 9. *quæst.* 2. *art.* 2. *Quod etiam tenent D. Thom. quæst.* 25. *artt.* 3. *Ferrara, Caietanus, Medina, Almaynus, Albertus, & Cartusian. quos citat Lorca disp.* 94. *num.* 15. *dicens, esse etiam sententiam aliorum plurium. Pro qua Gasp. Hurt. disp.* 20. *diff.* 20. *citat etiam nostrum Cordubam, Vazquez & Ragusam*, quatenus dicunt, imaginem simul Adorari cum exemplari eademmet Adoratione. Quod est præcipuum fundamentum huius sententiæ: quam etiam sequitur prædictus Hurt.

32 Quarta sententia negat omnino, eamdem Adorationem exhibendam esse Imagini Christi Domini, ac ipsi Christo Domino, (Idem proportionalitèr dicendum est de imagine alicuius sancti, & de ipso sancto.) & nulla

nulla ratione admitti, verā Latriā, quæ Christo D. exhibetur, exhiberi eius imagini. Ita *Catharinus, Martinus de Ayala, Gab. Bellarm. & nostri Corduba, & Michael de Medina citati à Lorca disp. 94. num. 26.* Vbi notat diversitatem repertam inter Medinam, & alios: ille enim asserit, imagini Christi D. exhibendā esse d.liam: alij autem dicunt, illi exhibendam esse Latriam; non tamen veram, & vnivocam, sed analogam, & similem Latriæ, quæ exhibetur ipsi Christo Domino.

33 Quinta sententia distinguit. Potest enim contingere, quod imago duobus modis Adoretur. Vno simul cum prototypo, itaut terminus Adorationis sit illud totum aggregatum ex exemplari, & imagine: quo modo terminus Adorationis est Rex simul cum purpura. Alio modo potest contingere, quòd ipsa imago sola sit terminus Adorationis absque exemplari: quamvis enim numquam imago Adoretur propter se, sed semper Adoretur propter exemplar, potest tamen Adorari per se, id est, Adoratio potest terminari ad imaginem, quatenus est quoddam totum constans ex tali materia (ex auro v.g.) & ex quadam excellentia relativa, qua illud totum, seu imago refertur ad exemplar. Dicit ergo hæc sententia, quod, si imago Adoretur primo modo, debet Adorari eadem Adoratione in specie, qua Adoratur prototypon solùm. Quare si fuerit imago Dei, debet Adorari Latria. Sin vero imago Adoretur secundo modo, debet Adorari alia inferiori Adoratione, ac Adoretur exemplar. Ita *noster Fabro in 3. disputat. 21. num. 50. secutus Suarez disp. 54. sect. 5. Quibus subscribit noster Merinero in manuscriptis tract. de Adoratione disp. 4. q. 5. sect. 3.*

DVBIVM VI.

34 PEtes sextò quid nobis sit tenendum? Respondetur, duplici conclusione explicari. Quare dico primò: benè potest contingere, & de facto aliquando contingit, quòd imago Adoretur, vt quo, per accidens, abusivè, & impropriè. (vt *num. 29.* manet explicatum) Quia imago est similitudo prototypi. Sed ex similibus venimus in cognitionem similiū: ergo visa, & cognita imagine, potest contingere, quòd excitetur cognitio seu memoria exemplaris & quòd tunc relicta cognitione imaginis, & perseverante cognitione prototypi, voluntas eliciat submissionis affectum circa prototypon. Hac ratione considerato aliquo beneficio, prorumpit voluntas in affectum gratitudinis, amoris, & non circa beneficium, sed circa benefactorem. ¶ Confirmatur, quia Ecclesia *feria sexta in Parasceve* Adorat imaginem Christi Domini ipsum Adorando in illa, ac si præsens esset;

&

& sic canit *Agios*, *&c.* quæ sunt laudes propriæ Christi D. ¶ Confirmatur secundò experientia: aliquando enim ita Adoramus imaginem, vt ei sacrificemus, & ipsam exoremus, & aliquid ab ea petamus. Quod nullo modo terminari potest ad imaginem.

35 Dico secundò: imago propriè, & per se Adorari potest, *vt quod*; ita vt imago sit res Adorata. Sicut quamvis medium appetatur propter finem, bene tamen terminat actum appetitus per se & *vt quod*. Ita similiter quamvis imago adoratur propter aliud, bene tamen potest esse, & est frequentèr terminus Adorationis. Et ratio est, quòd cùm imago sit totum quoddam conflatum ex ligno v. g. & ex excellentia, qua refertur ad prototypon, (vt *num.* 33. libavimus) nihil potest ei deficere ad hoc, vt per se terminet actum Adorationis. ¶ Confirmatur ex multis Patribus, & concilijs (videndis apud Lorcam *disp.* 104. *à num.* 26.) distinguentibus Adorationem imaginis ab Adoratione exemplaris, & dicẽtibus, quòd Adoratio imaginis Dei, aut Christi D. non est latria; sed quædam alia Adoratio distincta. Quod non dicerent, nisi intelligerent, Adorationem terminari ad ipsam imaginem: quoniam, si terminus Adorationis imaginum est tantùm exemplar, (Deus scilicet, aut Christus D.) ei profectò debetur Latria.

36 Hinc patet, quod prima sententia *num.* 29. explicata solùm nobis displicet in hoc, quod affirmat, quòd Adoratio imaginis semper, & necessariò debet fieri per accidens, & nullo modo fieri potest per se, & ita vt Adoratio proximè, & immediatè terminetur ad ipsam imaginem. Sin verò solùm affirmet, contingere posse, & de facto contingere aliquando, quòd imago solùm *vt quo*, per accidens, abusivè, & impropriè Adoretur; vera & Catholica est prædicta opinio; nec AA. illius sunt digni censura, qua ab aliquibus inuritur. Putant enim nõnulli, illos non differre ab errore Iconomachorũ quos retulimus *n.* 27. Aliqui verò (de quorum numero est Lorca *disp.* 53. *num.* 7.) dicunt, quòd asserere, imaginem propriè, & per se nõ posse Adorari, est periculosũ in fide, & proximum errori.

37 Sed AA. primæ sententiæ *num.* 29. relati dissentire videntur à secundà conclusione: & obijciũt multas PP. authoritates, in quarũ aliquot negatur Adoratio imagini ipsi; in alijs autem dicitur, imaginem solùm deservire ad recordationem exemplaris. Sufficiat nobis vnum, aut aliud afferre testimonium. Sit primum *Ex 7. Synodo act. 2. in Epist. Adriani primi ad Imperatores* vbi dicitur: *Non ipsum lignum Adoratur, sed quod in ligno ad contemplandum datur: & ita per recordationem Adoratio exhibetur.* Ad idem est Greg. *lib.* 7. *Epist.* 13. loquens de Adoratione

imaginum: *Non quasi ante divinitatem, ante illas prosternimur sed illum Adoramus, quem per imaginem recordamur.* Respond. has, & similes authoritates esse intelligendas solùm de Adoratione, in qua imago tantùm *vt quo*, & per accidens Adoratur. Quatenùs autem hæ authoritates vidētur sonare, quòd non Adorantur imagines, sed exemplaria (ad quod expendunt illas negationes *non ipsum lignum; non quasi ante divinitatem, & c.* ex quibus adversarij dicunt, inferri, PP. vniversalitèr loqui, ita vt non sit aliqua Adoratio, qua Adoratur imago ipsa) respōdetur cū Lorca *dis. 23. n. 18.* posse exponi ita vt nō negent, absolutè imagines Adorari; sed negent, Adorari propter se ipsas ex phrasi loquendi, qua quis diceret, qui appetit potionē, non appetit potionem, sed sanitatem. Quæ loquutio est vera, & in vsu. ¶ Respondetur secundò, Patres solùm negare, esse aliquam Adorationem, qua Adoretur imago materialitèr sumpta, nempè pro ligno, auro, aut lineamento (si fuerit pictura) secludēdo excellentiam relativam, qua refertur ad suum prototypon. Quare admonent nos, ne in lignis, aut lineamentis præscindendo à prædicta excellentia immoremur, aut credamus, ibi esse aliquam veritatem, aut divinitatē. Præ cæteris legatur Lorc. *disp. 54. num. 50.*

38 Obijciunt 2. in imagine nihil est, quod sit Adorationis obiectum, & terminus: ergo imago nequit per se Adorari. Probatur antecedens: ibi enim solùm reperitur materia, ex qua fit, lignum v. g. colores, atque pictura, & relatio similitudinis ad prototypon. Sed nullum istorum est obiectum, aut terminus Adorationis: sunt enim entia creata, & inanimata, & nullius excellentiæ: imò indignum videtur, vt creatura rationalis se his Adoratione submittat: cùm sint longè inferiora ipso. Respondetur negando antecedens: ad probationem dico, ex omnibus illis constitui imaginem habentem excellentiam relativā ad prototypon, seu participationem excellentiæ alterius: vi cuius superior evadit, & digna, vt ei Adoratio, & cultus exhibeatur.

39 Contra 1. quòd olim in Ecclesia Romana fuit vsus dedicandi sacras imagines ad cultum divinum quibusdam benedictionibus, & sacri olei vnctione: ergo quia existimabat tunc Ecclesia, imagines sine illis non esse Adoratione, & cultu dignas. Antecedēs constat ex Adriano 1. *lib. pro imaginibus responsione pro 6. actione synodi 7. circa medium.* Respondetur negando consequentiā: licèt enim prædictꝰ vsus fuerit vtilis, vt rudis populus faciliùs adverteret, imagines esse sacras, & cultui divino dicatas; tamē re vera non erat necessarius: quia imagines eo ipso, ac imagines sunt; sunt adorabiles. Neque dicta consecratio maiorem

torem Adorationis titulum tribuebat; sed tantùm præstabat ordinationem, & dedicationem imaginis ad exemplar, Vnde *in 7. synodo act. 6.* dicitur, quòd imago absque omni præcatione, & vnctione ratione figuræ est adorabilis. ¶ Contra 2. quòd imaginis relatio ad prototypon, seu repræsentatio non videtur sufficiēs ratio, vt imago possit terminare Adorationem: ergo imago nequit Adorari. Antecedens probatur: nam imago tantùm repræsentat exteriorem figuram rei: exterior autem figura non est excellentia, ratione cuius prototypon est Adorabile: atque adeò non videtur imago participare excellentiam rei repræsentatæ, adhuc in esse intentionali, & repræsentativo. Respondetur negando antecedens. Ad probationem dico, quòd imago repræsentat non solùm figurā, sed totum ipsum suppositum. Sicut enim natura vestivit substantiam accidentibus extrinsecis; & mediantibus ipsis proponit nobis exteriùs totam substantiam, ita vt visis accidentibus dicamur videre non solùm accidentia hominis sed etiam hominem ipsum: ita ars repręsentando figurā repræsentat totum suppositum: nam exhibet nobis illud eo modo quo solet exteriùs apparere; & quo cōmunitèr ipsum percipim⁹.

DVBIVM VII.

40 DEtes septimò qualis sit excellentia relativa in imagine reperta? Respondetur dupliciter posse de illa philosophari. Potest enim affirmari, quòd in imagine nulla intrinseca excellentia reperitur, sed solùm extrinseca scilicet excellentia prototypi. Quod declaratur duplici instantia Prima est mediorum, & finis. Sūt enim, qui existiment, in medijs nullam esse bonitatem intrinsecā, sed totum motivum electionis mediorum esse bonitatem finis, (quæ est extrinseca medijs) quatenùs propter connexionem, quę est inter media, & finem, eadem bonitas finis potest movere ad mediorum appetitionem. Sic ergo potest philosophari in præsenti, scilicèt nullam esse in imagine excellentiam intrinsecam, sed propter connexionem repræsentationis, quę inter imaginem, & prototypum reperitur, eadem excellētia prototypi potest movere ad Adorationem imaginis. ¶ Quod si instantia prędicta abijciatur; eo quod probabilior sententia (*in tract. de Bonitate, & Malitia*) fert, in medijs reperiri intrinsecam bonitatem vtilem distinctam à bonitate finis, quæ est honesta, aut delectabilis; instant secundò hi, qui negant intrinsecam excellentiam imaginibus, exemplo obiecti materialis fidei: formale enim motivum fidei est veracitas, & testimonium dicentis; quæ omninò extrinseca sunt obiecto materiali, quod creditur, & nullo modo creduntur, *vt quod* per illam actum, sed supponuntur credita.

Sic ergo excellentia prototypi (quæ est extrinseca imagini adoratæ) movet ad Adorationem imaginis. Et sic Adoratur imago, non propter aliquam excellentiam sibi intrinsecam, sed propter extrinsecam, quæ est in prototypo, moventem ad Adorationem imaginis propter conexionem repræsentationis, quæ est inter imaginem, & prototypon. ¶ Hic modus philosophandi gaudet sua probabilitate; estque conformis multis Patrum authoritatibus, quæ absolutè dicunt, in imagine nullā excellentiam reperiri; & quòd fideles non credunt, imaginibus inesse numen aliquod, aut veritatem.

41 Potest similiter affirmari, in imagine reperiri intrinsecam excellentiam, non absolutam, sed relativam ad prototypon. Sicuti in medijs communior sententia ponit bonitatem intrinsecam, nō absolutam, (qualis est bonitas finis) sed respectivam ad finem. Itaque sententia ista affirmat, quòd formalis excellentia reperitur in duobus, nempè in prototypo, seu exemplari, & in imagine; cum hac tamen differentia, quòd in prototypo reperitur excellentia absoluta: & ideò prototypon est Adorabile non solùm per se, (id est, talitèr, quòd actus Adorationis ipsum prototypon in se, & immediatè attingat) sed etiam propter se, id est, movendo operantem ad hoc, vt eliciat actum Adorationis, tàm circa se ipsum, quàm circa aliud, quod Adoratur propter se, nempè circa imaginem, aut circa alia, quæ à prototypo participant Adorabilitatem, seu excellētiam relativam. In imagine autem non reperitur prædicta excellentia absoluta, sed solùm respectiva: ratione cuius est quidem imago Adorabilis per se, (id est, talitèr vt actus Adorationis terminetur ad imaginem immediatè, & in se) non tamen propter se, id est, talitèr vt Adorabilitas imaginis, seu eius excellentia relativa moveat operantem ad eliciendum actum Adorationis circa imaginem, aut circa aliud propter ipsam. Quod totum declarat instantia finis, & mediorum: etenim secundū probabiliorem sententiam tàm in fine, quàm in medijs formalis bonitas reperitur; sed cum hac differentia, quòd bonitas finis est absoluta, & consequentèr finis est amabilis per se, (id est, talitèr vt actus voluntatis, seu intentio attingat ipsum finem in se, & immediatè) & propter se, id est, talitèr vt bonitas, seu amabilitas illius moveat operantem ad eliciendum actus voluntatis tam circa se ipsum, quā circa media, seu circa illa, quæ ordinantur ad consequutionem finis. (Actus volūtatis versans circa finē vocatur intentio: qui autē immediatè attingit mediū, vocatur electio.) ¶ In hac sentētia (quę frequētior est inter AA.) dicēdū est, nō esse cōtra cōcilia, & PP. cōcede-

re

re inesse imaginibus aliquã excellentiam intrinsecam, & formalẽ. Quamvis enim sæpè absolutè dicant, in imagine nullam excellentiam reperiri; ex intentione, & contextu conciliorum, & Patrum facilè percipitur, non negare hanc excellentiam relativam, sed absolutam, & quæ imaginibus competat à se; vt est vita, cognitio, potentia succurrendi, faciendi miracula, &c. Hoc enim est, quod hæretici fidelibus imponebant; & quod PP. negarunt: vt benè advertit Lorca *disp. 94. num. 58.*

DVBIVM VIII.

42 PEtes octavò, an imago sit Adoranda eodem actu, ac Adoratur prototypon? Respondetur sub distinctione. Pro cuius clara intelligentia est in memoriam reuocandum, quòd imago potest Adorari, vt quo, per accidens, abusivè, & impropriè: vt constat *ex num. 29. & 34.* Potest item Adorari imago, vt quod, aut vt terminus per se Adorationis: vt constat *ex num. 33. & 35.* ¶ Dico ergo primò: quando imago solum *vt quo*, & abusivè adoratur, Adoratur eodem specie, numero, & excellentia actu, quo adoratur prototypon. Quia quod tunc simpliciter, & per se adoratur tantùm est exemplar, ex cuius Adoratione redundat in imagine quædam denominatio, qua impropriè, & abusivè dicitur Adorari, scilicèt in quantùm est occasio talis Adorationis.

43 Dico secundò, quando imago adoratur vt quod, aut vt terminus per se Adorationis; potest adorari eadem numero Adoratione, qua Adoratur prototypon. Item potest Adorari diversa numero Adoratione. Hanc cõclusionem, quoad vtramque partem probant, quæ diximus *cap. 3. à num. 4. & num. 14.* Vnde constat, humanitatem Christi Domini posse Adorari simul cum Verbo; necnon & vt ab illo præcisam. Vbi etiam probabamus, quòd in priori consideratione Adoratur eadem numero Adoratione, qua adoratur Verbum; in posteriori autem Adoratione numericè diversa. Quod in præsenti cum proportione est accommodandum.

¶ Sed specialitèr probatur prior pars huius conclusionis à simili. Beatus enim eadem numero cognitione videt Deum, & creaturam: ergo eadem numero Adoratione poterit Adorari imago, & exemplar. Antecedens autem tradunt Scotus *in 1. dist. 1. q. 2. §. & vers. Modus ponendi; & in 3. dist. 14. q. 2. §. & vers. Potest dici, & quodlib. 15. §. De secundo articulo vers. Item, Pilosus, Sosa, Ægidius, & multi alij, quos citat, & sequitur noster Felix tract. de Visione cap. 11. diff. 3. num. 3.* Item comprobant hanc priorem partem nostræ conclusionis multæ authoritates videndæ apud RR. præsertim apud Lorcam *disp. 94. à num. 16.* Sufficiat nobis illa Basilij *lib. de Spiritu S.*

Sancti cap. 18. Quemadmodum Principatus & Potestas vna est, quæ nobis dominatur; sic etiam glorificatio à nobis vna est, & non multæ; proptereà, quòd imaginis honor ad exemplar transit. Vnde Ioannes Præsbyter *in 7. synodo act. 4.* recitato præfato testimonio hanc intulit consequentiam. *Vnde, & Beatus Pater* (Basilius) *indicavit, non esse duas Adorationes, sed vnam ipsius Imaginis, & primi exemplaris.*

44 Secunda verò pars huius nostræ cõclusionis specialitèr probatur. Imago verè est quid distinctum ab exemplari; habetque propriam excellentiam: ergo poterit terminare actum Adorationis distinctum ab actu, qui terminatur ad prototypon. Patet consequentia à paritate mediorum, quæ terminant actum voluntatis distinctum à volitione, quæ terminatur ad finem. Confirmatur diversis testimonijs conciliorum, & PP. (quæ videnda sunt præsertim in Lorca *disput. 94. à num. 26.*) quibus expressè asseritur, Adorationem imaginis Dei, aut Christi Domini debere esse non latriam, sed aliam inferiorem. Hi enim PP. videntur supponere, imaginem adorari Adoratione saltèm numericè distincta ab Adoratione exemplaris. Sufficiat nobis illud *septimæ synodi act. 6.* vbi postquam Epiphanius Diaconus dixisset, sacras imagines in memoriam, & recordationem prototypi esse adorandas, subdit; *non tamen ob id illis latriam exhibuerunt,* (Catholici) *aut divinam venerationem adscripserunt. Absit hæc calumnia:* (Nota, quòd Epiphanius iste loquebatur pro synodo, & nomine ipsius contra hæreticos.) ergo conceditur imaginibus Adoratio distincta à latria: ergo (infero ego) Adoratione saltèm numericè distincta potest adorari imago, ac adoratur prototypon.

45 Sed contra primam partem huius secundæ conclusionis obijcies authoritates nupèr relatas pro secunda parte huiusmet conclusionis. Si enim affirmant, esse calumniã hæreticorũ contra Catholicos dicere, imagines adorari Latria: ergo sentit cõciliũ imaginẽ non posse Adorari eadem Adoratione, qua adoratur exemplar. Patet, quia quando exemplar est Deus, aut Christus Dominus necessariò adoratur Adoratione latria. Respondetur illis authoritatibus solùm negari posse imaginem, & exemplar adorari eadem in specie Adoratione; non autem negant posse Adorari eadem numero. Itaque ille idem actus, quo simul imaginem, & prototypon adoramus, est quidem vnic⁹ quoad entitatem realem; in eo tamẽ distinguẽda est alia, & alia species, aut ratio formalis: etenim, quatenùs respicit prototypon, & ab eo sumit excellentiam, dicitur, & est formalis latria; (suppono, imaginem esse illius, cui Latria debetur) quatenùs autem respicit imaginem, & ab ea sumit excellentiam, non est Latria Deo debita;

ſed vel Latria inferioris ordinis, vel hyperdulia, aut dulia, iuxta diverſas ſententias explicandas *à n.* 49. ¶ Neque eſt novum, aut ſingulare huius materiæ, quòd idē numero actus quoad entitatem realem ſit alterius, & alterius ſpeciei. Hoc enim convincit inſtantia actus, quo Beatus videt Deum ſimul & creaturam: qui actus eſt Beatificus, quatenus terminatur ad Deum; non autem quatenus terminatur ad creaturam: vt ſic enim non attingit obiectum beatificum. Idem convincit inſtantia illius qui ſciens, & volens occidit Sacerdotem: occiſio enim iſta, quatenùs reſpicit Sacerdotem eſt ſacrilegium contra Religionem: quatenus autem reſpicit hominē ſine illa circumſtantia, eſt in alia ſpecie malitiæ ſcilicet iniuſtitiæ. Poſſentque aliæ multæ inſtantiæ afferri: Quid ergo mirum, quòd eadem numero Adoratio quoàd realem entitatem, quatenus reſpicit prototypon, cui debetur latria, ſit in ſpecie latriæ; & quatenùs reſpicit imaginem ſit adoratio alterius inferioris ordinis?

46 Obijcies ſecundò, contra eàdem priorem partem concluſionis: finis, & medium non poſſunt attingi eodem numero actu attingentia expreſſà, & formali: ergo neque imago, & prototypon poſſunt formaliter, & expreſſè adorari eadem numero Adoratione. Reſpondetur, hoc argumentū parùm vrgere eos, qui negarēt antecedens cum *noſtris D. Bonavent. & Ricado: item cum D. Thom. Conrado, Caiet. Ægidio, Alvarez, Suarez, & Cornejo, quos citat noſter Felix tract. de Actibus humanis cap. 6. diff. 3. num. 2. dicens, quòd hoc videtur habere probabilitatem apud Scotum in 2. diſt. 38. §. Reſpondeo lit. B.* ¶ Sed, quidquid ſit de antecedēte, illo admiſſo, negatur conſequentia: ideò enim finis, & mediū formaliter vt ſic non poſſunt attingi eodem numero actu: quia actus intentionis, quo attingitur finis formalis, eſt cauſa actus electionis, quo attingitur medium formaliter, vt tale: Eſt autem ab omnibus receptum, quòd idem non poteſt eſſe cauſa, & effectus in eodem genere, aut quantùm ad entitatem realem: ſequeretur enim exinde, quòd idem eſſet cauſa phyſica, & realis ſui ipſius, & conſequentèr verificarentur duo contradictoria de illo, nēpè quòd haberet eſſe, & non haberet eſſe pro eodem inſtanti: cauſa enim phyſica, vt cauſet, debet habere eſſe; &, vt ſit effectus, debet ſupponi ſine reali eſſe. Vnde etiam patet ad aliam ſimilem inſtantiam de cognitione principij, & concluſionis. Verum enim eſt, principium formalitèr, vt tale, debere attingi diverſa numero cognitione, ac attingitur concluſio formalis. Hoc tamen provenit ex eo, quòd cognitio principij eſt cauſa phyſica cognitionis, quæ attingit concluſionē formalem. Quare, ſi eodem actu principium, & concluſio attingeretur, ſequeretur, quòd eadē

cog-

cognitio esset causa, & effectus sui ipsius. Ponendo autem, quòd eadem numero Adoratione adoratur imago, & exemplar, nullum horum sequitur: quia Adoratio imaginis non est causa Adorationis prototypi, vel è contra: sed excellentia prototypi est motivum adorandi imaginem. Ratio autem motiva alicuius actus non est necessarium, quòd præsupponatur attacta per alium actum: vt constat diversis instantijs. Sufficit instantia intentionis: quando enim amo efficacitèr finem propter eius bonitatem non requiritur, quod illius bonitas præsupponatur amata; & quando video parietem propter colorem, non requiritur, quòd color supponatur visus per aliam visionē.

47 Contra secundam partem nostræ conclusionis (qua dicebamus, imaginem posse Adorari diversa Adoratione, ac Adoratur exemplar) obijcies authoritates, quibus dicitur non esse duas, sed vnam Adorationem, qua adoratur imago, ac prototypon. (Recolantur dicta *num.* 43.) Respondetur PP. sic loquentes potiùs attendere ad rationem motivam, quàm ad numerum Adorationū. Itaque solùm intendunt astruere quod in adoratione Imaginis, & eius prototypi vnica est ratio motiva Adorandi vtrumque nempè absoluta excellentia prototypi. Respond. 2. multas harum authoritatum posse explicari iuxta primam partem huius nostræ conclusionis, qua affirmamus posse contingere, quod eadem numero Adoratione, qua adoratur *vt quod* prototypon, etiam adoretur, *vt quod* imago, ita vt ex vtroque resultet integrum obiectum materiale Adorationis. ¶ Obijcies secundò, quòd tàm in imagine, quàm in prototypo est eadem ratio terminandi, scilicèt eadem excellentia: ergo attingi debent eodem actu. Antecedens constat, quia imago non adoratur propter se, sed propter prototypon. Confirmatur, quia ideò humanitas Christi Domini adoratur eadem numero Adoratione, qua adoratur suppositum divinum; quia istud est motivum illius Adorationis: ergo idem dicendum est de imagine. Respondetur negando antecedens: distincta enim saltem numero excellentia est in imagine, ac in prototypo: etenim in hoc est absoluta, & in imagine relativa. Ad confirmationem constat *ex cap. 3. num.* 14. posse humanitatem Christi D. vt præcisam à Verbo Adorari distincta Adoratione, qua Verbum divinum adoratur.

DVBIVM IX.

48 PEtes nonò, an sit aliqua obligatio Adorandi imagines hoc, vel illo modo determinatè? Respondetur negativè. Quia sine vrgente fundamento non est admittenda obligatio: sed nullum est fundamentum ad affirmandū, quòd

quòd præceptum adorandi (quando diximus *num.* 26.) determinat modum: ergo sivè currat, sivè nō currat præceptum adorandi imagines, possumus vti vno, vel alio ex tribus modis, quibus imago potest adorari: vt constat ex dictis *à num.* 34. *& num.* 42. Itaque possumus Adorare imagines abusivè, hoc est, vtendo imagine, vt medio, quo excitatur memoria prototypi, ad quod posteà interior adoratio excitetur, & terminetur; iuxta dicta *n.* 34. Item licitè possumus adorare imagines propriè, & per se ita vt imago sit res adorata, iuxta dicta *num.* 35. Et hoc duobus modis potest contingere: potest enim imago adorari eadē numero Adoratione, qua adoratur prototypon. Item potest adorari diversa numero adoratione; iuxta dicta *num.* 43. Videatur Lorca *disp.* 94. *num.* 51.

DVBIVM X.

49 PEtes 10. an Dei imago adoranda sit inferiori adoratione, ac adoratur ipse Deus? Respondetur affirmativè. Quia sic locuntur multæ authoritates, iuxta dicta *num* 44. Quare dicendum est, quòd quomodocumque adoratio ad imaginem Dei, aut Christi Domini terminetur, (hoc est, simul adorando imaginem cū prototypo eadem adoratione; aut etiam illam adorando distincta adoratione) semper verū est, quod adoratio imaginis, seu quatenus terminatur ad imaginem, non est latria; benè tamen vt terminatur ad prototypon. ¶ Dices, multoties ab authoribus dici, imagini Dei, aut Christi Domini tribuendam esse latriam. Respondetur, quòd, si aliqua authoritas Patrum, aut Scoti sic loqui reperiatur, explicanda est de habitu latriæ, à quo procedit actus latriæ, qua Deus ipse, & Christus Dominus adoratur; necnon & actus, quo Adoratur imago: sivè vocetur inferior latria, sivè hyperdulia, sivè dulia; sivè ista Adoratio differat specie à propria latria, sivè non. Potuit enim ab eodem habitu procedere actus specificè distincti: etenim ab eodem habitu charitatis procedunt actus charitatis Dei, & proximi dilecti propter Deum; immò & amor Dei in via, & in patria; quamvis specificè differāt; vt tamquam probabilius defendit Scotus *in* 4. *d.* 49. *q.* 5. §. *Ad quæstionem vers. aliter potest.*

50 Vnde generaliter loquendo dicendum est, quamcumque imaginem adorandam fore inferiori Adoratione, ac suum prototypon: est enim longè inferior dignitas, seu excellentia imaginis ab excellentia, seu dignitate prototypi. ¶ Dices: sancti adorantur dulia: (quæ est inferior Adoratio ex assignatis à Patribus, & Theologis) ergo eorum imagines non poterunt adorari inferiori Adoratione. Respondetur negando consequentiam. Tùm, quia intra eamdem speciem vna Adoratio po-

potest esse superior, & inferior alia. Tùm, quia non est statutum, quod habitus religiosus, qui dicitur dulia, sit infimus in specie, seu quod ab eodem habitu non possint produci actus specificè distincti. Hinc patet, de distinctione specifica harum Adorationum, aut de vocibus non esse multum curãdum: vt satis nos instruit Septima synodus *act* 6. de imaginum Adoratione sic loquens: *Nos debitam Adorationem illis dare debemus. Sivè igitur placebit salutationem, sivè Adorationem appellare, idem profecto erit, modò sciamus excludi latriam, &c.* Igitur dum hoc sit certum, quòd imaginis Adoratio est inferior Adoratione prototypi, parum curo, sivè differat specificè, sivè non; sivè hoc, sive illo nomine vocetur. Ego autem imaginis Dei, & Christi D. Adorationem vocarem latriam participatam: adorationem imaginis Sacratissimæ Virginis hyperduliã participatam: & adorationem aliorum sanctorum duliam participatam: quia hoc addito diminuente *participatam* satis declararem, Adorationem imaginis esse longè inferioris dignitatis, ac est Adoratio prototypi.

De Adoratione Sanctissimo nomini Iesu debita.

DVBIVM XI.

51 PEtes vndecimò: an Sanctissimo nomini Iesu (sive scripto, sive prolato) debeatur Adoratio? Respondetur affirmativè. Quia *ad Philipp. 2. In nomine Iesu omne genu flectatur, &c.* Quare hæc est Catholicorum convenientia.

DVBIVM XII.

52 PEtes duodecimò: qualis Adoratio debeatur sanctissimo nomini Iesu? aut quomodo sit Adorandum? Respondetur, quòd inter AA de hoc extat eadem ferè controversia, ac de modo Adorandi sacras imagines. Aliqui enim existimant, solum abusivè, & impropriè esse adorandum, nempè quatenus in nobis legentibus, & audientibus excitat memoriam Christi Domini, quem significat. Ita *Corduba, & Sotus communiter citati, præsertim à Suarez disp. 54. sect. 7.* Verum tamen est, quòd Vazquez *disput. 108. cap. 11. num. 105. & G. Hurtad. disp. 20. diff. 22.* dicunt, nostrum Cordubam *lib. 1. quæst. 5. dub. 4. art. 2. ad. 1. confirmationem septimi argumenti* sentire vocem *Iesum* (sivè scriptam, sivè prolatã) posse adorari per se, non Adorato Iesu, seu Christo D. quem significat. ¶ Secunda sententia affirmat, vocem *Iesus* non posse Adorari, nisi simul, & eadem Adoratione latriæ cum ipso Iesu significato. Ita *Vazq. & G. Hurt. nuper citati.* ¶ Nobis autem dicendum est consequenter ad dicta in præcedentibus, nomen *Iesus* (sive scriptum

tum, sive prolatum) eodem modo esse adorandum, ac imagines: Quia non apparet ratio differentiæ. Ita Suar. *disp.* 54 *sect.* 1. *Lorca disp.* 98. *n.* 19. *& noster Castillo disp.* 20. *q.* 5. *n.* 18.

53 Vnde dicendum est, quòd sacratissimum nomen *Iesus* potest adorari, vt quo, per accidens, abusivè, & impropriè vt *n.* 29. manet explicatum. Item potest Adorari propriè, & per se. Et hoc duobus modis: potest quippè simul adorari cum re adorata eadem numero adoratione, ac ipsa res. Insuper & potest adorari separatum à re, quā significat, & propter excellentiā propriam intrinsecam relativā, quā ab illius significato participavit. Et tunc adoratur diversa saltē numero Adoratione, ac res, quam significat. Semper autem Adoratio huius nominis erit in excellentia, & dignitate inferior Adoratione, qua adoratur res, quam significat: vt loquendo de Adoratione imaginum latè diximus. Vnde facile est, mutuare solutiones ad argumenta, quæ in præsenti contra nostrā conclusionem possunt efformari.

53 Eruditè autem notat noster Castillo citatus, quòd nostri D. Bernardinus Senensis, & B. Ioannes de Capistrano priùs populo prædicaverunt debitam adorationē Sãctissimo nomini Iesu; & posteà magna controversia circa hoc exorta, coram Domino Martin. V. anno 1425. eamdem veritatē (quā priùs prædicaverant populis, & propter quā ab aliquibus tamquā suspecti de hæresi condemnabantur) ita acerrimè propugnarunt, vt statim ab ipso Pontifice fuerit decretū, vt solēni processione manifestaretur populo sanctissimum nomen Iesu in tabella scriptum, vt adoraretur. Sed de hoc satis: quia historicum est; & quia iam nullus Catholicus dubitat, sanctissimo huic nomini esse debitam Adorationem. Nec dubitat aliquis, quòd clarissimi nostræ Observantiæ Primates in hac sanctissimi nominis debita veneratione propugnanda & firmāda immensos labores, atque incredibiles calumnias, & sustinuerunt, & superarunt, insignes victorias, celebresque palmas ex hostibus reportantes; præcipuè D. Bernardinus: ob cuius indefessum studium vbique Christianismi extat debita huius sanctissimi nominis Adoratio. Propter quod tamquam proprio stemmate, ipso sacratissimo nomine præ omnibus sanctis gaudet insignitus, & vbiq; agnitus.

De Adoratione Sanctissimæ Cruci debita.

DVBIVUM XIII.

54 Petes 13. an sanctissima crux sit Adoranda? Respondetur affirmativè. Itaque tàm crux, in qua Christus Dominus fuit affixus, quam quæcumque alia est Adoranda. Ita de cruce, quæ est figura crucis, in qua Christus D. pependit, definitū est *in* 7. *Synod. act.* 7 *&*

& in alijs Concilijs: docentque multi PP. & vnanimis, atque antiquus Ecclesiæ vsus; necnon, & varia miracula: vt notant, & expendunt communiter AA. Et ratio est, quod tam crux, in qua Christus D. pependit, quam quæcumque alia est figura, seu imago Christi Domini crucifixi: ergo non est minus adoranda, quàm quæcumque alia imago ipsius. Præterea alio speciali titulo crux in qua Christus D. pependit, est digna Adoratione; nempè quia tetigit Christū D. Vnde constat, quamcumque illius particulam esse adorabilem ratione contactus.

55 Hinc reijcio errorem hæreticorum dicentium neque crucem, in qua Christus Dominus pependit, neque eius signum esse adorandum. Sic erravit Claudius *Taurinensis Episcopus, Paulisciani, Petrus Buis*, (à quo Bruisiani dicti fuere eius sectatores) *Vui clephistæ, & Calvinus*. ¶ Item reijcio errorem Armenorum, qui crucē dicebant, esse rem communem, & immundam, indignamque veneratione, nisi priùs mundaretur, & peculiari cœremonia dedicaretur divino cultui. Et ideo crucem prius lavabant, & postea sanguine sacrificij vngebant, & clavum in ea figebant: & postea illam adorabant. Igitur ex conclusione nostra atque ex eius ratione refellitur vterque iste error. Vnde aliqualiter etiam reijcitur alter error Fausti Manichæi, qui dicebat, omnem arborem esse Adorandam ob honorem sanctissimæ crucis, quam aliquo modo repræsentat. Vnde eius sectatores ab eo edocti ita arbores colebant, vt nollent inde poma, & fructus comedere in reverentiam ipsius arboris, & sanctissimæ crucis. Verum hic error relinquendus est vt superstitiosus. Quia etsi Deus in quacumque re possit adorari, si debito modo fiat; (iuxta dicta *cap.4. à num.23.*) & similiter Christus D. & crux eius; publica tamen Adoratio rei inanimatæ, quæ neque est per se ad repræsentandum instituta, neque sacro cultui dicata, superstitiosa est, & illicita.

56 Insuper ex nostra conclusione, & eius ratione reijcitur Durandus *in 3 d.9.q.2.* qui admittit, crucem, in qua Christus Dominus pependit, si sit integra, & figurata, posse adorari. (Idem dicit de alijs crucibus.) Quia imago est. Cum ergo Durandus dicat, imagines adorari abusivè, & per accidens: (vt vidimus *num.29.*) eodem modo dicit, crucem integram, & figuratam posse adorari. Additque, ratione contactus ad membra Christi Domini nullam cruci deberi Adorationem: ac per consequēs particulas ab illa cruce decisas non esse Adorandas. Tamen in hoc posteriori apertè fallitur Durandus: vt constat ex ratione nostræ conclusionis.

57 Hic annotare oportet, immeritò Lorcam *disp. 95. num.4.* dicere, quòd D. Bonauentura *in 3.d.9.art.1.q.4.* negat, crucē esse ado-

Adorandam, quamvis admittat, esse venerandam. Lorca tamen clariùs, aut pleniùs debebat referre sententiam Seraphici Doctoris, ne videretur eius sententia in aliquo singularis. Igitur D. Bonavent. hinc elicit conclusionem: *Concedendum est ergo, quòd Christi crux est Adoranda Latria.* Et posteà respondendo ad vltimum argumentum distinguit duplicem honorem. *Quidam exhibetur in testimonium virtutis. Et ideò iste non est exhibendus cruci, nisi ratione crucifixi: cuius quidem virtus, & intelligentia, & excellentia est super omnia. Alius est honor, qui exhibetur in signum alicuius nobilitatis, & excellentiæ. Et hoc modo honor non exigit merita, nec requirit virtutem in honorato, vel cognitionem, sed aliquam rationem dignitatis, ob quam debeat sibi reverentia exhiberi. Et hoc modo quadam nobilitate Deus lignum crucis nobilitavit, dum in ea pependit, & genus humanum liberavit. Et ideo crucem laudamus, & veneramur ex ista nobilitate; & multiplices laudes eius decantat Ecclesia; & per præsentiam istius sacratissimi ligni multa impensa sunt fidelibus beneficia, & miracula.* Huculsque D. Bonavent. piè quidem, Theologicè, solidè, & sine aliqua novitate. Etenim, me iudice, solùm distinguit adorabilitatem absolutam (qualis est in prototypo) à respectiva; qualis est in imagine, aut in signo aliquo: & negat cruci primam, concedendo secundam. Quod quàm verissimum est, patet ex dictis de Adoratione imaginum, præsertim *num.* 22. & 40. Recolantur etiam dicta *cap.* 1. *nu.* 37. Immeritò ergo Lorca nostri Bonaventuræ sententiam notat singularitatis.

58 Sed contra nostram, & Catholicam conclusionem de Adoratione crucis objiciunt hæretici. Crux Christo D. fuit instrumentum doloris, & mortis: ergo non est adoranda à Christianis. Patet consequentia: quia filius nō adorat patibulum Patris. Respondetur negando consequentiam. Ad probationem dico, filium honorare patibulum, in quo Pater gloriosè pro patria obijt, & quodlibet aliud instrumentum: immò solet pro stemmate totius posteritatis haberi. ¶ Obi. 2. ergo omnes lanceæ Adorandæ sunt in memoriā Christi D. Respondetur cum G. Hurt. *disp.* 20. *diff.* 13. concedendo. In hoc enim nullū apparet incōmodū. Sicuti, neque quòd in quacūque creatura adoretur creator ab illo, qui ibi esse cōsideraret. ¶ Respondetur secundò negando consequentiam. Cùm enim crux, aut alia instrumenta passionis non repræsentent ex se Christum D. standum est authoritati publicæ, aut cōmuni vsui fideliū, vt vni potiùs quàm alij instrumēto Adorationem exhibeamus. Ex vsu autem fidelium constat, crucem potiùs quàm lanceam, aut aliud instrumentum, Christum D. repræsentare. Et ideò crucem adoramus, non autem lanceam,

aut aliud paſsionis inſtrumentum.

¶ Obijciunt tertiò, crux Adoratur ratione contactus ad membra Chriſti Domini? Ergo cætera inſtrumenta paſsionis, immò, & labia Iudæ ſunt adoranda ratione contactus. Reſpondetur, ita eſſe.

DVBIVM XIIII.

59 PEtes 14. quomodo crux ſit Adoranda? Reſpondetur, quòd eodemmodo, ac de imaginibus, ac de Sanctiſsimo nomine Ieſu ſumus philoſophati. Recolantur dicta *a num.* 34. *& à n.* 52. Vnde conſtat, crucem tripliciter, aut tribus modis poſſe Adorari. Primò abuſivè, & impropriè, id eſt, taliter, vt ipſa crux ſit, nō id, quod per ſe, aut *vt quòd* terminat Adorationem, ſed ſolùm ſignum, aut id, quo excitatur memoria, vt prototypon adoretur. Poteſt item crux propriè, & per ſe Adorari. Et hoc duobus modis. Poteſt enim ſimul Adorari cum Chriſto D. quem repræſentat: & tunc Adoratur eadē numero Adoratione, qua ipſemet Chriſtus Dominus adoratur. Inſupèr, & poteſt Adorari Crux diſtincta numero Adoratione, & talitèr, vt ipſa Crux ſine Chriſto D. ſeu ſola, ornata tamen excellētia relativa, ſit per ſe terminus Adorationis. Quæ omnia patent ex dictis pro imaginum Adoratione: non enim extat aliqua ſpecialis difficultas de Cruce: ſed omnes ſunt communes ad imagines, & crucem, quatenùs iſta repræſentat crucifixum.

DVBIVM XV.

60 PEtes 15. an Eccleſia convenientèr vtatur cruce in benedictionibus, & alijs actionibus? Reſpondetur affirmativè ex convenientia fidelium, & perpetuo Eccleſiæ vſu: qui vſus eſt traditio Apoſtolica, teſte Baſilio *lib. de Spiritu S. cap.* 37. Vnde reijcitur ingens illa blaſphemia hæreticorum noſtri temporis, qui non ſolùm execrantur prædictum vſum crucis in benedictionibus Eccleſiæ; ſed addunt, eſſe ſuperſtitioſum, & aliquid artis magicæ.

61 Pro pleniori autem horum intelligētia advertit eruditus Lorca *diſp.* 95. *num.* 18. quòd in duobus generibus actionum Eccleſia vtitur ſigno Crucis. Primo ad ſanctificationem, conſecrationē, & benedictionem rerum. Qui vſus eſt antiquiſsimus: nam proptereà abhibetur in omni actione ſacramentali, & alijs ſimilibus: vt notant *Dionyſius cap.* 4. *&* 5. *Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, & Chryſoſtōmus hom.* 55. *in Matthæum.* Convenientiſsimè autem vtimur Crucis ſigno ad dictum effectum dedicationis. Quia tali ſigno quaſi proteſtamur, illam ſanctificationem (ſicut, & quamcumque aliā) provenire à merito crucis, & paſſionis Redemptoris. Inſupèr, & quia adhibendo, & quaſi imprimendo ſignum Crucis in illis rebus

bus protestamur, rem illam manere dicatam in obsequium Christi D. quia consuetum est, ijs, quæ dicantur in obsequium alicuius, imprimere signum eius; vt per hoc censeantur, & cognoscantur esse propria illius.

62 Secundum genus actionũ, in quibus adhibetur signum Crucis, est in remedium, & munimẽ fidelium, nempe contra pericula corporalia, tentationes spirituales, ad effugandum dœmones, & ad faustum eventum rerum, quas exordimur. Quem vsum docuerunt antiqui PP. præcipuè *Tertullianus de Corona militis, Cyprianus lib. 4. Epist. 6. Origines hom. 6. in Exodum, Cyrillus, Herosolym. Catechensi 4. & D. Ambros. serm 43.* Est autem vsus iste conveniens: quia signum Crucis habet efficaciam ad istos effectus; vt dicunt prædicti PP. & comprobat experientia innumeris miraculis, quibus plenæ sunt historiæ. ¶ Dices, quòd hi effectus sæpè nõ fiũt, adhibito signo Crucis: ergo non est certum, Crucem habere hos effectus. Respondetur distinguendo consequens: solùm enim est verum, quòd illos non habet ex opere operato, qualitèr Sacramenta continent suos effectus, id est, ita infallibiliter propter alligationẽ, quia Deus per suum pactum, aut promissionẽ se obligavit ad producendum effectus Sacramentorum, vt aliter nequeat evenire. Falsum autem est, quòd Crux non habeat illos effectus ex opere operantis, scilicèt in quantũm est fidei protestatio, & quædam precatio ad Deum per merita passionis Christi D.

63 Ex quibus patet, quantum distet inter Crucis vsum, & vsum characteris magici. Nam magia vtitur characteribus nullam habentibus virtutem, & vtitur illis invocando dœmonia. Ecclesia autem vtitur signo Crucis, vt habente virtutem collatam à Christo D. & ad invocationem illius.

DVBIVM XVI.

64 PEtes 16. an liceat Adorare Christum D. v. g. in apparitionibus? (Dubium enim de Adoratione in apparitionibus præstanda Christo Domino, aut alicui Sãctorum ponitur ab aliquibus pro cõplemento disputationis de Adoratione imaginum.) Respondetur affirmativè, si prudẽter cõstet, esse veram apparitionem; secùs autem, si prudenter constet esse falsam. Quia in priori casu datur cultus ei, cui debetur; secùs autem in posteriori. ¶ Si autem sit dubium, potest Adorari sub conditione, aut potest suspendi Adoratio. ¶ Qui autem temerè aut sine prævia examinatione adoraret, peccaret quidem, sed non gravitèr, (inquit Lorca *disputat. 98. in fine*) dummodo Adoraret sub ratione, aut apparientia rei sacræ. Et tanta posset esse pietas affectus, vt omni-

ninò excusaretur à culpa.

¶ Peccatum verò, quod intervenire potest in eo, qui dubius de veritate rei adoratæ adoraret, longè abest ab idololatria: quia animus adorantis, & eius submissio semper habet pro obiecto formali veram excellentiam: & ideò licèt actus exterior versetur circa rem falsam, non habet rationem Adorationis illius rei secundùm quod est in re, sed secundū quod apprehenditur ab adorante: quo modo veram excellentiam habet in ratione obiecti. Hac ratione verum dico, quando sermo conformatur cum eo, quod habeo in mente, seu in apprehensione, quāvis aliàs in re ita non sit.

CAPVT VI.

De Adoratione Reliquiarum.

NOmine Reliquiarum intelligim⁹ corpora Sāctorum, & quamlibet illorum partem; necnon & vestes, atque alia, quæ habuerunt physicum contactum ad illos.

DVBIVM I.

1 PEtes primò, an reliquiæ Sanctorum sint Adorandæ? Respondetur quòd conclusio affirmativa est definita in diversis concilijs, præcipuè *in 7. Synod. act. 7. & in Trident. sess. 25. in decreto de reliquijs.* Insupèr constat ex perpetuo vsu, & traditione Ecclesiæ; ex convenientia fidelium; atque ex diversis Patribus videndis apud RR. Et ratio est, quod reliquiæ Sanctorum pertinent aliquomodo ad illos, participantque quodammodo dignitatem illorum: ergo dignæ sunt Adoratione, æstimatione, & reverētia, quæ ipsis Sanctis exhibetur. Probatur consequentia: quia perpetua hominum consuetudo fert, vt ea, quæ pertinent ad personas, quas reveremur, etiam revereamur. Propter hanc rationem Ministros Regis, eiusque mandata veneramur; in ipsis namque nescio quid Regiæ dignitatis participationis conspicimus. Igitur cùm Deum, & Sanctos meritò veneremur, eisque Adorationē exhibeamus, eorum reliquias venerari tenemur.

2 Sed præter hæreticos, qui cultum Sanctorum negantes consequentèr cultum reliquiarum negaverunt; etiam fuerunt alij, qui specialitèr reliquiarum cultū execrati sunt. Cuius erroris Author fuit Euxomius, & Vigilantius; post quos Constantinus Capronimus impius Imperator fuit reliquiarū acerrimus insectator, secutus eius Patris Leonis Isaurici vestigia.

¶ Igitur contra cultum reliquiarum obiiciunt hi, quòd *Deut. vlt.* legitur, Deum abscondisse corpus Moysis, non ob aliam causam, nisi ne coleretur à Iudæis: vt significari videtur in Epistola Iudæ: vbi dicitur Michaelem con-

contẽdisse cum diabolo de Moysis corpore. Contentio autem illa in hoc stare videtur, quòd diabolus volebat detegere corpus Moysis, vt à Iudæis adoraretur. Machael autem hoc prohibebat, quasi supponens, illicitam esse talem Adorationem. Respondetur ex hoc loco nihil probari contra venerationem reliquiarum: quia nõ constat, ex qua causa facta fuerit illa occultatio. Addo, quòd dato, factam fuisse, ne à populo Iudaico adoraretur, nihil inferretur ad rẽ: quia hoc non fuisset factum, quia ex se honestum non sit reliquias Sanctorum Adorare: sed ob maximam propensionem illius populi ad idololatriã, & ne Moysem Adoraret, vt Deum.

3 Obijciunt secundò, illud *Luce 11. Væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum; Patres autem vestri occiderunt illos: profectò testificamini, quòd consentitis operibus Patrum vestrorum: quoniam ipsi quidem eos occiderunt; vos autem ædificatis corũ sepulchra.* Vbi Christus Dominus videtur reprehendere ædificationem sepulchrorum, & venerationem reliquiarum Sanctorum Prophetarum. Respondetur, solùm reprehendi hypocresim Pharisæorũ, (& propterea *Matth. 23. num. 29.* vbi eadem reprehensio habetur dicebat Iesus: *Væ vobis Pharisæi hypocritæ, &c.*) qui ædificatione sepulchrorum Prophetarum occultabant desiderium, quod habebant occidendi Christum Dominum in quo desiderio imitabantur suos parentes, qui Prophetas occiderunt. Itaque hic est sensus illius sententiæ: Pharisæi estis hypocritæ: siquidem ædificando sepulchra Prophetarum, quos occiderunt maiores vestri, facto, seu ædificatione execramini scelus eorum: cùm tamen ex alia parte vos peiores sitis desiderantes, me, & discipulos meos occidere; & consequentèr eos imitando. Quam expositionem secuntur communitèr AA. & tradunt *D. Hieronymus, Hilar. Chrysost. Ambrosius, & Beda super illis locis Matthæi, & Lucæ.*

4 Obijciunt tertiò, Concilium Eliberitanum *can.* 34 prohibens cœreos accendi coram sepulchris Martyrum: & additur pro ratione: *quia scilicèt inquietandi Spiritus Sanctorum non sunt.* Respondetur, ibi non reprehendi cultum religiosum erga Martyres; sed superstitiosum; qui tunc erat in vsu apud nõ paucos, qui existimabant, ea cœremonia evocari animas Martyrum è suis locis. Cuius redditur optima ratio, quia scilicèt, ea cœremonia non evocabantur, seu non inquietabantur: quia inutilis est ad id. Nisi fortè concilium per illam rationem velit significare, superstitiosam illam cœremoniam displicere Martyrum animabus; ex quo capite eorum animæ, aut Spiritus possent inquietari (si aliàs Beatitudinis status id permitteret) quia illa cœremonia (vti displicens) erat quantum erat in

Ia se, aut ex se, inquietativa illorum. ¶ Adde, nos modo non defendere, hunc, aut illum cultũ esse honestum, & licitum. Quare quamvis concederemus, cultum accendendi lumina coram sepulchris Martyrum non approbari à concilio illo, non infertur, reliquias Sanctorum non esse Adorandas. ¶ Et hoc vltimum applicandum est D. Hieronymo, qui *Epist. 53. contra Vigilantium num. 17.* significare videtur, cereos nõ accendi, nisi noctu ad effugandas tenebras, & non esse cultum sacrum. Præterea fortè tempore D. Hieronymi cultus ille non erat ab Ecclesia, aut fidelium consuetudine approbatus, aut receptus, vt religiosus, & sacer.

5. Obijcies quartò: quando corpora Sanctorum resolvuntur in arenam; immò, & quando integra manent post separationem animæ, nihil videtur in eis reperiri Adoratione dignum: ergo saltèm hæc corpora non sunt adoranda. Probatur antecedens: nam ibi solùm manet materia prima; & ad summum aliqua accidentia communia, vt sunt quantitas, &c. Si autem hoc sufficit ad Adorationem, poterunt etiam Adorari vermes, qui è Sanctorum corporibus generantur: quia in eis est materia prima Sanctorum, atque aliqua accidentia cõmunia genito, & corrupto. Resp negando antecedens. Ad probationẽ dico, meritò Adorari corpora Sanctorum, aut eorum cineres; non autẽ vermes, plantam, aut aliud compositum ex talibus corporibus generatum: quia, dum non generatur aliud compositum, tàm corpus mortuum, quàm cineres censentur esse quid spectans ad illum Sanctum, vt proprium illius: secùs autem quando vermes, aut planta, aliudve compositum fuit ex illo generatum. Quod convincit cõmunis modus loquendi, dicitamus enim, hoc cadaver, hosve cineres esse huius, vel illius Sancti: secùs autem de vermibus, planta, aut alio composito, in quod corpus Sancti transierit. ¶ Dices: ergo saltèm quando corpus Sãcti transierit in cineres, aut minutissimam arenam, non poterit adorari. Patet, quia tunc est novũ cõpositum ex corpore Sancti generatum. Respond. negando: ad probationem dico, ibi non esse novũ compositum, sed aliqualem partem præteriti. Et ideò arena illa, & cineres meritò dicuntur esse huius, vel illius Sancti: terra enim est vnum ex quatuor elementis, quibus constat, & in quæ resolvitur corpus humanum. Quare censetur quid spectans ad Sanctum mortuum, tamquam proprium illius; quamvis aliàs prædicta terra instar cineris, aut arenæ appareat. ¶ Vide apud Vazquez *disp. 112. c. 5. & 6.* alia duo testimonia ex D. Paulo ad Chorint. & ad Coloss. quæ expendunt hæretici contra Catholicam doctrinam de Adoratione reliquiarum. Illa autem in præsenti omitto, Tùm, quia ha-

habent diversas expositiones. Tũ, & præcipuè, quia ex dictis facilè solvi possunt.

DVBIVM II.

6 Petes secundò illa, quæ iura disponunt circa venerationem reliquiarum. Respondetur, quòd Vazq. *disput.* 112. *cap.* 8. *n.* 35. *& Lorca disput.* 98. *à num.* 10. *& aliqui alij.* notant aliqua, quæ iura disponunt circa præsentem materiam. Primum est, ne novæ reliquiæ adorentur sine Romani Pontificis authoritate. Ita definitur *in concilio Lateranensi sub Innoc.* 3. *& habetur cap. Cum ex eo De reliquijs, & veneratione Sanctorum.* Quòd modificatum, & explicatum est magis in Tridentino *sess.* 25. *in secundo decreto fidei*: vbi præcipitur, ne novæ reliquiæ adorentur sine licentia Episcopi, adhibito Theologorum consilio. Si autem quæstio fuerit gravior, referatur ad Concilium Provinciale. Si autem quid novum, aut insolitum, referatur ad Pontificem.

¶ Advertunt communitèr, hæc esse intelligenda de publica Adoratione: nam privatim si alicui constet certò moralitèr, aliquem esse Sanctum, benè potest eius reliquias adorare. Vnde sequitur (inquit Lorca citatus) posse etiã publicè Adorari reliquias alicuius etiam ante canonizationem, dummodo interveniat prædicta Superiorum authoritas. ¶ Sequitur etiam, gravissimum esse peccatũ suppositítias, & falsas reliquias tradere.

7 Secundum, quod iura disponunt, est, ne corpora Sanctorum transferantur de loco in locum sine licentia Romani Pontificis. *Ita in concilio Maguntino, & refertur in cap. Corpora de Consecrat. dist.* 1. Quod cautum est, ne reliquiæ irreverentèr transferantur, & ne subripiantur furtivè. Ex quo sequitur, peccatum furti sacrilegi esse reliquias furtim arripere. ¶ Ex hoc decreto colligit etiam Angelus verbo *Reliquiæ*, non licere portare reliquias ad collũ. Tamen contra Angelũ notant cõmuniter, id esse licitum, & laudabile. Vnde infertur, decretum citatum esse intelligendum, quando corpora sunt alicubi tradita perpetuæ sepulturæ: Postquam autẽ authoritate Pontificis partes aliquæ sunt inde desumptæ, & decisæ, licitè possunt ex vno in alium locum transferri sine tali licentia. ¶ Tamen pro sententia Angeli obijcies conciliũ Bracharense 3. *c.* 5. reprehendens Episcopos, qui in solemnitatibus Martyrum ad Ecclesias progressuri reliquias collo suo imponebant. Respondetur, illos non reprehendi propter reliquiarum portationem tãtũ, sed quia propter maiorem faustum, & hominum gloriã id faciebant, vt super humeres levitarũ in sellulis portarentur. Vnde subdit concilium: *quòd si Episcopus reliquias per se deportare elegerit, nõ ipse à diaconibus in sellulis vehatur, sed vnà cum populis gradiatur.* Ita refert Suarez, *disput.* 55. *in fine.*

8 Dixi, dispositum fuisse à iure, ne reliquiæ transferantur sine licentia Papæ, ne reliquiæ irreuerentèr transferantur. Quæro modò obitèr, an gestatio reliquiarum (quam esse licitam, & honestam iam dixi) in actu Venereo sit illicita? Respondetur negativè. Quia ista gestatio materialitèr, & concomitantèr tantùm se habet ad illum actum. Ita Diana 1. *p. tract.* 7. *Resol.* 18. *secutus Filliuciū.* Immò addit, nullam esse irreverentiam gravem, aut (vt ipse loquitur) circumstantiam in confessione necessariò explicandam, si res sacræ, aut reliquiæ dentur amasiæ ex gratitudine, & benevolentia; secùs autem, si darentur tamquam pretium actus Venerei: esset enim sacrilegium, re sacra, & Deo dicata remunerare actum prophanum, & turpem.

9 Tertium, quod iura disponunt, est, ne reliquiæ venales habeantur. Sic habetur *in prædicto cap. Cum ex eo.* Et est simonia gravis; vt colligitur *ex cap. Qui studet* 1. *q.* 1. Ad quod peccatum reducitur ostendere reliquias lucri gratia: vt bene notavit Panormitanus *supra caput* 1. *de reliquijs, & veneratione Sanctorum.* (inquit Lorca *ibi numero* 13.)

***

DVBIVM III.

10 PEres tertiò, qua Adoratione sint Adorandæ reliquiæ? Respondetur esse Adorandas eodem genere Adorationis, ac Adoratur ille, cuius sunt reliquiæ. Quia ab illo participant Adorabilitatem, aut excellentiam. Quare reliquiæ Christi D. Adorandæ sunt Adoratione latriæ: reliquiæ B. Virginis Adoratione hyperduliæ: & reliquiæ aliorum Sanctorum Adoratione duliæ. Ita cōmunitèr AA. vel supponunt, vel affirmant. ¶ Est tamen notandum, hanc reliquiarum Adorationem in suo ordine esse inferiorem, ac est illa, qua adoratur ille cuius reliquiæ sunt. Quia excellētia reliquiarū est derivata, & quasi causata ab excellentia illius, cuius sunt reliquiæ. Sed nullum causatum æquivocè (qualis est excellentia reliquiarum: cum sit respectiva; excellentia autem illius, cuius sunt reliquiæ, & à qua derivatur, aut quasi causatur, sit absoluta) est tantæ perfectionis, ac est sua causa: ergo excellentia reliquiarum in sua linea minùs perfecta, & inferior est, quàm excellentia illius, cuius sunt reliquiæ: & consequentèr Adoratio reliquiarum est in dignitate inferior, quàm Adoratio illius, cuius sunt reliquiæ. Hùc spectant dicta *cap.* 5. *numero* 50.

***

DVBIVM IIII.

11 PEtes quartò, quomodo reliquiæ sint Adorandæ? Respondetur tribus modis posse Adorari. Primò simul cum Sancto, cuius sunt reliquiæ. Et tunc adorantur eadem numero Adoratione, quantùm ad realem, & substantialem entitatem; quamvis in illa distinguenda sit alia, & alia ratio, prout terminatur ad Sāctùm, & prout terminatur ad reliquias: etenim quatenùs respicit illū, cuius sunt reliquiæ, est Adoratio superioris ordinis se ipsa, quatenùs respicit reliquias. ¶ Possunt insupèr reliquiæ Adorari taliter, vt sint totus, aut totalis terminus per se Adorationis, aut id, quod per se Adoratur. Et tunc Adoratio est non solùm inferior in excellentia, & dignitate Adoratione illius sancti, sed etiam est distincta numero, & quoàd realem entitatem. ¶ Demùm possunt adorari reliquiæ, vt quo, per accidens, impropriè, & abusivè, id est, taliter vt reliquiæ non sint id, in quod tendit per se Adoratio, sed solùm signum, aut id, quo excitatur memoria, vt Adoremus illum, cuius sunt reliquiæ. Hoc triplex Adorationis genus constat ex dictis *c.5.n.34.& 35.* vbi diximus, & probavimus, imagines posse Adorari his tribus modis. Quod, & iterum statuimus loquendo de Adoratione Nominis Iesu *eodem capite n.53.* & de Adoratione Crucis *n.59.* Quòd autem reliquiæ nō sint aliter Adorandæ, ac imagines, Sanctissimum nomen Iesu, atque Crux benedicta, probatur ex eo, quod nulla apparet ratio, cur vel aliqua nova Adoratio illis sit impē- denda; aut aliquis horū modorum Adorādi sit illis negādus. Demū, quòd Adoratio reliquiarum sit inferioris dignitatis, & excellentiæ, iam probavimus *num.10.* & confirmatur ex dictis *cap.5. num. 49. & 50.*

12 Ex quibus omnibus constat, sacra templa, vestes, & alia, quæ divino cultui sunt dedicata, Adoranda esse ad modùm reliquiarum: vt definitur *in 7. Synodo act.7.* vbi dicitur, Adorandum esse librum Evangelij. ¶ In his autem omnibus sunt gradus adorabilitatis secundùm maiorem, vel minorem habitudinem ad id, propter quod Adorantur. Neque obstat quòd in plerisque istorum sit tantùm relatio rationis: quia satis est, quòd communi existimatione censeantur propria illius, propter quem adorantur.

13 A fortiori constat ex dictis, adoranda esse Sacramenta. Nullus enim dubitat, esse propria Christi Domini, cuius excellentissima potentia in Sacramentis, & resplendet, & Adoratur. Inter omnia, autem Sacramenta sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum est maxima reverentia, & cultu Adorandum: etenim continet Christum Dominum realiter, & substantialiter; atque adeò debetur illi Adoratio Latriæ, vt docet Tridentinū

sess.

sess. 13. *cap.* 5. *& can.* 6. ¶ Solùm adverto, quod hæc Latria Eucharistiæ debita, prout terminatur ad Christum D. qui sub hoc Sacramento realitèr, & substantialitèr continetur, est rigorosa, & prout terminatur ad Sacramentum, vt præscindit à Christo D. quem continet, est Latria participata, & inferioris ordinis, iuxta dicta *cap.* 5. *n.* 49. *&* 50.

DVBIVM V. ET VLT.

14 PEtes 5. Vtrùm quælibet res mundi possit Adorari? (Meritò in calce huius tractatus dubium istud exagitat G. Hurtado cum aliquibus: quia, cùm ex toto illo constet, posse Adorari Deum, Sanctos, imagines, & reliquias, necnon & res sacro cultui dicatas; quæri potest, an aliquid aliud possit Adorari?) Resp. affirmativè. Quia Deus realitèr, & substantialiter est in qualibet re per essentiam, (hoc est, per suam entitatem substantialem) per præsentiam, (id est, ratione suæ immensitatis est realitèr præsens omnibus, & singulis creaturis) & per potentiam: (id est per suam omnipotentiam vbique operatur, cõservatque res, quas produxit) ergo cùm omni veritate potest Deus in qualibet re considerari, & ratione huius inclusionis potest Adorari quælibet res. Sicut ratione minoris inclusionis, & continentiæ Adoratur purpura, aut vestis, quãdo Adoratur Rex. ¶ Verum tamen est, hoc modo Deum non esse publicè Adorandum: quia publicus cultus eget publica destinatione illius rei, quæ ratione alterius proponitur Adoranda. *Ita Caiet. & Vazquez, quos citat, & sequitur G. Hurt. in fine disputationis de Adoratione.*


15 Sed noster Alensis 3. *p. q.* 30. *memb.* 3. *art.* 3. *Vvaldensis, & Ragusa citati à prædicto Hurt.* oppositum defendunt: & obijciunt Augustinum *in illud Psal.* 10. *Sol cognovit occasum suum*; vbi dicit: *quãvis Sol sit figura Solis iustitiæ, nempè Christi D. non est Adorandus.* Et Leontius *dialogo* 5. *contra Iudæos relatus in* 7. *synodo act.* 4. dicit, *imaginem Christi esse Adorandam, & nõ lignum, nec colorem.* Respondetur vtrũmque loqui de Adoratione absoluta, seu quæ sisteret in Sole, ligno, aut colore: non autem de respectiva, quæ est proptèr aliud: vt ex superioribus satis manet explicatum. Præsertim recolantur dicta *c.* 5. *n.* 37.

16 Obijciunt 2. si quælibet res posset Adorari, maximè ob excellentiam Dei; scilicèt quia est ipsius Dei, & ab ipso facta. Sed hoc non sufficit, vt possit Adorari: ergo non quælibet res potest Adorari. Probatur minor ab inconveniente. Si enim liceret, Adorare rem ob excellentiam illius, cuius est, aut ex eo quòd facta est ab aliquo, sequeretur, nos posse Adorare domum, agrum, &c. quæ fuerunt vel facta à viris sanctis, vel ab illis possessa. Respondetur negando mi-

minorem. Ad probationẽ dico, nullum esse inconveniens Adorare agrum v. g. tamquam aliquid spectans ad Dominum suum. Tũc enim motivum, aut ratio, propter quam Adoratur, est excellentia viri Sãcti, à quo fuit ager possessus, vel res facta: terminaturq; Adoratio ad rem illam, vt vestitã excellentia, aut dignitate, quam persona Sãcta in illam derivavit aliquo ex prædictis titulis, scilicèt vel possessionis vel effectionis, &c. ¶ Respondetur secundò negando maiorem: admisso enim non sufficere ad Adorandum, rem fuisse ab aliquo Sancto factam, vel possessam; adhuc posset Adorari quælibet res simul cum Deo in ea substantialitèr incluso; vt *num.* 14. explicuimus Et hæc de Adorationis tractatu dixisse sufficiat ad laudem omnipotentis Dei: quem vtinam perpetuò Adoremus in Cœlis. Per Christum D. N. Amen.

(*)

LAVS DEO, ET MARIAE Matri eius.



IN-

INDEX

RERVM NOTABILIVM, quæ toto hoc opere continentur. Littera P. paginã, littera N. numerum indigitat.

A.

præ

(*actio*.

sa,

D.

E.

H.

 hoc,

à

alam

vnio-

Hoc

Qq

Scien-

T.

Thean-

Rr tia

sed

LAVS DEO, ET MARIAE Matri eius.

